Daudet sculp: Lugd: 1731.

CHRISTIANI WOLFII,

CONSILIARII AULICI HASSIACI, MATHEMATUM ET PHILOSOPHIÆ IN ACADEMIA MARBURGENSI PROFESSORIS PRIMARII, PROFESSORIS PETROPOLITANI HONORARII, SOCIETATUM REGIARUM BRITANNIÆ ATQUE BORUSSIÆ SODALIS

ELEMENTA MATHESEOS UNIVERSÆ.

TOMUS PRIMUS,

Qui COMMENTATIONEM DE *METHODO MATHEMATICA*, *ARITHMETICAM*, *GEOMETRIAM*, *TRIGONOMETRIAM PLANAM*, *& ANALYSIM*, *tam FINITORUM quàm INFINITORUM complectitur.*

EDITIO NOVA,

PRIORI MULTO AUCTIOR ET CORRECTIOR.

GENEVÆ.

Apud MARCUM-MICHAELEM BOUSQUET & SOCIOS.

MDCCXXXII.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO,

WILHELMO,

HASSIÆ LANDGRAVIO,

PRINCIPI HERSFELDIÆ, COMITI

CATTIMELIBOCI, DECIÆ, ZIEGENHAINÆ,

NIDDÆ ET SCHAUMBURGI, &c. &c.

EXERCITUS EQUESTRIS FOEDERATI

BELGII GENERALI LOCUM TENENTI,

LEGIONIS PRÆTORIANÆ DESULTORIÆ CHILIARCHÆ,

NEC NON

OPPIDI TRAJECTI MOSANI SUPREMO

PRÆFECTO BELLICO, &c. &c.

PRINCIPI AC DOMINO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME,

Scientiæ Mathematicæ Imperatoribus, Regibus & Principibus ab omni ævo in pretio fuere, ut non modo munificentia sua eas promoverint, sed & ipsimet animum ad eas excolen-

das

das applicaverint. Non Opus est, ut de ALPHONSO X. *Castellæ ac Legionis Rege, &* ULUGH BEIGHO, TAMERLANIS MAGNI *nepote, Astronomiæ instauratoribus, de* MATTHIA *Hungariæ Rege inventorum mathematicorum insigni remuneratore, de* FRIDERICO II. *Daniæ & Norwegiæ Rege atque* RUDOLPHO II. *Imperatore* TYCHONIS *Mecænatibus, de* FERDINANDO, *magno Etruriæ Duce,* GALILÆI *Protectore, de* CAROLO II. *&* LUDOVICO XIV. *Angliæ & Galliæ Regibus, Societatum Scientiarum conditoribus, de Duce* BURGUNDIÆ, *Elementorum Geometriæ scriptore & de pluribus aliis, Principibus summis dicamus: Eccur enim è longinquo petenda sunt exempla, ubi domestica prostant? Cur ad vetusta provocandum, ubi præsentia intuemur? Nemo profectò ignorat, quæ* WILHELMUS IV. *Hassiæ Landgravius successu felicissimo, quo* TYCHONI, *Phœnici illi Astronomorum, judice* HEVELIO, *palmam dubiam reddidit, Astronomiæ & Mechanicæ instaurandæ gratiâ Cassellis molitus est. Et orbis universus admiratur, quæ Magnus Parens Tuus,* CAROLUS, *Sapientis cognomen instar* ALPHONSI *dudum meritus, in omni Mathesi ac Philosophia experimentali præstitit atque munificentiam tanto Principe dignam deprædicat, qua Artes Mathematicas & Naturæ cognitionem promovet. Tu,* PRINCEPS SERENISSIME, *qui omnibus virtutibus emines, quæ Heroëm in bello, Regnatorem in pace exornant, nullis Principum in Scientiis Mathematicis magno æstimandis secundus. Quare cùm Elementa mea Matheseos universæ multo auctiora novoque habitu induta, ut Opus planè novum existimari debeant, denuo in lucem proferam, quo via plana ad omnem theoriam & praxin sternitur, veræque methodi leges, ad accuratè & utiliter philosophandum*

phandum vitæque negotia dextre gerenda apprime necessariæ animo Lectoris sensim sensimque instillantur; nullus dubitavi, PRINCEPS SERENISSIME, *ad pedes Tuos ea deponere, certo persuasus Tibi non improbatum iri meum in Scientiis humano generi adeo utilibus propagandis studium. Deus Te servet Principum Hassiæ Decus! Ita vovet,*

SERENISSIME PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME,

SERENISSIMI NOMINIS TUI

MARBURGI d. 8.
Martii 1730.

Humillimus cultor
CHRISTIANUS WOLFIUS.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Etsi nullo tempore, quo ſcientiis honos fuit, defuerint viri egregii, qui præclaris ingenii ac virtutum dotibus ſupra communem mortalium ſortem evecti divina illa Mathemata digna ſtatuerunt, in quibus elaborarent, nec infelici ſucceſſu ſuſpiciendis inventis eadem amplificârunt, quemadmodum veterum monumenta palam loquuntur; ante noſtram tamen ætatem ad illud faſtigium non fuerunt evecta, in quo hodie conſtituta miramur. Neque indigna ſunt, quæ in dies magis magiſque excolantur & explosâ loquaci ſophiſticâ in ſcholas revocentur, cùm neminem, niſi aut tardiore fuerit ingenio, aut ignarus artis oſor affectu præpeditam habuerit mentem, fore exiſtimem, qui non eorum puritatem, evidentiam ac ſublimitatem miretur & ob utilitates innumeras inde in genus humanum redundantes de Arte noſtrâ præclarè ſentiat. Mentem enim humanam valdè perficit Matheſis, ad Philoſophiam aliaque ſtudiorum genera & latiùs, & profundiùs, & utiliùs tractandum inſtruit, ad ſolidiorem doctrinam adminicula inexſpectata ſuppeditat, maximas ad vitam utilitates affert.

primè necessarium pronunciamus & sine eo ad solidam rerum cognitionem perveniri posse negamus. *

Equidem non ignoro, homines quosdam, cùm sint in Mathesi hospites ac planè rudes; se jactare, quod audiverint Mathematicos de rebus Mathematicis optimè, de aliis à Mathesi alienis pessimè judicantes: veruntamen quod ad tam inconsideratè dicta reponam, non unum habeo. Quoniam nimirum non quævis terra Mathematicum alit (neque enim creantur in Academiis ut Doctores;) sanè non apparet, unde imperitus Artis obtrectator certus fuerit factus, sibi rem cum Mathematico fuisse. Quid si Agrimensorem viderit, aut Architectum, aut Conspicillorum politorem, aut Instrumentorum fabrum, aut Virum, cui data est docendi quidem, sed non sciendi Mathesin potestas? Quis enim adeò insanus est, ut unumquemque censeat titulo, quem fama fallax aut fortuna cœca eidem tribuit? Non insolitum, nec inauditum, ut, quem ignari judicant Matheseos apprimè peritum, quem Professores *Euclidis*, *Apollonii*, *Archimedis alterius* elogio etiam post fata mactant, idem tamen à Mathematicis summis, verè idoneis harum rerum arbitris, Matheseos imperitus appelletur. Enimvero etiamsi hoc demus, Artis nostræ osorem audivisse Mathematicum de rebus ad Mathesin non spectantibus judicantem; nondum tamen video, unde cognoverit, quod malè judicaverit: aliter enim nisi judicaret qui ingenii acumine pollet, aliter qui haud altius vulgo sapit, inter ingenium acre & hebes nullum

* MELANCHTHON, loc. cit. *Si qui non totos se huic studio dedent, tamen his ad judicia formanda - - - opus est cognitione Elementorum Geometriæ.* Idem paulò ante: *Cùm demonstrationes Geometriæ maximè sint illustres; nemo sine aliquâ cognitione hujus artis perspicit, quæ sit vis demonstrationum, nemo sine eâ erit artifex methodi.*

lum foret diſcrimen, nec concedendum erat, in Matheſi cum laude verſatis res quaſlibet profundiùs ſcrutari datum eſſe. Denique ſi vel maximè aliquando contigerit, Mathematicum aliquem de rebus ad ſe non pertinentibus malè judicâſſe; hinc ſaltem colliges, ipſum occaſione ita ferente de re, quam nondum meditatus fuerat, per præcipitantiam, vitium ἀγεωμετρήτοις tantum non ſemper familiare, ſtatuiſſe.

Neque enim defendimus, quod eâdem operâ, quâ quis Mathemata ſibi familiaria reddit, ceterarum quoque rerum cognitione animum imbuat, & criminationis loco habemus, ſi qui per malitiam affirment, quod Mathematici glorientur, penes ſe ſolos eſſe principia veritatis; ſed quod Matheſeos cultura reliquis ſtudiis præmiſſa efficiat, ut alias diſciplinas faciliùs, rectiùs & profundiùs percipere poſſis, ubi ad eas induſtriam atque aſſiduitatem attuleris, id verò eſt quod aſſeveramus. Neſcio verò, quâ fronte, qui inexperta loquuntur, majorem ſibi fidem haberi velint, quàm iis, qui niſi experta non confitentur. Utinam tandem, qui Eccleſiæ ac Reipublicæ præſunt, caverent ne ad cetera ſtudia tractanda animum appellerent, niſi Mathematicâ cognitione imbuti, neque ullus dubito fore ut aliam Eccleſiæ, aliam Reipublicæ faciem contueremur. † Ut enim taceam, quæ

† MELANCHTHON, loc. cit. *Jacent deſertæ & neglectæ artes Mathematicæ, multis jam ſeculis. Nam proxima ætas* (quidni & noſtra?) *juventutem ab hac verâ Philoſophiâ ad inſulſiſſimas cavillationes abduxerat. Nunc, poſtquam hæ exploſæ ſunt è ſcholis, annitendum erat, ut pura & nativa Philoſophia traderetur, quæ conduceret ad ſolidam doctrinam conſequendam. Nam hæc noſtra ætas ſatis commonefacit nos, quantum opus ſit Reipublicæ perfectâ doctrinâ, quia multi paſſim, tum inopiâ judicii, tum quia diſertè explicare nihil poſſunt, ſparſerunt aut defendunt opiniones abſurdas & confuſaneas, ex quibus in Eccleſiâ magna certamina, magnæ diſſenſiones extiterunt. Nec finis horum malorum erit ullus, niſi ad veram & eruditam ſtudiorum rationem juventus revocata fuerit.*

à doctrinâ in Ecclesiam & Rempublicam redundant, emolumenta, plurimùm refert, si, qui ob eruditionem utrique præficiuntur, sint assidui, considerati, moderati & veritatis amantes, quos Matheseos studium efficit, ubi ita tractetur, ut amplificet usum rationis,

Quotquot humanæ mentis vires cognoscere student earumque usum scrutari gestiunt, eos ad Mathematum culturam invitamus. Ostendet Algebra atque Geometria sublimior, nihil esse tam abditum, quin detegatur: docebit Astronomia cum Geographiâ, nihil esse à sensibus hominum tam remotum, quin id satis distinctè cognoscere & accuratè dimetiri valeamus: testabitur calculus Astronomicus, quantâ certitudine futura cœli phænomena prædicere liceat, etsi Genius nullus motuum, quibus sidera feruntur, leges Astronomis revelaverit: Optica cum Astronomiâ discrimen inter repræsentationes rerum in intellectu & in imaginatione monstrabit: Arithmetica, Trigonometria & Analysis regulas generales suppeditabunt, quibus in inveniendo dirigatur intellectus & unà cum sensibus compescatur imaginatio, ne meditationes turbet: Methodus denique Mathematica rectum rationis usum manifestabit.

Quanta sit vis Mathematum in Scientia naturali, ex Statica, Mechanica, Hydrostatica, Aerometria, Hydraulica, Optica, Catoptrica, Dioptrica, Astronomia & Geographia abundè perspicitur: quæ omnes argumenta quædam Physica solidiùs atque profundiùs pertractata exhibent, quàm sine Matheseos Principiis fieri poterat. Nonne enim Physici est explicare motum, gravitationem corporum, proprietates aëris, Phænomena visûs, structuram universi, naturam & pro-

proprietates corporum Mundi totalium? Quod si verò quæ de motu solidorum in Staticâ & Mechanicâ, de gravitatione corporum in fluidis in Hydrostatica, de motu fluidorum in Hydraulicâ, de aëre in Aerometriâ, de visu in Opticâ, Catoptricâ & Dioptricâ, de corporibus Mundi totalibus eorumque motuum legibus in Astronomiâ & Geographiâ traduntur, cum iis conferre dignatus fueris, quæ de iisdem argumentis in Physicorum systematibus occurrunt, demtis præsertim iis, quæ ex Mathematicorum voluminibus descripta sunt; quantùm discriminis intercedat inter Doctrinas Physicas Principiis Mathematicis superstructas atque Mathematicorum operâ excultas, & inter ea dogmata quæ Mathematicorum opem adhuc desiderant, illicò constabit. Unde non miramur ROBERTUM BOYLIUM, de Scientiâ naturali experimentando præclarè meritum, ita scribentem: † *De Mathematicâ nonnihil tibi propositurus sum, eum inprimis in finem, ne fortè (quod & mihi olim evenit) seducaris Philosophorum istorum modernorum autoritate, qui cùm Physici objectum sit materia, Mathematicas disciplinas, tanquam abstractis saltem quantitatibus & figuris occupatas, studio naturali obesse magis, quàm prodesse contendunt. Quamvis enim opinionem ipsius* KEPLERI, *trium Imperatorum Mathematici aliorumque Astronomorum recentium absurdam, hominibus persuadentem, quòd Mathematica quempiam ad Studium naturale faciliùs absolvendum non omnino*

† In Considerationibus circa utilitatem Philosophiæ naturalis experimentalis, Exercitat. VI, §. 1. & 2. p.m. 483.

omnino idoneum reddere possit, restabilire & defendere aliquando conatus fuerim; ingenuè tamen confiteor, quod experimentis meis in specie Mechanicis, Mathematicæ in Physica usum ingentem mihi demonstrantibus, sæpe jam exoptârim, ut in Geometriæ theoriam & studium Algebræ speciosæ, quam puer fermè addidici, majorem impendissem partem temporis & industriæ, quæ Planimetriæ & Fortificatoriæ (de quâ me integrum Tractatum scripsisse memini) aliisque Practicis Mathematicæ partibus à me attributa fuit. Imo nec miramur ingenuè profitentem: * *Vereor, implorandam esse à Mathematicis lectoribus veniam pro iis rebus, quas, si in Mathesi magis pollerem, accuratiùs tractâssem.* Alibi nimirum ostendi †, tum demum in scientiâ naturali ad certitudinem seu evidentiam perveniri & dominium in res creatas obtineri, si Mathesis ad Physicam applicetur.

Nisi utilitates, quas Mathesis ad vitam affert, sponte suâ occurrerent attentis; non modò Arithmeticæ, Geometriæ practicæ, Architecturæ, Mechanicæ, Hydrostaticæ, Hydraulicæ usus in Oeconomia amplissimus facilè ostendi, sed etiam evidenter demonstrari posset, maximam felicitatis humanæ partem Mathesi superstructam: ut taceam commoda, quæ Mathesis præstat absolutis studiis Academicis in exteras regiones excurrentibus, quibus maxima utilitatis ac voluptatis ex itinere capiendæ pars perit, si in illâ fuerint hospites ac peregrini.

Cùm adeò disciplinarum Mathematicarum utilitates innumeras mente attentâ perpenderem, propriâ autem experientiâ edoctus non ignorarem, desiderari adhuc Matheseos universæ

* In Præfat. ad nova Experimenta Physico-Mechanica de vi Aëris elasticâ.

† In Præfat. ad Elementa Aerometriæ, A. 1709. seorsim edita.

versæ Elementa, quæ ad illas consequendum sufficerent; ante triennium idiomate patrio Elementa Matheseos universæ publici juris feci, in quibus ea potissimum explanavi, quæ ad praxin tendunt, adeoque theorias prætermisi, quarum non adeo manifestus est usus. Dum liber adhuc sub prælo sudabat, contigit ut multi eundem expeterent: † quo ipso adductus Bibliopola desiderabat, ut eundem in sermonem Latinum transfunderem. Hujus ego desiderio annuens bonam jam operis partem habitu Romano indutam prælo destinaveram, cum consultius mihi videretur, si theoretica uberius exponerentur, quam in Opere Germanico ad juvandum primos tyronum conatus composito fieri par erat, ut Latinum scilicet etiam satisfaceret ad sublimiora tendentibus. Quæ igitur sermone Latino prodeunt Elementa, à Germanicis multum differunt novoqne ordine digesta sunt. In iis elaborandis tantum operæ collocare non licuit, quantum opus istiusmodi requirere videbatur. Præterquam enim quod sex, minimum quinque per diem horas instituendæ juventuti Academicæ cum in Mathesi, tum in Philosophia impendam; varia obstacula alia impediverunt, quo minus omnia ex voto fierent. Quoniam nimirum Bibliopola, qui aliquos jam sumptus in editionem fecerat, instabat, ut opus cœptum perficerem; singulas fere propositiones typis describendas tradere coactus fui, quamprimum a me in chartam conjectæ essent, typothetis scilicet quotidie pensum semidiurnum a manu mea exspectantibus. Quodsi ergo quædam in hoc opere

† Elementa ista Germanica ab eo tempore jam quarta vice typis rescripta, & in compendium redacta, quod ter lucem adspexit.

deprehendis, quæ jure displicent, ea nec mihi placere scias velim. Si totum displicet, ut meliora des hortor, gratum & mihi & aliis facturus. Interea patere, ut hoc duce utantur, quotquot ad solidam Mathematum cognitionem non sine operæ, sumptuum & temporis compendio adspirant, quamdiu desit magis fidus. Theoretica & practica eadem industria exposui: Ex his unusquisque seligat, quæ ad palatum suum esse existimaverit, reliqua aliis, non sibi dicta putet. Indicem geminum subjunxi: quorum alter est rerum atque verborum, ut his Elementis etiam instar Lexici Mathematici uti possint, quorum studia eodem juvantur; alter Elementa *Euclidea* cum nostris confert, ut, quæ ex *Euclide* passim citantur, etiam in nostris inveniri possint, nec *Euclideis* habeant opus, qui nostra possident. Vale, Lector benevole, & his nostris utere, Tomum alterum, qui Opticam, Catoptricam, Dioptricam, Perspectivam, Trigonometriam Sphæricam, Astronomiam, Chronologiam, Geographiam, Gnomonicam, Pyrotechniam, Architecturam militarem atque civilem, una cum Bibliotheca Mathematica complectetur, propediem exspectans. Dabam Halæ Magdeburgicæ ipsis Calendis Octobris A. 1713.

PLATO apud *Theonem Smyrnæum*, Cap. I. p. 20.

Adolescentibus eorumque ætati conveniunt Disciplinæ Mathematicæ, quæ animam præparant & defæcant, ut ipsa ad Philosophiam capessendam idonea reddatur.

MONITUM

MONITUM AUTORIS
DE EDITIONE NOVA.

NOvam horum Elementorum Editionem daturi operam dedimus, ut multo correctiora prodirent, multo etiam auctiora. Etenim in singulis disciplinis ea adjecimus, quæ adhuc desiderari posse videbantur & viam ad ulteriora sternunt: quo ipso contingit, ut disciplinæ nonnullæ novam plane formam adeptæ fuerint, &, quæ in Editione priore per duos Tomos digesta fuerant, in hac posteriore quatuor Tomis complecti necesse fuerit. Ita in Tomo primo, qui nunc prodit, ut taceamus, quæ passim interspersa sunt, Arithmeticæ accesserunt capita nonum & decimum integra de fractionibus decimalibus & sexagesimalibus, Geometriæ caput secundum partis posterioris de sectione & situ planorum, Trigonometriæ & Algebræ problemata varia, quæ vel utilitate sese commendant vel quædam inveniendi artificia continent per cetera nondum insinuata. Accessere etiam tum Geometriæ, tum Analysi finitorum, tum Analysi infinitorum figuræ novæ tabulis æneis incisæ. Et quoniam Philosophiam certam ac utilem effecturi Mathematum notitiam amplificamus, ut ad eam capessendam animi defæcati præparentur, nuperque in

 Opere

Opere Logico † methodum, quæ convenit doctrinæ ſolidæ, accuratius delineavimus, quam hactenus ab aliis factum fuerat, ac inprimis genuinam demonſtrationum formam diſtincte expoſuimus; ideo demonſtrationes ita digeſſimus, ut exempla regulis ad amuſſim reſpondeant, & Elementa hæc manu aſſidua volventibus naturalis ratiocinandi modus ſua veluti ſponte ſeſe inſinuet naſcanturque in animo ideæ, quæ Logicæ præceptis reſpondent. Nulli igitur dubitamus fore, ut, qui in his Elementis attenta mente perlegendis fuerint aſſidui, fructus eximios percipiant: id quod quemadmodum ſperamus, maxime optamus. Dabam Marburgi Cattorum d. 11. Martii A. 1730.

† Prodiit A. 1728. in 4°.

TYPOGRAPHUS LECTORI. S.

HAbes, LECTOR BENEVOLE, *Optimorum Matheſeos Elementorum, quæ hactenus extant, optimam Editionem. Quorum præſtantia & utilitas ſic omnibus nota eſt, ut illa commendare, id ſane foret tua abuti patientia. Adde, quod commendationem omnem inutilem reddit nomen, quod præ ſe ferunt, Celeberrimi* WOLFII. *Ex* Secunda Hallenſi *Editione, quæ Anno ſuperiore prodiit iſta accuratè deſcripta eſt; nihil quicquam auſi fuimus immutare niſi innumeros graviſſimoſque Typographi errores, qui, in difficili Scientia, moleſtiſſimi ſunt Tyronibus, quorum gratia conſcripta ſunt Elementa. Si qui ſuperſint, eos numero pauciſſimos eſſe, ſenſumque minimè turbantes ſperamus, quos facilè condonabis,* BENEVOLE LECTOR, *ſi digneris eos corrigere quos in Erratis ad calcem notavimus. Ceterum, pluribus etiam aliis reſpectibus hanc Editionem prioribus præferendam eſſe contendimus. Nam ut de Chartæ candore, Characterum, Figurarumque nitore taceamus; Algebræ ſigna ſæpius in illis peſſimè diſpoſita, & inde incommodos*

modos sensus exhibentia, ubique in hac nostra Editione in ordinem redegimus. Et quia Matheseos cursus non solum legendus est & pervolvendus; sed sæpius, Dictionarii instar, evolvendus, curavimus ut in superiori margine Capitum tituli legerentur.

Quibus, cum tuo, BENEVOLE LECTOR, *commodo inservire animus fuerit, id æqui bonique consulas rogamus. Vale. Ex Typographia nostra, die* 16. *Jul.* 1731.

PRIVILEGIUM

PRIVILEGIUM

SACRÆ CÆSAREÆ ET CATHOLICÆ MAJESTATIS.

CAROLUS SEXTUS, Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum IMPERATOR semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. REX; ARCHIDUX Austriæ; DUX Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Würtembergæ; COMES Tyrolis, &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium Universis: Quòd, cùm Nobis Noster Sacrique Romani Imperii fidelis dilectus MARCUS MICHAEL BOUSQUET, ejusque CONSORTES, Bibliopolæ Genevenses, humillimè exponi curârint, quem in modum CHRISTIANI WOLFII *Opera Mathematica cum Figuris, in Quarto*, prelo committere resolverint; vereantur autem, nè æmulorum invidiâ hanc Editionem imitantium impendii & laboris sui fructu frustrentur: Ideoque Nobis demissè supplicârint, quatenus eorum indemnitati Privilegiô Nostro Cæsareô succurrere clementissimè dignaremur, Nos submissis pariter ac æquis eorum precibus annuendum censuerimus. Ac proinde authoritate Nostrâ Cæsareâ omnibus Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis & aliis quibuscunque rem Librariam seu negotiationem exercentibus firmiter inhibemus, vetamus, & interdicimus, ne quis supra nominata CHRISTIANI WOLFII *Opera Mathematica cum Figuris*, sub hoc alióve titulo, aut forma, per Decem Annorum spacium ab hodierno die computandum, intra Sacri Romani Imperii, & Regnorum Ditionúmque Nostrarum Hæreditariarum fines recudere, vel aliis recudenda dare, aliorsumvè impressa apportare, citra præfatorum Impetrantium eorundémque Hæredum ac Successorum voluntatem & assensum in scriptis obtentum ausit vel præsumat. Si quis verò secus faciendo Privilegium hoc Nostrum seu Interdictum violare, contemnereque præsumpserit, eum non solùm ejusmodi Exemplaribus ubicunque locorum repertis, perperam quippe recusis

ſis ſeu opportatis (quæ dictus MARCUS MICHAEL BOUSQUET, ejúſque CONSORTES, ſive propriâ authoritate, ſive Magiſtratûs illius loci auxiliô ſibi vindicare poterunt:) de facto privandum, ſed & Decem Marcarum Auri puri pœnâ Ærario ſeu Fiſco Noſtro Cæſareo & Parti læſæ ex æquo pendendâ, omni ſpe veniæ ſublatâ mulctandum decernimus, dummodo tenor hujus Noſtri Privilegii in fronte Libri impreſſus reperiatur, & conſueta Quinque Exemplaria Conſilio Noſtro Imperiali Aulico exhibeantur. Mandamus itaque omnibus & ſingulis Noſtris & Sacri Romani Imperii Regnorúmque & Dominiorum Noſtrorum Hæreditariorum ſubditis & fidelibus dilectis, tam Eccleſiaſticis quàm Sæcularibus, cujuſcunque ſtatûs, gradûs, dignitatis aut ordinis ſuerint, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu exiſtentes, vel ſuô, vel ſuperiorum ſuorum loco, jus juſtitiamque adminiſtrant, ne quemquam Privilegium hoc Noſtrum Cæſareum violare, ſpernere, aut tranſgredi patiantur: Sed ſi quos contumaces compererint, conſtitutâ à Nobis mulctâ eos puniri, & quibuſcunque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipſi graviſſimam Noſtram indignationem prædictámque pœnam evitare voluerint. Harum Teſtimonio Litterarum manu Noſtrâ ſubſcriptarum, & Sigilli Noſtri Cæſarei appreſſione munitarum, quæ dabantur in Civitate Noſtra VIENNA, die quinta Aprilis, Anno milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo uno, Regnorum Noſtrorum Romani vigeſimo, Hiſpanicorum vigeſimô octavô, Hungarici & Bohemici verò pariter vigeſimo.

CAROLUS.

(L.S.)

Ad Mandatum Sac. Cæſ. Majeſt. proprium.

J. S. HAYECK DE WALDSTÄTTEN.

Ut:

DE



DE METHODO MATHEMATICA BREVIS COMMENTATIO.

PRÆFATIO.

SI quid mei judicii eſt operam non inanem ſumit, qui Methodum Mathematicorum diligentiſſime rimatur. Ejus enim vim qui tenet, is non modo ad Mathemata percipienda animum, quantum poteſt, attendit & rationes evidentiæ illorum funditus perſpicit; verum ad alias etiam diſciplinas, utut labore non adeo facili, cum fructu tamen prorſus inſigni, eandem transfert. Quodſi vero Matheſis non aliam præter hanc unicam cultoribus ſui afferret utilitatem; eidem tamen gnaviter incumbere deberent, quotquot diſciplinarum ſtudia ingrediuntur. Eumque in finem ſtudium Mathematicum

ticum tantopere commendant viri docti ac intelligentes, quos inter (a) LOCKIUM, (b) MALEBRANCHIUM, (c) TSCHIRNHAUSIUM nominasse sufficiat, quorum in Philosophia rationali illustranda solertia haud paucorum opinionem vicit. Hanc igitur de methodo mathematica commentationem mole exiguam, sed rerum ubertate gravem Elementis Matheseos universæ præmisi, ne in iis desiderari paterer industriam meam, quorum ad recte philosophandum quam maxime necessaria est cognitio: (d) inprimis cum exiguus admodum sit eorum numerus, quibus interiora methodi sunt perspecta; multo minor autem illorum, qui methodo mathematica prompte utuntur. Cæterum hæc commentatio de methodo singulari cum attentione perlegenda, &, ubi Arithmeticæ ac Geometriæ elementa evolvuntur, præcepta methodi sunt relegenda, tum ut penitus intelligantur, tum ut appareat, quomodo iis satisfiat. Ita demum Matheseos studium vere acuet intellectum.

(a) In Tractatu de directione ingenii (qui inter opera posthuma idiomate Anglico Londini 1706. edita habetur) p. 30.

(b) De inquirenda veritate lib. 6. c. 6. & 7.

(c) In introductione ad Mathesin & Physicam Germanice conscripta p. m. 17. & seqq.

(d) Uberius huc spectantia exposuimus in Logica seu Philosophia rationali.

CON-

CONSPECTUS COMMENTATIONIS

DE

DE METHODO MATHEMATICA.

Methodus Mathematica definitur §. 1. & ejus forma generaliter describitur §. 2. Hæc ut specialius explicetur, docetur quid sint definitiones §. 3. & harum gratia traditur explicatio notionum tum in genere §. 4. cum in specie clararum §. 6. obscurarum §. 7. distinctarum §. 8. confusarum §. 9. adæquatarum §. 10. 11. & inadæquatarum §. 12. Ostenditur, quænam notiones in numerum definitionum admittantur §. 13. 14. 15. Definitiones dividuntur in nominales & reales §. 16. 17. 18. Exponuntur quatuor modi inveniendi definitiones nominales §. 19. 20. 21. 22. & quatuor alii inveniendi reales §. 25. 26. 27. 28. Indicatur, quomodo innotescat, quod definitiones tam nominales §. 23. 24. quam reales §. 29. possibiles sint. Declaratur indoles axiomatum & postulatorum §. 30. 31. 33. & abusus quidam notantur §. 32. Disseritur quoque de experientia §. 34. 35. 36. 37. Definitur Theorema §. 38. & distincte agitur de propositionis partibus, Thesi, atque Hypothesi §. 39. 40. 41. 42. & de demonstratione §. 43. 45. 47. ubi etiam docetur usus citationum Mathematicis in demonstrationibus solennis §. 44. Similiter declaratur Problematum §. 48. Corollariorum §. 49. 50. Scholiorum §. 51. ratio. Asseritur Methodi Mathematicæ universalitas §. 52. & ratio redditur, cur interdum Mathesis judicium acuere debeat §. 53. interdum minus §. 54. Denique respondetur ad objectiones, quæ contra Methodum Mathematicam a nonnullis afferri solent §. 55. 56. 57.

DE METHODO MATHEMATICA

BREVIS COMMENTATIO.

§. 1. PER *Methodum Mathematicam* intelligo Ordinem, quo in tradendis dogmatis suis utuntur Mathematici.

§. 2. Ordiuntur autem Mathematici a definitionibus; inde ad Axiomata & Postulata, in Mathesi mixta ad Experientias seu Observationes, progrediuntur; his tandem Theoremata & Problemata superstruunt: ubique vero Corollaria & Scholia, si e re visum fuerit, annectunt.

§. 3. Sunt autem *Definitiones* primæ rerum notiones, quarum ope inter se distinguuntur & unde, quæ de ipsis concipiuntur, reliqua deducuntur.

§. 4. Per *Notionem* quamlibet rei cujuslibet in mente repræsentationem intelligo.

§. 5. Notionum differentiam primus distincte tradidit sagacissimus *Leibnitius* (*a*): quæ quanti sit ponderis, pauci hactenus agnoverunt.

§. 6. Est scilicet *Notio clara*, quæ ad rem oblatam recognoscendam sufficit, e. gr. quod figura data in numero triangulorum habeatur.

§. 7. *Obscura* est *notio*, quæ ad rem oblatam recognoscendam non sufficit. Talis est e. gr. plantæ, ad cujus conspectum dubitas, utrum ea sit nec ne, quam alio tempore alibi videras & cui hoc vel illud nomen tribui suevit.

§. 8. Clara *notio distincta* habetur, si notas recensere valeas, ex quibus rem oblatam recognoscis: e. gr. quod circulus sit figura, linea curva in se redeunte terminata, cujus singula puncta ab eodem puncto intermedio æqualiter distant.

§. 9. *Confusa* est *notio* clara, si notas, ex quibus rem oblatam recognoscis, recensere minime valeas, utut in tales sit resolubilis: qualis est e. gr. notio coloris rubri.

§. 10. Distincta *notio adæquata* dicitur, si & notarum, ex quibus componitur, notiones distinctas habueris: e. gr. notio circuli paulo ante tradita censetur adæquata, ubi curvæ in se redeuntis, puncti intermedii, distantiæ æqualis & terminationis notiones distinctas habueris.

§. 11. In hac analysi cum progredi liceat, donec ad notiones irresolubiles perveniatur; notionum adæquatarum dari gradus manifestum est, in præsenti tamen non explicandos. Sufficit monuisse, quod notiones quædam confusæ admitti queant, quarum evolutio ad demonstrationes non apprime necessaria. Ita *Euclides* non resolvit notionem æqualitatis, utut eadem notiones trianguli æquilateri, rhombi & figurarum regularium ingrediatur. Propositiones enim, ad quarum demonstrationem necessaria erat, facile ipsi sine probatione concedi poterant, e.gr. Quod æqualia eidem tertio sint æqualia inter se; quod figuræ sibi mutuo congruentes sint æquales: quod æqualibus per æqualia multiplicatis facta sint æqualia &c. Defectum scilicet analyseos supplent propositiones, quæ per experientiam satis certæ sunt.

§. 12. *Inadæquata* est *notio*, si notarum, quæ distinctam ingrediuntur, nonnisi confusas notiones habueris.

§. 13. In numerum Definitionum Mathematicarum non admittuntur nisi notiones distinctæ, &, quantum fieri potest aut pro re nata sufficit, adæquatæ.

§. 14. Hinc in Definitionibus subsequentibus non utuntur vocibus, nisi vel ex antecedentibus, vel aliunde satis intelligatur, quæ res iis subjiciantur.

§. 15. Et, si quando notione confusa contenti sumus, res, ad quam spectat, obvia

(*a*) In Actis Eruditorum An. 1684. p. 537.

obvia ſit neceſſe eſt, ut vel præſentem quandocunque libuerit percipere, vel ſæpius jam olim perceptæ haud difficulter reminiſci valeamus.

§. 16. Definitiones vero ad duas claſſes commode revocantur. Sunt nimirum aliæ nominales, aliæ reales.

§. 17. *Definitio nominalis* eſt enumeratio notarum ad rem oblatam ab aliis diſtinguendam ſufficientium. Talis eſt quadrati, ſi figura quadrilatera, æquilatera, rectangula eſſe dicatur.

§. 18. *Definitio realis* eſt notio diſtincta, rei geneſin, hoc eſt, modum, quo fieri poteſt, exponens. Talis in Geometria eſt Circuli, ſi per motum lineæ rectæ circa punctum fixum deſcribi concipitur.

§. 19. Ad definitiones nominales multis modis pervenitur: quos inter primus nominari debet, ſi ad rem præſentem, quam percipimus, attendimus. Hac ratione Aſtronomis innotuit, Eclipſin Lunæ eſſe privationem luminis Lunæ plenæ. Cum cura vero diſtinguenda ſunt, quæ diſtingui poſſunt, eaque fini ſingula primum ſigillatim conſiderari, mox inter ſe conferri debent, ut definitio notio diſtincta evadat, qualis (*vi* §. 13) eſſe debet.

§. 20. Definitiones hac vel alia methodo inveſtigatas expendentes varias plerumque determinationes animadvertimus, quibus omiſſis generaliores evadunt. E. gr. Si ex definitione *Trianguli* quod ſit ſpatium tribus lineis comprehenſum, linearum numerus expungatur; notionem *Figuræ* habebis, quod ſit ſpatium lineis terminatum.

§. 21. Si determinationes in definitionibus obvias conſideres, alias iis geminas comminiſci datur: qua ratione definitiones aliæ inveniuntur. E. gr. Ubi perpendis figuram trianguli a ternario laterum numero dependere; quaternarium aut numerum quemcunque alium ternario majorem ſubſtitue, ut definitio *Figuræ quadrilateræ* aut *multilateræ* cujuscunque prodeat.

§. 22. Quemadmodum vero (*vi* §. 20) determinationes quædam omitti, ſic etiam novæ ſuperaddi poſſunt. E. gr. in definitione trianguli, ſpecies & ratio linearum, quam inter ſe habent, determinari poteſt. Ponamus nimirum lineas eſſe rectas; generalis notio trianguli in notionem *Trianguli rectilinei* abit. Ponamus porro eſſe latera omnia inter ſe æqualia; notio trianguli generalis in notionem *Trianguli æquilateri* degenerabit.

§. 23. Definitionum per methodum primam inventarum realitas extra omnem dubitationis aleam poſita. Quis enim, quæ actu exiſtere cognoſcit, utrum eſſe poſſint nec ne, dubitabit? Dubitaret enim, num perciperet, quæ ſe percipere ſibi conſcius eſt: id quod valde abſonum. E. gr. Si quis Lunam deficientem intuetur; quod Eclipſin pati poſſit, dubitare nequit. Idem de illis definitionibus judicium eſto, quæ a poſſibilibus abſtrahuntur.

§. 24. Alia vero definitionum per methodum tertiam & quartam inventarum eſt ratio. Utrobique enim arbitrium regnat, ſive juxta tertiam determinationes datas in alias ſimiles convertas, ſive juxta quartam datis alias ſuperaddas: noſtrum autem arbitrium nullam rebus exiſtendi neceſſitatem imponit. Licet e. gr. ſpatium tribus lineis rectis comprehendi poſſit, inde tamen nondum liquet, quod etiam quatuor, quinque aut pluribus quotcunque aliis terminari queat. Et quamvis tres lineæ rectæ ſpatium comprehendant; inde tamen nondum apparet, quod inter ſe æquales eſſe poſſint. Tales itaque definitiones poſſibiles eſſe demonſtrandum eſt: id quod Geometræ circa figuras præſtant, dum earum conſtructionem tradunt.

§. 25. Definitiones reales vel a priori inveniuntur, vel a poſteriori innoteſcunt. A priori definitiones reales inveſtigabis, ſi ex plurium poſſibilium, quæ tibi innotuerunt, combinatione novum quoddam poſſibile producis, e. gr. ex combinatione machinarum ſimplicium machinam quandam compoſitam, cujus nullam antea habebas notionem. Et in hac quidem methodo caſui perſæpe aliquid datur. Exemplo eſt compoſitio teleſcopii per fortuitam combinationem lentis convexæ cum concava detecta, narrante *Borello.*

§. 26. Difficilius idem præſtatur, ſi ex data definitione nominali realis invenienda. Hoc enim in caſu notiones diſtinctas eorum evolvere tenemur quæ in iſta continentur, ut appareat, qualia ad rei formationem requirantur; poſtea cognitiones jam ante acquiſitas mente recolere debemus, viſuri num talia ſuccurrant, per quæ rei formationem concipere licet. E. gr. datur in Aſtronomia definitio nominalis Eclipſis Lunæ, quod ſcilicet ſit privatio luminis Lunæ plenæ; invenienda eſt definitio realis ejuſdem. Lumen igitur lunare & plenilunium meditari debemus. Ubi iſtud a Sole ſecundum lineas rectas in corpus lunare incidere & tempore plenilunii Ecliptici Lunam Soli diametraliter opponi, adeoque Tellurem duobus hiſce corporibus interpoſitam in locum Soli oppoſitum projicere umbram ſuccurrit; haud difficulter innoteſcit, Eclipſin Lunæ oriri, ſi ea umbram terræ ingrediatur.

§. 27. A poſteriori definitiones reales innoteſcunt, ſi rei formationi præſentes attendimus. E. gr. Si quis videat in campo circulum deſcribi, fune circa clavum fixum in gyrum acto; is geneſin circuli concipit per motum lineæ rectæ circa punctum fixum.

§. 28. Ad definitiones reales quoque pervenitur, dum compoſitum totum in ſuas partes ſimplices reſolvitur, quod in organicis potiſſimum locum habet. Hac ratione e. gr. ſtructuram machinæ jam extantis aſſequimur.

§. 29. Circa hoc definitionum genus duo conſideranda ſunt, antequam de illarum poſſibilitate judicare licet, nempe 1°. utrum ea exiſtant aut exiſtere poſſint, nec ne, quæ ad geneſin rei concurrere aſſumimus; 2°. num ab iis proficiſci queant, quæ in formatione rei iisdem tribuimus: id quod ex natura definitionis realis (§. 18.) liquet. Horum vero certitudinem vel experientia, vel eorum, quæ per conſequentias legitimas alio tempore deduximus, reminiſcenniſcentia conſequimur. Ita, e. gr. in definitione circuli ſuperius (§. 27.) tradita per experientiam claret, lineam rectam circa punctum fixum in gyrum agi poſſe. Aſt in definirione Eclipſis Lunaris ratione, experientia licet ſtipata, aſſequimur, Lunam Telluris umbram ingredi poſſe.

§. 30. Definitiones tam reales, quam nominales cum in ſe conſiderari, tum inter ſe conferri poſſunt. Quicquid ex conſideratione eorum, quæ in una definitione continentur, immediate deducitur, *Axioma* vocatur, ſi quid rei convenire, aut non convenire enunciet; *Poſtulatum* vero, ſi quid effici poſſe affirmet vel neget. E. gr. Ex geneſi circuli liquet, omnes rectas ex centro ad peripheriam ductas inter ſe æquales eſſe, cum unam eandemque lineam in diverſo ſitu referant. Hæc adeo propoſitio in axiomatum numero habetur. Aſt dum per eandem definitionem intelligitur, ex quovis puncto quovis intervallo circulum deſcribi poſſe: id inter poſtulata collocatur.

§. 31. Quoniam igitur axiomatum & poſtulatorum veritas per intuitum definitionum, ex quibus fluunt, cognoſcitur, demonſtratione nulla indigent. Vera enim eſſe intelliguntur, quam primum realitas definitionum fuerit evicta. Et hoc intuitu *propoſitiones per ſe notæ*, item *ex terminis manifeſtæ* dicuntur.

§. 32. Multi hac axiomatum proprietate abutuntur, dum præmiſſas ſyllogiſmorum, quas probare neſciunt, pro axiomatibus venditant. Hinc videas in axiomatum numerum referri propoſitiones, quas ſine probatione non admittunt intelligentes. Equidem negandum non eſt, ipſum *Euclidem*, qui in demonſtrando ſe virum præſtitit, propoſitiones utique demonſtrabiles in axiomatum numerum retuliſſe, propterea quod æqualitatis, congruentiæ, lineæ rectæ aliarumque rerum notiones explicare non poterat: monuimus tamen jam in ſuperioribus (§. 11.), ipſum non ſuppoſuiſſe niſi propoſitiones, quarum certitudo ſtatim cuique patet per recordationem vel maxime confuſam eorum, quæ olim ſæpius experti ſumus aut etiamnum, ſi ita viſum fuerit, denuo extemplo experiri poſſumus, immo quibus in judicando tantum non quotidie utuntur omnes, quale e. gr. eſt, quod eidem tertio æqualia ſint æqualia inter ſe; item quod figuræ & lineæ rectæ ſibi mutuo congruentes ſint æquales. *Euclidis* igitur exemplum abuſum, quem taxamus, minime tuetur.

§. 33. Notandum nimirum, eo minorem fieri axiomatum numerum, quo ſufficientius notiones evolvuntur. Immo ſi verum fateri fas eſt, vera axiomata non ſunt niſi propoſitiones identicæ.

§. 34. Cum axiomatibus & poſtulatis etiam Experientiæ nonnunquam confunduntur. *Experiri* autem dicimur, quicquid ad perceptiones noſtras attenti cognoſcimus, e. gr. dum, accenſa candela, conſpicua fieri videmus quæ ante non apparebant.

§. 35. Experientiæ itaque ſunt rerum ſingularium, quoniam nonniſi res ſin-

gulares

gulares percipimus. Quamobrem ad illas provocans casum singularem in medium proferre tenetur, nisi vel sensui, vel memoriæ fuerint obviæ: id quod in Mathesi exactissime observatur. Neque enim, e. gr. in Astronomia Solis orientis & occidentis observationes recensentur, utpote quotidianæ ac omnibus satis notæ. Diametri vero apparentis Planetarum observationes, a diversis Astronomis, tempore diverso, diversisque instrumentis celebratæ, fideliter referuntur, cum non in cujusvis potestate existant.

§. 36. Mathematici quoque experientias a conclusionibus inde deductis accurate distinguunt, aliis ut plurimum has cum istis confundentibus. E. gr. Quod, candela accensa, corpora, quæ ante non apparebant, in conspectum prodeant, per experientiam innotescit. Quodsi vero perpendens, lumen in causa esse, cur tenebris discussis appareant, & una expendens rerum naturalium eodem modo se habentium eundem esse effectum, infero; Quicquid lumine collustratur, videri potest: hæc propositio non in experientiarum, sed conclusionum per legitimam consequentiam inde derivatarum numerum referenda.

§. 37. Istiusmodi conclusiones omissis experientiis commemorantur, si modus, quo ex his eliciuntur, omnibus fuerit cognitus atque perspectus. E. gr. Maximam Solis declinationem non immediate metimur, sed ex data elevatione Æquatoris & altitudine meridiana Solis in solstitio invenimus. Proprias igitur de ea observationes traditurus, non altitudinem Solis meridianam in solstitio observatam annotet opus est, sed sufficere potest, ut ipsam declinationem statim indicet. Si enim constet, quantam elevationem Æquatoris assumserit; nec quanta meridiana fuerit altitudo Solis ignoratur. Quod si vero non appareat, quomodo propositio data ex prævia quadam experientia eliciatur; casus singularis omnino adducendus, ut ratio deductionis ad examen revocari possit. Quod enim aliquid perceperis, cum demonstrare nequeas; ut credatur, jure poscis: sed quomodo unum ex altero deductum fuerit, cum rationis examini subsit, ut fides deductis habeatur, sine ratione flagitas.

§. 38. Propositio theoretica ex pluribus definitionibus inter se collatis eruta *Theorema* appellatur. E. gr. Si in Geometria triangulum cum parallelogrammo super eadem basi & ejusdem altitudinis confertur, & partim immediate ex ipsis eorundem definitionibus, partim ex aliis ipsorum proprietatibus jam ante erutis infertur; Parallelogrammum esse trianguli duplum: ea propositio in theorematum numerum referenda.

§. 39. Duo autem sunt, quæ in omni theoremate attentionem merentur, *Propositio* nempe atque *Demonstratio*. Ista quidem enunciatur, quid rei cuidam sub certis conditionibus convenire possit, quid non: in hac autem rationes exponuntur, ob quas intellectus illud ipsi convenire concipere valet.

§. 40. Absolute possibile non est nisi ens à se: reliqua vero omnia tantum admisso alio possibilia esse intelliguntur, hoc est, nil eorum est sine quadam conditione. Hæc igitur in propositione una exprimenda. E. gr. Triangulum est dimidium parallelogrammi, si bases & altitudines fuerint sigillatim æquales. In propositione itaque tam basium, quam altitudinum æqualitas exprimenda. Hinc quælibet propositio in *Hypothesin* & *Thesin* commode distinguitur: quarum ista conditiones recenset, sub quibus aliquid affirmatur, vel negatur; hæc vero complectitur, quod vel affirmatur, vel negatur. E. gr. in propositione allata hypothesis est, *si triangulum & parallelogrammum super æquali basi & ejusdem altitudinis existant*; thesis autem, *illud hujus dimidium est.*

§. 41. Notandum vero, si in ipsa rei definitione conditiones, de quibus dixi, continentur, hypothesin distincte non exprimi. E. gr. Si tres in triangulo anguli 180. graduum dicantur; hypothesi carere videtur propositio: quæ tamen statim comparet, si pro voce trianguli definitionem ejus substituas. Ita enim habet propositio: si quædam figura tribus lineis rectis terminatur, tres habet angulos junctim sumtos duobus rectis æquales. En hypothesin, quæ urget, ut tres lineæ rectæ spatium comprehendant.

§. 42. Datur autem in propositione affirmativa necessarius nexus inter hypothesin atque thesin; in negativa autem nullus concipi potest, sed hæc illi repugnat. Quoniam scilicet in subjecto deprehenditur, quod hypothesis involvit; ei quoque convenire debet, quod in thesi continetur. E. gr. in hoc theoremate, quod *triangulum sit dimidium parallelogrammi super eadem basi & ejusdem altitudinis*, primum triangulo tribuimus basin & altitudinem basi ac altitudini parallelogrammi æquales; dein asserimus, quod sit parallelogrammi dimidium. Posterius concipitur propter prius.

§. 43. Nexum inter thesin & hypothesin in propositionibus affirmativis; repugnantiam in negativis *Demonstratio* manifestat. Eorum igitur definitiones, quæ in hypothesi ac thesi continentur, eorundemque proprietates ex istis derivatæ aut aliunde cognitæ demonstrationum principia existunt. Quoniam vero in Mathesi principia non admittuntur, nisi quæ ante fuerunt evicta; definitiones ac propositiones, quibus demonstrationes superstruuntur, citari solent, partim ut appareat, genuina principia adhiberi; partim ut ignaris constet, unde ipsorum certitudo haurienda.

§. 44. Enimvero citationes definitionum, axiomatum, postulatorum, theorematum & problematum non exiguum habent usum, nec sine ratione in Mathesi singulis cogitationum generibus singula nomina imponuntur. Demonstratio namque non convincit nisi principiis demonstrandi extra dubitationis aleam positis. Quamobrem ex citationibus liquet, quænam tanquam vera supponenda sint, antequam veritatis propoſitionis datæ convinci poſſis. Et quoniam definitiones primi conceptus exiſtunt, axiomata vero ex iis immediate deducuntur, theoremata vero vel immediate, vel mediate ex iiſdem derivantur; ex nomine veritatis cujuſlibet, ad quam in demonſtratione provocatur, ſtatim addiſcitur, utrum multa ſupponenda ſint, nec ne, & quo ordine ſit procedendum, ut convictio locum habeat. Immo cum ad veritatem definitionum, axiomatum & poſtulatorum, theorematum & problematum dijudicandam peculiaribus artificiis opus ſit; nomina veritatum citatarum ſimul methodos in memoriam revocant, quibus principia demonſtrandi perſuadeas convincendo.

§. 45. Non alia vero eſt ratio ex principiis concluſiones inferendi, quam quæ in omnibus libellis Logicis, ubi de ſyllogiſmo agitur, dudum expoſita. Sunt enim demonſtrationes Mathematicorum congeries quædam enthymematum, ita ut omnia vi ſyllogiſmorum concludantur, omiſſis ſaltem præmiſſis, quæ vel ſponte meditanti occurrunt, vel per citationes in memoriam revocantur. Perfecta autem ut ſit demonſtratio, præmiſſæ ſyllogiſmorum novis ſyllogiſmis tamdiu probandæ ſunt, donec perveniatur ad ſyllogiſmum, in quo præmiſſæ ſunt vel definitiones, quas jam conſtat eſſe poſſibiles, vel propoſitiones aliæ identicæ.

§. 46. Equidem demonſtratu haud difficile foret, (*a*) genuinam demonſtrationem, quæ convictionem plenariam pariat, fieri non poſſe, niſi cogitationes noſtræ juxta regulas ſyllogiſticas dirigantur; his tamen ambagibus in præſenti opus non eſt. Cum enim de quæſtione facti diſputemus; exempla allegaſſe ſufficit. Scilicet non ignotum eſt, *Clavium* demonſtrationem propoſitionis primæ Elementi primi *Euclidis* in ſyllogiſmos reſolviſſe: immo *Herlinum* atque *Daſipodium* ſex priora Elementa *Euclidis* & *Heniſchium* integram Arithmeticam per ſyllogiſmos in forma exhibitos demonſtraſſe.

§. 47. Equidem non ignoro, eſſe hac noſtra præſertim ætate non paucos, qui ſibi perſuadent, demonſtrationum mathematicarum formam à legibus ſyllogiſmorum abhorrere, multo minus concedere, illas vim omnem ad convincendum ab his unice habere; ſed nec me latet, contrarium videri Viris non modo præclara judicii vi pollentibus, ſed & attentione magis ſevera utentibus; quorum autoritas me permovit, ut eam in rem penitius inquirerem & ſic præjudicium ex præcipitantia in judicando ortum cognoſcerem. Fatetur certè *Leibnitius*, (*b*) vir in Matheſi & omni eruditione reliqua ſummus, *firmam eſſe demonſtrationem, quæ præſcriptam à Logica formam ſervat.* Similiter *Johannes Walliſius*, Mathematicus profundus, (*c*) agnoſcit, *id, quod in Matheſi proponitur probandum, ſyllogiſmi unius pluriumve ope deduci.* Immo ingenioſiſſimus etiam *Hugenius* (*d*) obſer-

(*a*) Oſtendimus id in *Logica* §. 551. & ſeqq.

(*b*) *Acta Erudit.* A. 1684. p. 541. conf. *Eſſais de Theodicée* p. 37. 40. 41. 73. (*c*) Operum Mathem. Vol. 3. f. 180. hoc eſt Logic. lib. 3. c. 22. (*d*) *Acta Erudit.* A. 1711. p. 477.

observavit, *paralogismos in Mathesi sæpius vitia formæ existere.* Verum enimvero ne autoritatibus magis, quam rationibus (*e*) pugnare videar (quanquam in hoc argumento maximum pondus habeat tantorum virorum autoritas,) fontes præjudicii vulgaris retegere libet. Quamdiu scilicet in Mathesi versamur, figuris & characteribus in ratiocinando juvamur, ex quarum inspectione non minus, quam ex aliarum propositionum citatione multæ præmissæ syllogismorum supplentur: ad quod si non satis attendatur, quam sancte in demonstrationibus mathematicis leges syllogismorum custodiantur non apparet.

§. 48. *Problemata* facienda proponunt & tribus partibus constant, *Propositione* scilicet, *Resolutione* ac *Demonstratione.* In propositione, quid fieri debeat, indicatur. In resolutione singuli actus ordine decenti recensentur, quibus efficitur, quod erat faciendum. Denique in demonstratione evincitur, factis iis, quæ resolutio præcipit, effectum intentum obtineri. Quoties itaque problema demonstrandum, in theorema convertitur, cujus hypothesin resolutio, thesin vero propositio constituit. Generalis enim omnium problematum demonstrandorum (ut jam innuimus) tenor hic est: Factis iis, quæ resolutio præcipit, illud quoque efficitur, quod erat faciendum. Quare non opus est, ut de problematibus plura dicantur.

§. 49. Rationes subinde non desunt, cur ad casus speciales applicentur propositiones generales, & ex quibusdam propositiones sæpe alias prona consequentia deducere licet. Quæ utroque modo eruuntur propositiones *Corollaria* nuncupantur.

§. 50. Primum corollariorum genus demonstratione non indiget. Quod enim in genere de omnibus in universum casibus demonstratum fuit, de hoc vel isto in specie ut denuo demonstretur opus non est. E. gr. ubi de omnibus triangulis ostensum, tres angulos eorum una sumtos duobus rectis æquari; idem in specie de triangulis rectangulis confirmari haud debet. Ast alterum corollariorum genus demonstrationem requirit. Quotiescunque nimirum ex aliis propositionibus aliquid infertur, ratio illationis indicanda. E. gr. Si theoremati, cujus modo mentionem feci, hoc corollarium subjungatur; *in triangulo rectangulo unus saltem actu rectus esse potest:* ratio illationis non negligenda, quod scilicet, positis duobus actu rectis, tertius nihilo æqualis foret.

§. 51. In *Scholiis* denique tam definitionibus, quam propositionibus earumque corollariis subjungi solitis, obscura declarantur, ad dubia respondetur, usus doctrinarum indicatur, historia ac fontes inventionum describuntur, &, si qua alia scitu nec injucunda, nec inutilia occurrunt, inseruntur.

§. 52. Explicatam hactenus methodum qui probe perpendit, ejus universalitatem haud dubie agnoscet nec diffitebitur, sine ea ad solidam rerum cognitionem

(*e*) Vide eas in *Logica* §. 551. & seqq.

tionem perveniri haud quaquam posse. Dicitur vero *Methodus mathematica*, immo sæpius *Geometrarum methodus*, quia huc usque Mathematici fere soli, in Geometria inprimis, ejus leges sancte custodiverunt. Quanquam enim non defuerint, qui eandem aliis disciplinis applicare studuerunt; conatui tamen ipsorum eventus minime respondit. Etenim nunc notiones non satis evolverunt, nunc sine probatione assumserunt quæ maxime probari debebant, nunc per saltum ratiocinati sunt, inferentes nimirum, quæ nullo argumento inferri possunt.

§. 53. Explicatæ methodi legibus cum ex asse satisfiat in Mathesi præsertim pura, non ex vano prædicatur, quod Mathemata judicium acuant, hoc est, quod eorum cultores promptitudinem acquirant veritatem quamlibet, ad quam cognoscendam animum appellunt, accuratius, quam alii solent, dijudicandi. Exercitio enim comparatur judicandi etiam ac ratiocinandi habitus, quale demonstrationum mathematicarum meditatio censeri debet.

§. 54. Fructus igitur, quem ex studio Matheseos maximum percipere licet, participes non fiunt, quotquot praxes quasdam mathematicas aliasque parum mathematici habentes, vulgo tamen ad eandem referri solitas, addiscunt. Licet enim in vita communi utiles existant; neminem tamen judicii acumine ac inveniendi habitu beant, quia *per §. præc.* hæc non nisi à seria demonstrationum meditatione expectare licet.

§. 55. Superest ut ad objectiones duas respondeam, quas contra methodum Geometrarum nonnulli afferre solent, præsertim cum satis prævideam non defuturos, qui easdem contra Elementa mea Matheseos urgebunt. Nempe vitio vertitur Geometris, 1. *quod multa definiant, quæ definitione non habent opus, & quod multa probent, quæ probatione non indigent*: 2. *quod ordinem, quo generaliora & simpliciora specialibus & compositis præponi necesse est, negligant, nec ad unum argumentum pertinentia uno loco absolvant.*

§. 56. Objectioni primæ ut satisfiat, explicandum est, quando definitiones sint superfluæ & quales esse debeant propositiones, ut probatione non indigeant: id quod ex fine definitionum atque indole demonstrationum redditur manifestum. Definitiones nimirum hunc habent usum, ut vel subsequentibus aliis intelligendis inserviant, vel principia demonstrandi præbeant. Ostendant igitur adversarii, *Euclidem* aut Geometram alium ullam dedisse definitionem, qua nec ad subsequentes explicandas, nec in propositionibus demonstrandis utuntur. Quamdiu vero exempla istiusmodi in medium afferre nequeunt, Geometras reprehendere desinant, quod nimii sint in definiendo, & suum potius errorem agnoscant, quod definitionibus non alium tribuant usum, nisi qui in rebus definitis agnoscendis & ab aliis distinguendis consistit. Diximus porro superius, præmissas syllogismorum tamdiu continuandas esse, donec ad definitiones, quas jam constat esse possibiles, & propositiones

tiones identicas perveniatur. Sine ratione itaque non admittuntur nisi propositiones identicæ ac experientiæ claræ, in quibus notiones primæ fundantur. Reliquæ propositiones omnes sunt demonstrandæ. Ostendant igitur adversarii *Euclidem* aut Geometram alium propositiones identicas & notiones in experientiis claris fundatas demonstrasse. Quamdiu vero hujusmodi exemplum nullum in medium afferre valent; Geometras reprehendere desinant, quod probent, quæ probatione non indigere ipsis videntur, & potius discant, quod in demonstrando nunquam nimis accurati esse possimus, præsertim ubi extra Mathesin versamur, nec ut ibi figuris ac characteribus in ratiocinando juvamur.

§. 57. Quoniam igitur rigor in demonstrando laudi ducitur Geometris (§. 56.); nec ordo jure taxatur, quo sine in demonstrando accurati esse nequimus. Eo nimirum ordine singula proponenda sunt, quo unum ex altero facilius infertur. Quare cum satis experiamur, id fieri minime posse, si in unum cumulum congerantur, quæ de subjecto eodem cognosci possunt; *ordo scholæ* Philosophis vulgaribus relinquendus & à Geometris aliisque, quibus res profundius meditari datum est, *ordo naturæ* retinendus.

FINIS.

ELEMENTA

ELEMENTA ARITHMETICÆ.

PRÆFATIO.

NON dubito fore aliquos, qui mirabuntur, quod Elementa Matheſeos univerſæ conſcribens MATHESIN UNIVERSALEM prætermittam. Enimvero quam perperam nonnulli Matheſin univerſalem appellant, eam ego ab Arithmeticâ diverſam non agnoſco. Quantitates enim, quarum affectiones & relationes in eâ conſiderant, pro numeris indeterminatis habeo: quæ etiam ratio eſt, cur non aliæ ipſarum, quam numerorum ſint affectiones ac relationes. Ea igitur, quæ in Matheſi univerſali vulgo tractari ſolent, ego in Arithmeticâ pertracto: quò rationum potiſſimum doctrina ſpectat. Calculum tamen numerorum indeterminatorum, quem LITTERALEM appellare ſolent, non integrum trado, quia in demonſtrationibus Arithmeticis & Geometricis integro opus non habeo. Plenior adeo explicatio ANALYSI reſervatur. Nec rationum doctrinam ope calculi hujus ſolius demonſtro, quia cum rigore demonſtrandi, quem mihi obſervandum propoſui, ea demonſtrandi ratio non ſubſiſtit, utpote in quâ multa communiter ſine probatione aſſumuntur, quæ & à veteribus demonſtrata, nec mihi ſine probatione concedi poſſe viſa ſunt, ubi ſolidam doctrinam cordi habueris. Ve-

ram-

ram autem MATHESIN UNIVERSALEM in desideratorum numero colloco, eam nempe, quæ leges metiendi generales & ad omnium rerum quantitatem determinandam mensuras convenientes præscribit: nec repertu adeo facilem judico. Cæterum quæ commodiùs ope calculi litteralis eruuntur, nec ad communis Geometriæ elementa intelligenda necessaria sunt; ea ad Analysin rejeci. Tyrones sub initium praxes arithmeticas solas cum definitionibus sibi familiares reddere debent, theorematibus problematumque demonstrationibus omissis. In calculo exercitati theoremata ad multa exempla numerica applicent, ut non modo eorum sensum clare perspiciant, sed eadem quoque memoriæ firmiter infigant, quò in promptu sint, quoties iis vel ad demonstrandum, vel ad inveniendum opus est. Iis intellectis problematum demonstrationes expendere, ac his perceptis inoffenso pede ad theorematum demonstrationes progredi licebit. Absit autem, ut quis arbitretur, omnibus calcandam esse hanc semitam. Quorum enim est major mentis acies, congenita vel aliis studiis acquisita, & faciliùs conservatur attentio; illi elementa integra eo ordine perlegere possunt, quo conscripta sunt. Usus Arithmeticæ per disciplinas reliquas omnes se diffundit. Ea igitur reliquis omnibus præmittenda fuit & ante eas cum curâ addiscenda est. Quantus Arithmeticæ in vitâ civili usus sit, experientia loquitur: quantus in Physicis & aliis Philosophiæ partibus, experientur quotquot, Mathesi absolutâ, solidam extra eam doctrinam quærere allaborabunt. Quantùm denique in perficiendo intellectu possit, in ipsâ pertractatione hinc inde annotavimus, &, si quis culturam convenientem studio Arithmetico non negaverit, experientia optima erit Magistra.

ELE-

ELEMENTA ARITHMETICÆ.

CAPUT PRIMUM.

De Principiis Arithmeticæ.

DEFINITIO I.

1. ARITHMETICA est numerorum scientia. Pars ejus *practica* est scientia computandi, hoc est, ex quibusdam numeris datis inveniendi alios, quorum ad cognitos relatio datur; ut si fuerit inveniendus numerus, qui duobus 6. & 8. junctim sumtis æqualis est.

SCHOLION.

2. *Patet adeo, Arithmeticam practicam esse methodum inveniendi specialem. Ab eâ igitur, si rite meditemur, regulas inveniendi generales abstrahere licet. Particularis enim methodus in applicatione regularum generalium consistit. Dederunt aliqua huc spectantia* Cartesius *cum in Tractatu de methodo, tum in iis, quæ de ingenii directione inter posthuma habentur, &* R. P. Malebranchius *in egregio opere de inquirenda veritate. Plura, quamvis paucis, nos damus infra (§. 125.).*

DEFINITIO II.

3. *Unum* est, quod ita est aliquid, ut aliud præterea idem esse nequeat. Illustris *Leibnitius* unum sic definit: Si A sit B, nec præterea D ponatur B, nisi A & D idem sint, ponetur B unum.

DEFINITIO III.

4. *Unitas* est abstractum, per quod dicimus unum.

DEFINITIO IV.

5. *Unitates eædem* sunt, quæ per eandem notionem agnoscuntur: *diversæ* sunt, quæ agnoscuntur per diversas.

SCHOLION.

6. *Ponamus e. gr. A esse globum lapideum, B similiter esse globum lapideum alium: erunt A & B unitates eædem. Sed si A fuerit globus lapideus, C plumbeus: erunt A & C unitates diversæ. Quodsi A, B & C tantum ut globos consideres, erit etiam C eadem unitas cum A & B.*

DEFINITIO V.

7. Si A sit unum, B sit unum, C sit unum, D sit unum &c. nec tamen B, C, D &c. sint idem cum A; erunt A, B, C, D &c. *Plura* seu *Multa*.

DEFINITIO VI.

8. *Multitudo* est abstractum, per quod dicuntur plura.

DEFINITIO VII.

9. Si A sit idem cum B, C & D simul sumtis, dicetur A *Totum*; B vero C & D dicentur ejus *Partes*, & intuitu partis B reliquas C & D &c. *Complementum ad Totum* vocabimus.

DEFINITIO VIII.

10. Quicquid refertur ad unitatem ut linea recta ad aliam rectam, *Numerus* dicitur.

SCHOLION I.

11. *Nempe si pro unitate linea recta sumatur; numerus quoque exprimi potest per rectam: id quod infra in Geometria & Analysi abunde patebit.*

SCHOLION II.

12. *Numerus autem adeo generaliter definiendus, ut sub eadem definitione numeros cum integros, tum fractos, tam rationales, quam irrationales comprehendere valeamus.*

DEFINITIO IX.

13. *Numerus determinatus* est, qui refertur ad unitatem datam, ut ternarius. *Indeterminatus* est, qui refertur ad unitatem vagam, diciturque *Quantitas.*

SCHOLION.

14. *In quantitatum numerum refertur latitudo fluvii. Quodsi quæsiveris, quanta ea sit; quantitatem concepturus unitatem quandam ad arbitrium assumit & illius ad hanc relationem quærit, ac pro diversa unitate assumta per diversum numerum determinatum latitudinem fluvii enunciat. Latitudo igitur fluvii inter quantitates collocatur, quatenus refertur ad unitatem vagam: qua determinata, per numerum determinatum distincte intelligitur.*

DEFINITIO X.

15. *Æqualia* sunt, quorum unum alteri salva quantitate substitui potest. *Inæqualia* sunt, si pars unius alteri toti substitui potest.

COROLLARIUM I.

16. Quoniam pars unius inæqualium alteri toti substitui potest; quod vero alteri, salva nempe quantitate, substitui potest, alteri æquale est (§. 15.); pars unius inæqualium alteri toti æqualis est.

COROLLARIUM II.

17. Similiter cum unum inæqualium pro alterius parte substitui possit (§. 15.): erit idem alterius parti æquale.

HYPOTHESIS I.

18. *Signum æqualitatis est* $=$.

SCHOLION.

19. *Hoc signo primus usus est* Hariotus *Anglus* (*a*), *& hodie plerique eodem utuntur. Nonnulli cum* Cartesio *adhibent Signum sequens* ∞ ; *quidam etiam alia. Apud Autores* Harioto *antiquiores nullum æqualitatis signum occurrit.*

DEFINITIO XI.

20. *Majus* est, cujus pars alteri toti æqualis est: *Minus* vero, quod parti alterius æquale.

COROLLARIUM.

21. Cum pars unius inæqualium A alteri toti B æqualis sit (§. 16.) & vicissim B æquale parti ipsius A (§. 17.); inæqualium unum A majus, alterum B minus est (§. 20.).

HYPOTHESIS II.

22. *Signum majoritatis est* $>$; *minoritatis* $<$.

SCHOLION.

23. *Signis his itidem primus usus est* Hariotus (*b*). *Eum secuti celeberrimus* Wallisius (*c*) *&* R.P. Lamy (*d*). *Aliis alia placent: plerisque nulla sunt.*

DEFINITIO XII.

24. *Similia* sunt, in quibus ea eadem sunt, per quæ à se invicem discerni debebant. *Dissimilia* sunt, in quibus ea diversa sunt, per quæ à se invicem discerni debent. Atque adeo *Si-*

militudo

(*a*) In Artis Analyticæ praxi, Sect. 1. f. 10.
(*b*) Loc. cit. (*c*) Vide Arith. c. 35. f. 186. Vol. 1. Oper. Mathem. (*d*) Elementis Geometriæ lib. 3. sect. 5. p. 177. Edit. Par. 1710.

militudo est identitas; *Dissimilitudo* diversitas eorum, per quæ res à se invicem discerni debent.

COROLLARIUM I.

25. Nihil ergo in uno Similium deprehenditur, quod non æque deprehendatur in altero, modo sit istiusmodi ut sine alio assumto intelligi possit.

COROLLARIUM II.

26. Cum quantitas sine alio assumto per se non intelligi, sed tantum dari possit (§. 13. 14.); Similia, salva similitudine, quantitate differre possunt (§.25.), atque adeo quantitas est discrimen internum similium.

SCHOLION.

27. *Similitudinis notionem distinctam primus eruit* Leibnitius. *Dixit nempe* similia, quæ non possunt distingui, nisi per compræsentiam. *Quoniam vero terminus* compræsentiæ *plerisque obscurus videtur; aliam definitionem intellectu planiorem substituere libuit. Ceterum res* compræsentes *fiunt duplici modo, nimirum vel immediate unum alteri, vel utrique idem aliquod tertium applicando: id quod intellectu facilius evadet, si in exemplum aliquod aciem ingenii intendamus. Ponamus itaque duo horologia portatilia prorsus inter se similia esse. Illorum unum possideat* Grachus; *alterum* Cajus. *Quodsi* Cajus *in præsentia* Grachi *horologium suum depromat, næ is attonitus sibi persuadebit horologium suum esse, quod* Cajus *manu tenet; at diversum à suo agnoscet, ubi & suum depromit, hoc est horologium* Caji *à suo distinguit* Grachus *per compræsentiam, unum nempe alteri immediate applicando. Sed si locorum vel temporum intervallum inter duo ædificia similia interjectum menti una cum ipsis exhibetur; vel si dimensiones templorum aut statuarum similium ad staturam nostram aut mensuram datam aliam referimus; similia animo compræsentia sistuntur idem tertium utrique eorum applicando.*

HYPOTHESIS III.

28. *Signum similitudinis est* ∽.

SCHOLION.

29. *Commendatur in Miscellaneis Berolinensibus* (e). *Communiter nullo utuntur.*

DEFINITIO XIII.

30. *Pars aliquota* est, quæ aliquoties repetita integro fit æqualis. *Pars* vero *aliquanta* est, quæ repetita aliquoties semper vel major, vel minor est toto.

DEFINITIO XIV.

31. *Commensurabilia* sunt, quæ partem aliquotam communem habent, vel quorum unum est pars aliquota alterius. *Incommensurabilia* sunt, quorum nulla datur pars aliquota communis.

DEFINITIO XV.

32. *Quantitates homogeneæ* sunt, quarum una aliquoties sumta alteram superare potest, seu quarum una ab altera vel semel, vel aliquoties ablata tandem vel nihil, vel se minus relinquit. *Heterogeneæ* vero sunt, quarum una aliquoties sumta alteram superare nequit.

DEFINITIO XVI.

33. *Numerus numerans* est, cujus unitas denotat ens in genere: *Numerus* vero *numeratus* est, cujus unitas denotat certam quandam entis speciem, vel genus quoddam determinatum.

SCHOLION.

34. E. gr. *Si quis simpliciter dicat*, sex; *is non determinat, quænam sint illa entia, quæ numerantur, adeoque utitur* numero numerante. *Contra si quis dixerit cum addito*, sex globi aurei; *is speciem entium determinat,*

(e) Part. 3. pag. 159.

terminat, quæ numerat, adeoque utitur numero numerato. *Vocant nonnulli numerum numerantem* abſtractum; *numeratum vero* concretum.

DEFINITIO XVII.

35. *Numeri inter ſe homogenei* ſunt, qui ad eandem; *heterogenei*, qui ad diverſas unitates referuntur.

SCHOLION.

36. Hæc diviſio numerum numeratum potiſſimum reſpicit. Omnis nempe numerus determinatam quandam unitatem ſupponit (§. 10.). Determinatur ea per notionem, ad quam in numerando reſpicimus (§. 5.). E. gr. ea globi proprietas eſt, qua ab aliis corporibus diſtinguitur, quod ſingula puncta ſuperficiei à centro æqualiter diſtent. Quodſi igitur hanc unitatis notam conſtituas; ſingula corpora, quibus eadem convenit, unitatis naturam induunt, ſuntque unitates eædem, quatenus ſub hac notione continentur (§. cit.). Quodſi vero globos porro diſtinguas e. gr. per materiam, ex qua conſtant, & alios ut aureos, alios ut plumbeos ſpectes; quæ antea eædem erant unitates, nunc diverſæ evadunt. Hinc tres globi aurei & ſex globi aurei ſunt numeri homogenei inter ſe; ſed tres aurei & ſex argentei ſunt inter ſe heterogenei.

DEFINITIO XVIII.

37. *Numerus integer* eſt, qui refertur ad unitatem tanquam totum ad partem.

DEFINITIO XIX.

38. *Numerus fractus* eſt, qui refertur ad unitatem tanquam pars ad totum. Dicitur is etiam *Fractio*, itemque *Minutia*.

DEFINITIO XX.

39. *Numerus rationalis* eſt, qui unitati commenſurabilis. Vocatur etiam *effabilis*.

DEFINITIO XXI.

40. *Numerus rationalis integer* eſt, cujus pars aliquota eſt unitas.

DEFINITIO XXII.

41. *Numerus rationalis fractus* eſt, qui unitatis parti aliquotæ aut aliquot partibus aliquotis æqualis eſt.

DEFINITIO XXIII.

42. *Numerus rationalis mixtus* eſt, qui conſtat ex integro & fracto, ſeu ex unitate & fracto.

DEFINITIO XXIV.

43. *Numerus irrationalis ſive ſurdus* eſt, qui unitati incommenſurabilis. Vocatur etiam *ineffabilis*, item *geometricus*.

HYPOTHESIS IV.

44. *Si in numerando ad denarium pervenitur, initium numerandi repetatur, niſi quod denariorum numerus una exprimatur.*

COROLLARIUM.

45. Decem ergo nominibus opus eſt ad decem numeros rationales primos indigitandos & præterea aliis, quibus decadum multitudo denotetur & ita porro.

SCHOLION.

46. Lex numerandi, quam in hypotheſi tradimus, ubivis (quantum conſtat) gentium recepta, & cum a prima ætate eidem adſueverimus, indiſpenſabilis neceſſitatis videtur. Enimvero non modo Erhardus Weigelius *in Arithmetica Tetractyca oſtendit, fieri quoque poſſe, ut in numerando non ultra quaternarium progrediamur; ſed &* Illuſtris Leibnitius (*f*) *Arithmeticam binariam excogitavit, nonniſi duabus notis* 1 *&* 0 *utentem ac numerorum proprietatibus inveſtigandis aptam: cujus aliquod ſpecimen dedit* Cl. Dangi-

(*f*) Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences An. 1703. p. 175. & ſeqq. Edit. Amſtel.

Dangicourt *circa progressiones arithmeticas* (*g*). *Nimirum quoniam Arithmetica Dyadica duabus tantum notis utitur, leges progressionum numerorum dyadice expressorum facillime omnium deteguntur. Et* Carolus XII. *Rex Sueciæ, calculum sexagenarium excogitavit, referente* Emanuele Suedenborgio (*h*), *novis characteribus & numeris novisque denominationibus adinventis. Arithmetica autem decadica, qua vulgo utimur, denario digitorum numero procul dubio originem debet; digitis enim in computando utimur, quamdiu in computo nondum satis versati.*

DEFINITIO XXV.

47. Decem illa nomina, quibus in numerando utimur, sunt: *unum, duo, tria, quatuor, quinque, sex, septem, octo, novem, decem.* Iidem numeri generali *Unitatum* nomine insigniri solent, nec opus est ut definiantur. Dicuntur etiam *Digiti.* Ex decem unitatibus componitur una *Decas.* Duæ decades dicuntur *viginti*; tres *Triginta*; quatuor *Quadraginta*; quinque *Quinquaginta*; sex *Sexaginta*; septem *Septuaginta*; octo *Octoginta*; novem *Nonaginta.* Ex decem decadibus componitur *Centenarius*; ex decem centenariis *Millenarius*; ex mille millenariis *Millio*; ex mille millenariis millionum *Billio*; ex mille millenariis billionum *Trillio* &c. Denarius ejusque quævis multipla dicentur *Articuli.*

SCHOLION.

48. *Vocibus millionum, billionum, trillionum &c. utimur ad confusionem in numeris magnis evitandam, quorum distinctis notionibus formandis inserviunt.*

HYPOTHESIS V.

49. *Notæ numericæ constituantur novem sequentes*: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. *Ut vero non solum unitates, sed & decades, centenarios, millenarios &c. indigitare possimus, valor ipsis tribuatur localis, ita ut solitariæ vel in loco dextimo positæ unitates sive digitos, in secundo decades, in tertio centenarios, in quarto millenarios &c. denotent. Loca vacua repleantur cyphra* 0, *quæ scilicet sit* Nullitatis *nota.*

COROLLARIUM I.

50. Numerorum igitur partes hoc ordine se invicem excipiunt:

Unitates	
Decades	Simplices.
Centenarii	
Unitates	
Decades	Millenariorum.
Centenarii	
Unitates	
Decades	Millionum.
Centenarii	
Unitates	
Decades	Millenariorum Millionum.
Centenarii	
Unitates	
Decades	Billionum.
Centenarii	
Unitates	
Decades	Millenariorum Billionum.
Centenarii	
Unitates	
Decades	Trillionum.
Centenarii	
Unitates	
Decades	Millenariorum Trillionum &c.
Centenarii	

SCHOLION I.

51. *Characterum arithmeticorum electio arbitraria. Hinc apud varias gentes varii occurrunt; ut inter alios docent* Georgius Henischius *in libello de numeratione multiplici, vetere & recenti, atque* Guil. Beveregius *in Arithmeticæ chronologicæ libro primo integro.*

(*g*) In Miscellaneis Berolinens. p. 336. & seqq.
(*h*) Observat. miscellan. part. 4. p. 1. & seqq.

integro. Non tamen omnes æque commodi. Seligendi adeo sunt, per quos numerus quantumvis magnus facillime exprimi & computus optime absolvi potest. Quod autem notæ nunc usitatæ reliquis præstent, has cum illis conferentes experiuntur. Dicuntur subinde cyphræ, quamvis usitatius sit, ut hoc nomen soli notæ nullitatis imponatur: quem morem nos sequimur. Ab Arabibus inventæ vulgo feruntur. Sed docuit celeberrimus Wallisius (*i*), *quod* Alsepadi *Arabs in Commentario ad* Tograi *poema* Lamiat 'o l Ajam *dictum, inventionis gloriam Indis tribuat. Idem refert* (*k*), *quod Saraceni eas in Hispaniam attulerint, & quod ex Hispania in Galliam pervenerint studio* Gerberti, *monachi Floriacensis in Gallia, qui a variis dignitatibus Ecclesiasticis tandem ad Pontificatum maximum nomine* Sylvestri II. *circa* A. C. 999. *evectus, ex ipsis ejus epistolis* A. 1636. *Parisiis recusis probat.* Joannes Fridericus Weidlerus, *Mathematum apud Wittebergenses Professor clarissimus,* (*l*) *ex MSC.* Boëthii *de Geometria, quod in Bibliotheca Academiæ Altorfinæ asservatur, & in quo Noster characteres numerorum Arabicis similes expressos vidit, probare nititur, eos jam* Boëthio *fuisse cognitos, quem* A. C. 524. *vitam finiisse constat.* Wallisius (*m*) *non ignoravit, in* Boëthii, Bedæ *aliorumque antiquiorum editionibus figuras istiusmodi comparere; sed id in vetustioribus MSC. contigisse negat. Quamobrem cum* Weidlerus *MSC. cujus authoritate nititur, seculo quarto non junius existimet; criticorum est statuere, num tanta illius antiquitas admittenda sit.*

SCHOLION II.

52. *Ex collatione diversarum figurarum numeralium discant velim, qui artem inveniendi cordi habent, quantum momenti in eo situm sit, ut ars characteristica perficiatur.*

COROLLARIUM II.

53. Quodsi notis numericis substituantur litteræ ad arbitrium electæ iisque idem tribuatur valor, qui illis tribui solet (§. 49.); numerum occulte scribere licet.

SCHOLION III.

54. E. gr. *Denotent litteræ infra scriptæ in secunda serie eosdem numeros, quos designant notæ superiores supra scriptæ in prima.*

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 0.
p. s. a. c. e. h. o. i. n. g.

erit 3748 = aoci. *Hoc artificio utuntur mercatores ad designanda mercium pretia in schedulis affixis.*

PROBLEMA I.

55. *Numerum scriptum enunciare; hoc est, cuilibet characteri valorem competentem assignare.*

RESOLUTIO.

1. Numerus propositus per commata dividatur in classes, tres notas unicuique assignando, initio a dextris facto.
2. Nota dextima classis tertiæ notetur lineola transversa apici adscribenda; dextima classis quintæ duabus; dextima septimæ tribus &c.
3. Comma solitarium per millenarios, lineola transversa una per milliones, duæ per billiones, tres per trilliones, &c. nota vero sinistima classis uniuscujusque per centenarios, media per decades, dextima per unitates enuncietur (§. 50.). *Sic factum est, quod petebatur.*

E. gr. Numerus sequens.

$2''', 125, 473'', 613, 578', 432, 597$

ita enunciatur: Duæ trilliones, centum & viginti quinque millia billionum una cum quadrin-

(*i*) Arithmet. Oper. c. 9. f. 48. Vol. I. Oper. Math. (*k*) In Tract. de Algebr. c. 4. f. 11. & seqq. Vol. II. Oper. Mathem. (*l*) In Dissertatione de characteribus numerorum vulgaribus & eorum ætatibus A. 1727. publice ventilata §. 8. & seqq. p. 17. & seqq. (*m*) In Tract. de Algebr. loc. cit.

quadringentis ſeptuaginta tribus billionibus, ſexcenta & tredecim millia millionum una cum quingentis ſeptuaginta octo millionibus, quadringenta & triginta duo millia, quingenta & nonaginta ſeptem.

SCHOLION.

56. *Quantum conveniens terminorum uſus in rebus diſtincte concipiendis, ſeu ex confuſione extricandis vires intellectus humani extendat; abunde perſpicient oculatiores, ſi ad præſens problema fuerint ſatis attenti.*

HYPOTHESIS VI.

57. *Quantitates aut numeros indeterminatos litteris Alphabeti minoribus a, b, c &c. vel etiam majoribus A, B, C &c. indigitamus.*

SCHOLION.

58. *Litteris majoribus uſus eſt* Vieta (*n*): *minores introduxit* Hariotus (*o*), *quem mox imitatus eſt* Carteſius (*p*) *& nunc ſequuntur plerumque omnes.*

HYPOTHESIS VII.

59. *Fractiones per duos numeros exprimuntur, quorum alter alteri interjecta lineola ſubſcribitur. Eorum inferior, ſeu* Denominator, *indicat unitatem ſeu totum in partes diviſum; ſuperior vero, ſeu* Numerator, *numerat partes in caſu propoſito datas.* E. gr. Duæ partes tertiæ unius lineæ ita ſcribuntur $\frac{2}{3}$: ubi denominator 3 indicat, lineam eſſe in tres partes æquales diviſam; numerator 2 vero duas iſtiusmodi partes aſſignat.

SCHOLION.

60. *Neque vero mirentur tyrones, quod in numeris fractis numeratori denominator ſubſcribatur, qualis in integris non occurrit. Additur enim, ut appareat, quamnam partem aliquotam cum unitate communem habeat fractus* (§. 41.).

(*n*) In variis ſcriptis Analyticis, quæ inter Opera ejus habentur. (*o*) In Artis Analyticæ praxi. (*p*) In Geometria.

DEFINITIO XXVI.

61. *Additio* eſt inventio alicujus numeri ex duobus vel pluribus homogeneis datis, qui datis junctim ſumtis æqualis eſt. Numeri dati dicuntur *ſummandi*; quæſitus autem *ſumma* vel *aggregatum.*

COROLLARIUM.

62. Iterata ergo ejusdem numeri additio eſt inventio numeri alteri cuidam aliquoties ſumto æqualis & contra.

HYPOTHESIS VIII.

63. *Signum additionis eſt* +, *quod per* plus *efferri ſolet.* Ita 3 + 4 denotat Summam ex 3 atque 4, & pronunciatur: 3 plus 4.

DEFINITIO. XXVII.

64. *Subtractio* eſt inventio alicujus numeri ex duobus homogeneis datis, qui cum uno datorum alteri æqualis eſt. Numerus, qui ſubducitur, dicitur *Subtrahendus*; alter, a quo ſubtractio fit, *Minuendus*; qui denique invenitur, *Differentia*, a nonnullis *Reſiduum.*

HYPOTHESIS IX.

65. *Signum ſubtractionis eſt* −; *quod per* minus *efferri ſolet.* E. gr. 7−3 denotat differentiam inter 3 & 7, pronunciatur: 7 minus 3.

DEFINITIO XXVIII.

66. *Multiplicatio* eſt inventio alicujus numeri ex duobus datis, in quo toties continetur datorum unus, quoties unitas in altero. Numeri dati dicuntur *Factores*, item *efficientes*; quæſitus *Factum*, item *Productum.* In ſpecie, factorum alter, qui aliquoties ſumitur,

ſumitur, vocatur *Multiplicandus*; alter vero, qui indicat, quoties ille ſumatur, *Multiplicator*.

COROLLARIUM.

67. Quoniam itaque in multiplicatione numerus invenitur alteri cuidam aliquoties ſumto æqualis (§. 66.), iſtiusmodi autem inventio non eſt niſi iterata additio (§. 62.); multiplicatio eſt iterata ejusdem numeri additio.

HYPOTHESIS X.

68. *Signum multiplicationis eſt punctum unicum* (.) *inter factores duos medio loco poſitum, quod per* multiplicatum *effertur*. E. gr. 4. 3 denotat factum ex 4 in 3; item 7. 5. 9, factum, cujus factores ſunt 7, 5 & 9. *Litteræ ſine ullo ſigno junguntur*. E. gr. *ab* denotat factum ex *a* in *b*; *b c d* factum, cujus factores *b*, *c* & *d*.

DEFINITIO XXIX.

69. *Diviſio* eſt inventio alicujus numeri ex duobus datis, in quo toties continetur unitas, quoties datorum unus in altero. Numerus, qui dividi debet, *Dividendus*; alter, per quem fit diviſio, *Diviſor*; qui denique indicat, quoties diviſor in dividendo contineatur, *Quotus* dicitur.

SCHOLION.

70. *In multiplicatione & diviſione opus non eſt, ut numeri dati ſint homogenei, quemadmodum in additione & ſubtractione requirebatur* (§. 61. 64.). *Cum enim in additione ex duobus vel pluribus numeris componatur unus tanquam ex partibus totum* (§. 61. 9); *omnes omnino ſummandi ad eandem unitatem referri* (§. 10.), *conſequenter homogenei inter ſe eſſe debent* (§. 35.). *Quoniam vero porro liquet, ſummam, quæ fit ex numeris aggregandis, ad eandem cum ipſis unitatem referri; conſequenter iisdem homogeneam eſſe* (§. cit.); *in ſubtractione vero numerus minuendus reſpondet ſummæ, ſubtrahendus & reſiduus aggregandis ſeu ſummandis* (§. 61. 64.): *ulterius patet, in ſubtractione etiam minuendum, ſubtrahendum & reſiduum numeros inter ſe homogeneos eſſe debere. In multiplicatione contra multiplicator ad unitatem exprimit rationem, quam habet factum ad multiplicandum, ſicut in diviſione diviſor ad unitatem rationem dividendi ad quotum, adeoque opus non eſt, ut multiplicator multiplicando & facto, diviſor dividendo & quoto ſit homogeneus. Quodſi diviſor conſideretur tanquam pars dividendi, ex dictis conſtat, diviſorem eſſe dividendo homogeneum: ſed tum quotus, qui indicat, quoties pars iſta ex ſuo toto auferri poteſt, nec dividendo, nec diviſori homogeneus. Singula ſuo loco clarius patebunt.*

HYPOTHESIS XI.

71. *Signum diviſionis ſunt duo puncta* (:), *quæ per* diviſum *efferri ſolent*. E. gr. 8 : 4 denotat quotum ex diviſione 8 per 4 emergentem. Similiter *a* : *b* eſt quotus ex diviſione *a* per *b* prodiens.

DEFINITIO XXX.

72. *Numerus par* eſt, qui bifariam ſive per 2 dividi poteſt; ut 4, 12, 16.

DEFINITIO XXXI.

73. *Numerus impar* eſt, qui a pari unitate differt, ut 3 differt unitate a 2, item a 4.

DEFINITIO XXXII.

74. Numerus A *metiri*, vel juxta alios *numerare* dicitur numerum B, ſi eum ita dividit, ut quotus ſit numerus integer ſine fractione, vel ſi fuerit pars ejus aliquota. Ita 2 metitur 8 per 4.

DEFI-

DEFINITIO XXXIII.

75. *Numerus primus in se* est, quem sola unitas metitur, vel numerat, ut 5, 7, 11.

DEFINITIO XXXIV.

76. *Numerus compositus* est, quem præter unitatem alius numerus metitur. Ita 4 metitur 8 per 2, item 2 metitur 8 per 4.

DEFINITIO XXXV.

77. *Mensura numeri* est numerus, qui ipsum metitur. Ita 2 & 4 sunt mensuræ numeri 8. *Mensura maxima numeri* est numerus maximus, qui ipsum metitur. Ita 4 est mensura maxima numeri 8.

DEFINITIO XXXVI.

78. *Mensura communis duorum pluriumve numerorum* est numerus, qui singulos sigillatim metitur. Ita 3 est communis mensura numerorum 12 & 24. *Maxima* dicitur, si fuerit numerus maximus, qui omnes metitur. Ita 12 est communis mensura maxima numerorum 12 & 24; 3 vero numerorum 9 & 12.

DEFINITIO XXXVII.

79. *Numeri primi inter se* sunt, qui nullam communem mensuram habent, præter unitatem. Ita 12 & 19 sunt numeri primi inter se.

DEFINITIO XXXVIII.

80. *Numeri compositi inter se* sunt, qui, præter unitatem, communem mensuram aliam habent. Ita 12 & 15 sunt compositi inter se.

AXIOMA I.

81. *Idem est æquale sibimet ipsi.*

SCHOLION.

82. *Hujus axiomatis amplissimus est in Analysi usus.*

AXIOMA II.

83. *Quantitates homogeneæ aut æquales sunt, aut inæquales* (§. 15.).

THEOREMA I.

84. *Totum est majus qualibet sua parte.*

DEMONSTRATIO.

Cujus pars alteri toti æqualis est; id ipsum altero majus est (§. 20.). Sed quælibet pars totius parti totius, hoc est, sibi ipsi æqualis est (§. 81.). Ergo totum qualibet sua parte majus est.

SCHOLION.

85. *En exemplum Analyseos perfectæ! Continetur enim demonstratio syllogismo, cujus altera præmissa est definitio, altera vero propositio identica. Id vero Analyseos perfectæ indicium est* (§. 45. de Meth.) *Ne tyrones Logicæ, qui propositiones oblique universales ignorant, nec regulæ Logicorum de tribus syllogismi terminis vim atque efficaciam percipiunt, circa formam argumentandi hæreant, ad lineas demonstrationem applicare libet.* Sit itaque linea AB totum, linea AC ejus pars; demonstrandum erit, lineam AB esse majorem linea AC: id quod fit sequentem in modum. Cujus lineæ pars alteri lineæ toti æqualis est, illa linea altera major est (§. 20.). Sed lineæ AB pars (nempe AC) alteri lineæ AC toti (nempe sibimet ipsi) æqualis est. Ergo linea AB linea AC major (nempe totum AB parte AC majus) est. *Quod erat demonstrandum.* *Fig. 1.*

THEOREMA II.

86. *Totum est æquale omnibus suis partibus simul sumtis.*

DEMONSTRATIO.

Cum idem sit æquale sibimet ipsi (§. 81.); quod idem est cum partibus totius simul sumtis, id iisdem æquale est. Sed

Sed totum idem eſt cum omnibus partibus ſuis ſimul ſumtis (§. 9.): ergo iisdem æquale eſt. *Q. e. d.*

THEOREMA III.

87. *Quæ æqualia ſunt eidem tertio, vel æqualibus æqualia; ea ſunt æqualia inter ſe.*

DEMONSTRATIO.

1. Sit $A = C$ & $B = C$; dico eſſe $A = B$. Quoniam enim $B = C$, *per hypotheſim*, B ſalva quantitate ſubſtitui poteſt ipſi C (§. 15.). Subſtituatur adeo B ipſi C in caſu priore, ubi $A = C$: habebimus $A = B$. *Quod erat primum.*

2. Si jam porro ſit $A = B$ & præterea $C = A$, $D = B$; dico eſſe $C = D$. Quoniam enim $A = B$ & $C = A$, *per hypotheſim*, erit $B = C$ *per caſ.* 1. Quare cum porro ſit $D = B$, *per hypotheſim*, erit quoque $C = D$ *per caſ.* 1. *Quod erat alterum.*

THEOREMA IV.

88. *Si æqualibus (A & B) æqualia (C & D) addas, aggregata ($A+C$ & $B+D$) ſunt æqualia.*

DEMONSTRATIO.

$A+C = A+C$ (§. 81.). Sed quoniam $C = D$, *per hypotheſim*, poterit D ſubſtitui pro C (§. 15): quo facto, habemus $A+C = A+D$. Porro $B+D = B+D$ (§. 81.). Sed $A = B$, *per hypotheſim*. Ergo A ſubſtitui poteſt pro B (§. 15): quo facto, habemus $B+D = A+D$. Quare $B+D = A+C$ (§. 87). *Q. e. d.*

THEOREMA V.

89. *Quod uno æqualium majus vel minus eſt, etiam altero æqualium majus vel minus eſt.*

DEMONSTRATIO.

1. Sit $A = B$ & $C > A$, dico eſſe $C > B$. Quoniam enim $C > A$, *per hypotheſim*, A parti ipſius C æquale eſt (§. 20), quæ dicatur P. Porro cum ſit $A = B$, *per hypotheſim*. Erit etiam $P = B$ (§. 87). Ergo $C > B$ (§. 20). *Quod erat unum.*

2. Sit $A = B$, & $C < A$, dico eſſe $C < B$. Quia $C < A$, *per hypotheſim*, parti hujus æquale eſt (§. 20), cujus complementum ad totum dicatur P. Cum adeo ſit $P+C = A$ (§. 86) & $A = B$, *per hypotheſim* erit quoque $P+C = B$ (§. 87). Eſt itaque C parti ipſius B æqualis (§. 9); conſequenter $C < B$ (§. 20). *Quod erat alterum.*

THEOREMA VI.

90. *Si majori (B) & minori (A) idem (C) vel æqualia addas, aggregatum prius ($B+C$) majus eſt, poſterius vero ($A+C$) minus. Quodſi majori (B) majus (C) & minori (A) minus (D) addas, aggregatum prius ($B+C$) majus eſt, poſterius ($A+D$) minus.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam $A < B$, *per hypotheſim*, parti hujus æquale eſt (§. 20). Componitur ergo B ex A & parte alia (§. 9), quæ dicatur P, eſtque adeo $B = P+A$ (§. 86). Quare cum etiam ſit $B+C = P+A+C$ (§. 88.); erit $A+C$ pars ipſius $P+A+C$ (§. 9) & hinc $P+A+C > A+C$ (§. 84), conſequenter $B+C > A+C$ (§. 89.). *Quod erat unum.*

Quoniam $B > A$, *per hypotheſim*, erit

B +

$B+C > A+C$, *per demonstrata*. Similiter quia $C > D$, *per hypothesim*, erit $A+C > A+D$, *per demonstrata*. Ergo cum $A+D$ sit pars ipsius $A+C$ (§.20.); erit multo magis $B+C > A+D$ (§.84). *Quod erat alterum*.

THEOREMA VII.

91. *Si æqualia* (*A & B*) *ab æqualibus* (*C & D*) *subtrahas, quæ relinquuntur* (*C–A & D–B*) *æqualia sunt.*

DEMONSTRATIO.

$C-A=C-A$ (§.81). Sed quoniam $A=B$, *per hypothesim*, salva quantitate B pro A substitui potest (§. 15). Quod si ergo substituatur, habebimus $C-A=C-B$. Similiter $D-B=D-B$ (§. 81). Sed quia $C=D$, *per hypothesim*, salva quantitate C pro D substitui potest (§.15). Quod si ergo substituatur, habebimus $D-B=C-B$. Quamobrem $C-A=D-B$ (§. 87).

THEOREMA VIII.

92. *Si à majore* (*A*) *& minore* (*B*) *idem* (*C*) *vel æqualia subtrahas; residuum prius* (*A–C*) *majus est, posterius* (*B–C*) *minus.*

DEMONSTRATIO.

Quia $B < A$, parti hujus æquale est (§. 20). Componitur ergo A ex B & parte alia (§.9), quæ dicatur P. Itaque $A=B+P$. (§. 86), consequenter $A-C=P+B-C$ (§. 91.). Sed $B-C$ est pars ipsius $P+B-C$ (§. 9), consequenter $P+B-C > B-C$ (§.84.). Ergo & $A-C > B-C$ (§. 89.). *Q. e. d.*

THEOREMA IX.

93. *Si æqualia* (*A & B*) *per æqualia* (*m & n*) *multiplices; facta* (*mA & nB*) *æqualia sunt.*

DEMONSTRATIO.

Quia $A=B$, *per hypothesim*, erit etiam $A+A=B+B$, seu in genere $A+A+A+A$ &c. $=B+B+B+B$ &c. (88). Jam cum multiplicatio sit iterata ejusdem numeri additio (§. 67), si m & n fuerint multiplicatores, erit $A+A+A+A$ &c. $=mA$ (§. 67. 68). & $B+B+B+B=nB$ (§. §. *cit.*) Quare cum in eo casu, ubi $A+A+A+A$ &c. $=B+B+B+B$ &c. sit $m=n$; erit etiam $mA=nB$ (§. 87.). *Q. e. d.*

THEOREMA X.

94. *Si æqualia* (*A & B*) *per æqualia* (*C & D*) *dividas, quoti* (*A:C & B:D*) *æquales sunt.*

DEMONSTRATIO.

$A:C=A:C$ (§. 81). Sed quia $A=B$, *per hypothesim*, salva quantitate B pro A substitui potest (§. 15). & sic $A:C=B:C$. Ob eandem rationem $B:D=B:C$. Quare $A:C=B:D$ (§.87.). *Q. e. d.*

SCHOLION.

95. *Non dubito fore multos, quibus ridiculum videbitur aut minimum superfluum talia demonstrari, quorum casus singulares in numeris præsertim rationalibus per se evidentes videntur. Ego vero has demonstrationes maximi facio, tum quia prima & secunda (id quod supra §. 85. annotavimus)* Analyseos perfectæ; *tum quia reliquæ* Calculi universalis *ideam animo ingenerant, in talium substitutione consistentis, quæ relationes datas non mutant. Illa cavetur, ne laxius in demonstrando versemur (id quod hactenus fecerunt plerique omnes, qui extra Mathesin demonstrationes mathematicæ certitudinis dare conati sunt :) hic, si tandem in apricum produceretur, maximum foret intellectus humani subsidium.*

CAPUT II.

De speciebus Arithmeticæ in numeris integris.

PROBLEMA II.

96. *Numeros quotcunque datos addere.*

RESOLUTIO.

1. Numeri homogenei sub homogeneis, hoc est, ita scribantur, ut unitates unitatibus, decades decadibus, centenarii centenariis, &c. respondeant.
2. Sub iis ducatur linea recta, ne aggregatum cum aggregandis confundatur.
3. Sigillatim addantur unitates & summa earum ipsis subscribatur.
4. Quodsi in ea decades reperiantur, eas decadibus numerorum datorum addi oportet: decadum vero summa sub decadibus collocanda.
5. Hac operatione per reliquas numerorum datorum series continuata, habebitur summa quæsita.

E. gr. Si numeri A, B, C addendi; ita procedendum: 4 & 3 sunt 7, additis 8, prodeunt 15. Collocentur 5 sub unitatibus, & 1 decas connumeretur decadibus datis. Itaque 1 (sc. *decas*) & 6 (*decades*) sunt 7 (*decades*): additis 2, prodeunt 9; additis porro 7, habentur 16 (*decades*). Collocentur 6 sub decadibus datis, & reliquæ 10, hoc est, 1 centenarius annumeretur centenariis datis. Sunt itaque 1 & 5 (*centenarii*) 6 &, additis adhuc 5, prodeunt 11 (*centenarii*). Collocetur 1 sub centenariis datis, & 10 centenarii reliqui, hoc est, 1 millenarius addatur 3 *millenariis* datis, summaque 4 sub iis scribatur. Ita prodit summa quæsita 4165.

3578	A
524	B
63	C
4165.	

DEMONSTRATIO.

Cum unitates, decades, centenarii, millenarii &c. numerorum datorum sint partes eorumdem (§. 50); idem sunt cum omnibus numeris datis simul sumtis (§. 9). Liquet vero ex operatione, numerum inventum compositum esse ex omnibus unitatibus, decadibus, centenariis, millenariis &c. numerorum datorum. Compositus ergo est ex omnibus numeris datis simul sumtis; consequenter ipsis æqualis (§. 86), adeoque summa eorundem est (§. 59). *Q. e. d.*

SCHOLION.

97. *Unitates numerorum singulæ tamdiu per digitos repræsentantur & eorum ope additio absolvitur, donec memoriæ infigatur, quinam numerus prodeat, si unitates quotlibet cuicunque numero addas, e. gr. quod* $3 + 2 = 5$, $9 + 5 = 14$ *&c. Hoc modo talia natura docet.*

COROLLARIUM I.

98. Quoniam seriei sinisteriori tot unitates accedunt, quot decades ex summatione in proxime dexteriore emergunt (§. 96); additio minore tædio absolvetur, si ex qualibet numerorum serie tot decades deleantur, quot ex iis colligi possunt, residuum infra lineam scribatur, & numerus decadum abjectarum seriei proxime sinisteriori connumeretur.

E. gr.

E. gr. Si numeri addendi fuerint A, B, C, ita procedendum: cum 7 & 3 ſint A 10; reſiduus numerus 5 ſcribatur infra lineam & 1 connumeretur decadibus. Dic itaque 6 & 4 ſunt 10; 2 & 1 ſunt 3. Scribe 3 infra lineam & 1 repone in locum centenariorum.

8763	A
5247	B
2125	C
16135	

Quoniam vero 7 & 2 ſunt 9, porro 9 & 1 ſunt 10; adde 1 ſeriei millenariorum & reſiduum 1 ſcribe in loco centenariorum. Dic itaque 8 & 2 ſunt 10 millenarii ſeu 1 decas millenariorum, 5 & 1 vero ſunt 6. Scribe 6 in loco millenariorum & 1 in loco decadum millenariorum.

SCHOLION II.

99. *Modus hic addendi eſt maxime naturalis (§. 49): nec abſimili artificio numeri heterogenei adduntur. Ex ſerie nimirum ſpeciei minoris toties colligitur valor ſpeciei proxime majoris, quoties fieri poteſt & pro unoquoque unitas reponitur in ſerie proxime majore. E. gr. ſint expenſæ:*

Januarii	45 thal.	16 groſs.	9 num.
Februarii	60	12	3
Martii	72	13	6
Aprilis	180	19	9
Maji	55	15	6
erit ſumma	415	5	9

Cum enim 12 nummi conficiant groſſum, in ſerie nummorum additis 6 & 6, itemque 3 & 9 valor groſſi bis colligitur & relinquuntur 9. Scribuntur itaque 9 infra lineam in loco nummorum & 2 adduntur ſeriei groſſorum. Similiter quoniam thalerus 24 groſſis conſtat, in ſerie groſſorum ut ante valor thaleri ter colligitur, relictis 5. Quare denuo 5 in loco groſſorum reponuntur & 3 thaleris connumerantur. Reliqua ut in corollario aut problemate peraguntur.

COROLLARIUM II.

100. Si omnes numeri dati unitatum inſtar conſiderentur, evidens eſt inter ſummandum tot novenarios omitti, quot unitates ex ſumma ſeriei dexterioris in ſiniſteriorem transferuntur. Sic in exemplo problematis loco *quindecim* ſub unitatibus ſcribimus 5, ſub decadibus 1, quorum numerorum inſtar unitatum conſideratorum ſumma eſt 6. Unus itaque novenarius omittitur, cum ex loco unitatum in locum decadum una rejicitur decas. Similiter ſi ſumma unitatum *viginti ſeptem*; ſub unitatibus collocamus 7, ſub decadibus 2. Duo igitur novenarii omittuntur, cum 2 decades ex loco monadum in locum decadum rejiciuntur. Hinc ſolvitur

PROBLEMA III.

101. *Examinare additionem, hoc eſt, explorare, utrum numerus inventus ſit æqualis omnibus datis ſimul ſumtis, nec ne.*

RESOLUTIO.

1. Notentur a latere numeri, qui inter addendum ex ſerie qualibet dexteriore in proxime ſiniſteriorem rejiciuntur, & operatione abſolutà addantur, ut numerus novenariorum inter ſummandum omiſſorum innoteſcat (§. 100).
2. Abjiciatur præterea ex ſumma inventa novenarius, quoties fieri poteſt, abjectorumque novenariorum numerus addatur numero inter ſummandum omiſſorum: quæ ſumma una cum numero reſiduo, ſi quis fuerit, probe notetur.
3. Tandem ex numeris ſummandis, qui omnes tanquam unitates ſpectantur, novenarius abjiciatur, quo-

 ties

ties fieri poteſt, & numerus novenariorum abjectorum una cum numero reſiduo, ſi quis fuerit, denuo notetur.

Quodſi enim uterque fuerit æqualis utrique ante reperto; numerus inventus æquatur omnibus datis ſimul ſumtis (§. 91), conſequenter additio rite peracta (§. 61). *Q. e. i. & d.*

E. gr. in exemplo problematis inter ſummandum 3 novenarii omittuntur & ex ſumma reperta unus adhuc deleri poteſt: quo facto, relinquuntur 7. Sed ſi ex numeris ſummandis 4 novenarii abjiciantur, 7 ſimiliter relinquuntur. Quare additio rite peracta.

SCHOLION.

102. *Diſcrimen inter demonſtrationem & examen haud obſcurum eſt. Illa evincit per regulas præſcriptas inveniri debere numerum quæſitum; hoc docet, regulas ad caſum ſingularem rite fuiſſe applicatas. Unde apparet examinis utilitas, fruſtra obnitente* Ramo (*a*), *qui demonſtrationem cum examine confundit. Vulgo præcipiunt, ut tam ex ſumma, quam aggregandis, notis ſingulis inſtar digitorum conſideratis, abjiciatur novenarius, & ex reſidui identitate operationis bonitatem colligunt. Sed cum examen tum fallere poſſit, quando error novenarium vel ejus multiplum adæquat; ideo aliquantiſper idem immutavi, ut hunc quoque excluderet errorem. Ceterum non inutilia ſunt examina, etſi non omnes errores detegant, modo iisdem ſeſe non ſubducant, qui frequentius admittuntur.*

PROBLEMA IV.

103. *Numerum minorem e majore ſubtrahere.*

RESOLUTIO.

1. Numerus minor ea lege majori ſubſcribatur, ut homogenei homogeneis reſpondeant, quemadmodum in additione præcepimus (§. 96).
2. Sub numeris hiſce ducatur linea recta.
3. Subtrahantur ſigillatim unitates ab unitatibus, decades a decadibus, centenarii a centenariis &c. & reſidua ſingula loco conveniente infra lineam ſcribantur, nempe reſiduum unitatum ſub unitatibus, decadum ſub decadibus &c.
4. Quod ſi nota major e minore veniat ſubtrahenda, ex ſiniſteriore loco in dexteriorem transferatur unitas, quæ (§. 50) hic 10 valebit, ut ſubtractio fieri queat. Numerus vero unitate mulctatus puncto notetur, ne ipſum mulctatum eſſe obliviſcamur.
5. Si in loco ſiniſteriore cyphram reperiri contingat, unitas a numero proxime ſequente mutuetur, puncto propterea notando, ut ipſum unitate minutum eſſe conſtet. Unitas vero illa in locum dexteriorem translata decadis valorem tuebitur (§. 50). Quamobrem ubi plures cyphræ ſeſe inſequuntur, omnes hac ratione in novenarios mutentur, & numerus minor, a quo ſubtractio fieri debet, decade augeatur.

Juxta has regulas numerum quemcunque ex alio quocunque majore ſubtrahere licet.

E. gr. Si ex	9̇8.0.0.4.0.3̇4.5̇9
ſubtrahas	4 7 4 3 8 6 5 2 6 3
Differentia eſt	5 0 5 6 5 3 8 1 9 6

Demtis enim 3 ex 9, relinquuntur 6 unitates

(*a*) In Schol. Mathem. lib. 4. p. 114.

tates infra lineam scribendæ. Decades 6 ex 5 auferri nequeunt: a centenariis itaque 4 auferatur unus & ejus loco decem decades decadibus jungantur. Ablatis itaque 6 ex iis, remanent 9 decades infra lineam loco conveniente ponendæ. Centenarii 2 ex 3 subducti relinquunt 1. Millenarii 5 ex 3 auferri nequeunt: à centenariis itaque millenariorum 4 auferatur unus, qui in locum vacuum delatus cyphram in decem decades millenariorum vertet. Inde si 1 decadem in locum millenariorum transferas, habebis hic 13 millenarios, ibi 9 decades millenariorum. Subductis jam 5 ex 13, residui fiunt millenarii 8. Demtis porro 6 millenariorum decadibus ex 9, relinquuntur 3. Jam si 8 ex 3 subtrahere debes, ab 8 sinisterioribus mutuetur unitas, cujus beneficio duæ cyphræ in 9 & 3 in 13 degenerabunt, ut tandem subtractio facillime absolvatur.

Demonstratio.

Numerus inventus prodit, si unitates, decades, centenarios &c. numeri minoris ex unitatibus, decadibus, centenariis &c. majoris subducas, *vi operationis*, hoc est, si singulas partes numeri minoris à singulis partibus majoris subtrahas (§. 50). Sed singulæ partes numeri minoris simul sumtæ sunt numero minori, & partes singulæ majoris simul sumtæ sunt majori æquales (§. 86). Ergo idem relinqui debet numerus, si totum numerum minorem e toto majore subtrahas (§. 91). *Q. e. d.*

Scholion I.

104. *Si numeri heterogenei fuerint a se invicem subtrahendi; unitas mutuo petita non 10, sed tot unitates valet, quot unitates speciei minoris constituunt valorem unitatis speciei majoris.*

E. gr.	45.	thal.	16.	gr.	6.	num.
	27		23		9	
	17	thal.	16	gr.	9	num.

Nimirum cum 9 nummi ex 6 subtrahi nequeant, ex 16 grossis unus convertitur in 12 nummos, ut loco 6 habeantur 18. Subductis adeo 9 nummis ex 18, relinquuntur 9. Similiter cum 23 grossi ex residuis 15 auferri nequeant, ex 45 thaleris unus ablatus in 24 grossos convertitur: unde si subtrahantur 23, residuus est 1 grossus 15 addendus, ut residui loco ponantur 16 grossi. Denique 27 thaleri a 44 ablati relinquunt 17.

Scholion II.

105. *Quodsi numerus major e minore subtrahi jubeatur, evidens est id fieri non posse. Subtrahitur itaque minor e majore, & defectus notatur signo —. E. gr. Si quis 8 thaleros solvere debet, atque 3 nonnisi possidet: tribus solutis, 5 adhuc debet, qui per — 5 indigitantur.*

Problema V.

106. *Examinare subtractionem.*

Resolutio.

Residuo addatur subtrahendus (§. 96). Quodsi enim summa fuerit æqualis minuendo; subtractio rite peracta (§. 64).

E. gr.	980040345 9	Minuendus.
	474386526 3	Subtrahend.
	505653819 6	Differentia
	980040345 9	

Aliter.

Quoniam in subtractione residuum cum subtrahendo æquatur minuendo (§. 64). Si minuendus sumatur pro aggregato, residuum cum subtrahendo pro aggregandis (§. 61); examen per novenarium succedet ut in additione (§. 101).

Problema VI.

107. *Examinare additionem per subtractionem.*

1. Describantur in continua serie multipla

pla Septenarii centenario inferiora, nempe 7. 14. 21. 28. 35. 42. 49. 56. 63. 70. 77. 84. 91. 98. continua Septenarii additione invenienda. Eſt enim 7+7=14, 14+7=21 &c.

2. In exemplo ad examinandum propoſito, veluti

	566
8259	8259
	526
2687	2687
	3425
10946	10946

ſumantur in aggregato binæ notæ ſiniſtimæ 10 & cum multiplis ſeptenarii conferantur.

3. Multiplum proxime inferius, aut ipſe ſeptenarius, veluti in noſtro caſu, ab iſtis notis ſubtrahatur & reſiduum 3 iisdem ſuperſcribatur.

4. Juncta huic reſiduo 3 nota proxime ſequente 9, numerus inde reſultans 39 conferatur ut ante cum ſeptenarii multiplis &, proxime minori 35 inde ſubducto, reſiduum 4 ſupra ſcribatur.

5. Hæc operatio continuetur, donec reſiduum ultimum 5 ſuper nota dextima obtineatur.

6. Singulæ aggregandorum ſeries 2687 & 8259 eodem modo tractentur.

7. Reſidua ſuper notis dextimis 6 & 6 addantur & a ſumma 12 ſeptenarius vel ejus multiplum proxime inferius abjiciatur.

Quodſi reſiduum fuerit idem cum reſiduo ſuper nota dextima aggregati, velut in noſtro exemplo 5; operatio rite peracta.

D e m o n s t r a t i o.

Ad operationem attento manifeſtum eſt, tum ex aggregato, tum ex aggregandis abjici omnia multipla ſeptupli, e. gr. in noſtro caſu millenariorum, centenariorum, decadum, unitatum. Jam cum aggregatum ſit aggregandis æquale (§. 61), omnia quoque iſta multipla junctim ſumta utrobique æqualia eſſe debent (§. 86. 87). Cum adeo ab æqualibus æqualia auferantur; reſidua omnino æqualia ſint neceſſe eſt (§. 91). Quare ſi contingat, inæqualia reſidua fieri; id indicio erit, ſi examen rite inſtitutum, errorem in operatione admiſſum fuiſſe. *Q. e. d.*

A l i t e r.

1. Colligantur ſigillatim in unam ſummam ſingulæ ſeries verticales, quibus conſtant numeri ſummandi, initio facto a ſiniſtra & progrediendo verſus dextram, & quidem deſcendendo (§. 96).

2. Summæ partiales ſubtrahantur a notis ſummæ, quæ ſingulis ſeriebus reſpondent (§. 103).

Quodſi in loco dextimo, qui eſt unitatum, relinquatur cyphra, additio rite peracta.

E. gr. Sit exemplum additionis

```
 ABCD
 3579
 8462
 5376
------
17417
 1210
```

Collectis in unam ſummam notis in ſerie A, 16. ſubducatur ex 17. & reſidua 1 ſcribatur

batur sub 7. Similiter summa notarum in serie B 12 auferatur ex 14, residuo 2 sub 4 scripto. Summa notarum in serie C 20 tollatur ex 21 & residua 1 ponatur sub 1. Denique si summa seriei D 17 ex 17 subtrahatur, relinquitur 0: quod indicio est, numerum 17417 esse summam quæsitam.

DEMONSTRATIO.

Ex operatione patet, a millenariis summæ subtrahi omnes millenarios summandorum & a centenariis, decadibus, unitatibus summæ omnes centenarios, decades, unitates summandorum. Quodsi ergo operatione absoluta nihil relinquitur, summa tot præcise millenarios, centenarios, decades, unitates continet, quot numeri summandi simul sumti continent, atque adeo summa numeris summandis simul sumtis æqualis est (§. 87), consequenter additio rite peracta (§. 61).

SCHOLION.

108. *Examen primum adhuc procedere, si loco septenarii numerus alius sumatur ipsa demonstratio insinuat. Solent etiam examinis loco additionem iterare, sed diversa ratione, ita ut una vice ascendendo, altera vero descendendo summatio perficiatur, facto tamen in utraque operatione initio a dextra & progrediendo versus sinistram.*

PROBLEMA VII.

109. *Abacum Pythagoricum, hoc est, Tabulam construere, in qua facta ex singulis digitis in singulos repræsentantur.*

RESOLUTIO.

1. Latera quadrati alicujus singula in 9 partes æquales dividantur & per lineas ipsi parallelas in areolas quadratas area ejus resolvatur.

2. In serie horizontali summa & laterali sinistima scribantur novem notæ numericæ, seu singuli digiti.
3. Addantur 2 & 2; aggregatum 4 scribatur infra 2. Addantur porro 2 & 4; aggregatum 6 collocetur sub 4. Addantur 2 & 6, aggregatum 8 ponatur sub 6; & ita porro.
4. Quodsi hæc additio per reliquos digitos eadem lege continuetur, Abacus Pythagoricus construetur. *Q. e. f.*

ABACUS PYTHAGORICUS.

1	2	3	4	5	6	7	8	9
2	4	6	8	10	12	14	16	18
3	6	9	12	15	18	21	24	27
4	8	12	16	20	24	28	32	36
5	10	15	20	25	30	35	40	45
6	12	18	24	30	36	42	48	54
7	14	21	28	35	42	49	56	63
8	16	24	32	40	48	56	64	72
9	18	27	36	45	54	63	72	81

SCHOLION.

110. *Abacum Pythagoricum memoriæ mandare tenetur multiplicationem ac divisionem expedite absoluturus. Quamdiu vero memoriæ infixus non est; ad manus esse debet, quoties multiplicas aut dividis.*

PROBLEMA VIII.

111. *Numerum quendam datum per alium datum multiplicare.*

RESOLUTIO.

1. Multiplicator scribatur sub multiplicando, ut in additione (§. 96).
2. Ducatur sub iis linea recta.
3. Infra hanc ex abaco Pythagorico scribantur singula producta ex singulis

gulis multiplicandi notis in unitates multiplicatoris, similiter ex illis in reliquas hujus notas, ea quidem lege, ut decades cujuslibet producti annumerentur producto proxime sinisteriori, & productum ex multiplicando in decades multiplicatoris in loco decadum, productum ex multiplicando in centenarios multiplicatoris in loco centenariorum &c. scribere incipiamus.

4. Producta partialia addantur (§. 96). Dico aggregatum esse factum quæsitum.

E. gr. Sint factores 38476 & 35. Multiplicatore sub multiplicando scripto, duc 5 in 6, cumque factum vi abaci Pythagorici sit 30, scribe 0 sub 5 & 3 decades annumera facto ex 5 in 7, quod est 35. Additis itaque 3 ad 35, prodeunt 38. Pone 8 juxta 0 versus sinistram & facto ex 5 in 4, nempe 20, adde 3, ut prodeant 23 (scilicet centenarii). Scribe itaque 3 in loco centenariorum & 2 millenarios annumera facto 40 ex 5 in 8, ut habeatur summa 42 millenariorum. Scribe 2 in loco millenariorum; 4 vero decades millenariorum adde facto 15 ex 5 in 3, & summam 19 in loco conveniente repone. Ita habetur factum ex multiplicando in dexteram multiplicantis notam. Quodsi eadem ratione quæratur factum ex multiplicando in sinistram multiplicatoris notam 30 & producta partialia addantur; prodibit tandem factum ex 35 in 38476, nempe 1346660.

$$\begin{array}{r} 38476 \\ 35 \\ \hline 192380 \\ 115428 \\ \hline 1346660 \end{array}$$

DEMONSTRATIO.

Vi operationis & Abaci Pythagorici primus numerus intra lineas scriptus singulas multiplicandi notas, hoc est, singulas ejusdem partes (§. 50), adeoque multiplicandum ipsum (§. 9), toties continet, quoties prima multiplicatoris nota unitatem. Eodem modo patet, quod numerus secundus intra lineas scriptus multiplicandum toties contineat, quoties nota secunda multiplicantis unitatem &c. Sed cum numeri intra lineas scripti adduntur, summa iisdem æqualis est (§. 61), adeoque multiplicandum toties continet, quoties singulæ multiplicatoris notæ, hoc est, partes (§. 50), consequenter totus multiplicator (§. 9) unitatem continet. Est igitur factum ex multiplicando in multiplicantem (§. 66). *Q. e. d.*

SCHOLION.

112. *Si factoribus* cyphræ *adhæreant, producto invento eædem adjunguntur, ut ex sequentibus exemplis manifestum.*

$$\begin{array}{r} 3578 \\ 30 \\ \hline 107340 \end{array} \qquad \begin{array}{r} 4760 \\ 2000 \\ \hline 9520000 \end{array}$$

PROBLEMA IX.

113. *Lamellas Neperianas parare, quarum ope multiplicationem ac divisionem facilius absolvere licet, quam per abacum Pythagoricum.*

RESOLUTIO.

1. Ex orichalco, ligno aut charta compacta parentur lamellæ oblongæ in novem quadratula divisæ; quæ per Diagonales denuo in duo triangula singula resolvantur. *Fig. 2.*
2. In illis quadratulis ea lege scribatur tabula Pythagorica, ut notæ solitariæ aut dextræ triangulum dextrum, notæ autem sinistræ sinistrum cedat. *Sic factum est, quod petebatur.*

SCHO-

SCHOLION.

114. *Has lamellas sub initium seculi superioris invenit* Joannes Neperus, *Baro Merchistonii, Scotus, & peculiari libello descripsit, cui* Rhabdologiæ *nomen imposuit.*

PROBLEMA X.

115. *Multiplicare numerum datum per datum alium, lamellarum Neperianarum ope.*

RESOLUTIO.

1. Lamellas ita dispone, ut in fronte exhibeant multiplicandum.
2. Eis ad sinistram junge lamellam unitatum.
3. In hac quære dextimam multiplicatoris notam &
4. Ipsi respondentes numeros in quadratulis reliquarum lamellarum ita exscribe, ut in unam summam colligantur numeri in eodem rhombo obvii.
5. Eodem modo exscribe numeros reliquis multiplicatoris notis respondentes & decenter infra factores (§. 111) scribe.
6. Tandem ut ante (§. 111) facta hæc partialia in unam summam collige. *Sic f. e. q. p.*

Fig. 5. E. gr. Sit multiplicandus 5978, multiplicator 937; ex triangulo dextimo, quod dextimæ multiplicatoris notæ 7 respondet, exscribe 6 & pone infra lineam. Mox in rhombo versus sinistram proxime sequente 9 & 5 adde & summæ 14 notam dextram scribe juxta 6, sed 1 connumera 3 & 4 in rhombo ulteriore obviis. Aggregatum 8 junge jam inventis 46. Similiter in rhombo ultimo adde 6 & 5. Summæ 11 notam dextram 1 pone, ut ante, infra lineam; sinistram vero itidem 1 adde notæ 3 in sinistro triangulo deprehensæ. Summam 4 si 1846 a sinistris jungas; habebis factum ex 7 in 5978. Eodem modo reperies facta ex 5978 in reliquas multiplicatoris notas 3 & 9.

```
   5978
    937
-------
  41846
 17934
53802
-------
5601386
```

PROBLEMA XI.

116. *Numerum quemlibet per alium quemcunque sine abaci Pythagorici subsidio multiplicare.*

RESOLUTIO.

Omne artificium huc redit, ut ex simplo, duplo & decuplo per additionem, subtractionem & mediationem, singula multipla inveniantur. Nimirum numerus quilibet sibimetipsi additus producit sui *duplum*. Addatur huic simplum, summa est numeri dati *triplum*. Duplum addatur sibimetipsi, aggregatum est numeri dati *quadruplum*. Medietur decuplum, hoc est, ipse numerus datus cyphra auctus (§. 112), prodibit *quintuplum*. Quintuplo addatur simplum vel duplum, habebitur *sextuplum* vel *septuplum*. Ex decuplo subtrahatur duplum vel simplum, residuum erit *octuplum* vel *noncuplum*. Sine abaci itaque Pythagorici subsidio multiplicaturo familiaris sit sequens a *Jobo Ludolffo*, in Academia Erfordiensi nuper Mathematum Professore, in Arithmeticam primum introducta

NOMENCLATURA.

1. Simplum.	1. *Simplum.*
2. Duplum.	1 + 1 *Simplum & ſimplum.*
3. Triplum.	2 + 1 *Duplum & ſimplum.*
4. Quadruplum.	2 + 2 *Dupli duplum.*
5. Quintuplum.	$\frac{10}{2}$ *Decupli dimidium.*
6. Sextuplum.	$\frac{10}{2}$ + 1 *Decupli dimidium & ſimplum.*
7. Septuplum.	$\frac{10}{2}$ + 2 *Decupli dimidium & duplum.*
8. Octuplum.	10 – 2 *Decuplum ſine duplo.*
9. Noncuplum.	10 – 1 *Decuplum ſine ſimplo.*

E. gr. 3894.

Simplum	Duplum	Triplum
3894	3894 3894	3894 7788
	7788	11682
Quadruplum	**Quintuplum**	**Sextuplum**
7788 7788	38940	3894 19470
15576	19470	23364
Sextuplum	**Octuplum**	**Noncuplum**
7788 19470	389.4.0 7788	389.4.0 3894
27258	31152	35046

Si multiplicator ex pluribus notis conſtet, infra lineam ſcribatur multiplicandi duplum & decupli dimidium, ut beneficio *Nomenclaturæ* exinde multipla ejus erui poſſint, quæ deſiderantur. Sub ducta igitur altera linea ſcribantur more conſueto (§. 111) multiplicandi multipla.

37896 A	E. gr. Sit multiplicans 6874, multiplicandus A 37896. Infra lineam ſcribatur B ipſius A duplum & porro C decupli ipſius A dimidium. Reperies ergo 1°. D ipſius A quadruplum ſumendo duplum ipſius B; 2°. E ſeptuplum ipſius A addendo B & C; 3°. F octuplum ipſius A vel addendo C, B & A, vel
(6874)	
75792 B	
189480 C	
151584 D	
265272 E	
303168 F	
227376 G	
260497104	

B ſubducendo a decuplo ipſius A, hoc eſt ex A cyphra aucto; 4°. denique G addendo C & A.

Si multiplicator ex pluribus notis conſtet, ſæpius ex productis jam inventis per additionem vel ſubtractionem inveniri poſſunt, quæ adhuc deſiderantur, nec tum *Nomenclaturæ* propoſitæ ſtricte inhærendum, ita ut non opus ſit infra lineam demum ſcribi duplum multiplicandi & decupli ejusdem dimidium.

743) 895765482	E. gr. ſit multiplicans 743. Factum facillime invenietur, ſi multiplicando ſubſcribatur 1° duplum, 2° dupli duplum, 3° ſumma ex ſimplo, duplo & dupli duplo, & tria hæc multipla multiplicando addantur.
1791530964	
3583061928	
6270358374	
665553753126	

Similiter ſi multiplicans fuerit 789, ſub multiplicando ſcribitur decuplum ſine ſimplo, quod eſt noncuplum. Ex eo ſi denuo auferatur ſimplum, relinquetur octuplum Quod ſi & ab hoc ſimplum ſubducas, reſiduum erit ſeptuplum.

789) 8.9.5.7.6.5.4.8.2	
8.0.6.1.8.8.9.3.3.8	
7.1.6.6.1.2.3.8.5.6	
6.2.7.0.3.5.8.3.7.4	
7.0.6.7.5.8.9.6.5.2.9.8	

PRO-

PROBLEMA XII.

117. *Numerum datum per alium minorem dividere.*

RESOLUTIO.

Casus I. Si divisor unica fuerit nota,

1. Scribatur is sub nota dividendi sinistima, aut, si ea minor fuerit sub proxime sequente, ac ope *Abaci Pythagorici* investigetur, quoties in nota vel notis suprascriptis contineatur. Numerus, qui hoc indicat, ponatur dexteram versus post lunulam loco quoti.
2. Quotus ducatur in divisorem & productum ex nota vel notis suprascriptis dividendi subtrahatur, & his deletis, si quod fuerit residuum, suprascribatur.
3. Divisor ad notam subsequentem versus dexteram promoveatur, & ope *Abaci Pythagorici* denuo investigetur, quoties is in notis suprascriptis contineatur. Reliqua peragantur ut ante.
4. Quodsi hæc operatio per singulas dividendi notas continuetur, quotus invenietur. *Q. e. f.*

E. gr. Sit dividendus 7856, divisor 3. Ponantur 3 sub 7 & per *Abacum Pythagoricum* innotescit, 3 in 7 bis contineri. Scribantur ergo 2 post lunulam loco quoti & factum ex 2 in 3, hoc est 6, subtrahatur ex 7 lineola transversa delendis, residua unitas suprascribatur. Promoveatur divisor 3 sub 8, cumque, vi *Abaci Pythagorici*, 3 in 18 sexies contineatur, scribantur 6 loco quoti & factum 18 ex 3 in 6 ex 18 subducatur: quo in casu nihil relinquitur. Quodsi eadem ratione pergatur, quotus tandem integer prodit 2618 & binarius 2 remanet: id, quod indicio est, numerum propositum in tres partes æquales exacte dividi non posse.

```
1  2 2
7856 (2618 2/3
3333
```

DEMONSTRATIO.

Ex ipsa operatione liquet, numerum inventum indicare, quoties divisor in millenariis, centenariis, decadibus, unitatibus dividendi, hoc est, in singulis ejus partibus (§. 50), adeoque in toto dividendo (§. 9) contineatur, consequenter unitatem toties continet, quoties dividendus divisorem. Est igitur quotus (§. 69). *Q. e. d.*

Casus II. Si divisor ex notis pluribus constet,

1. Sinistima ejus nota scribatur sub nota sinistima dividendi & reliquæ dexteriores sub proxime sequentibus versus dexteram.
2. Ope *abaci Pythagorici* investigetur, quoties prima divisoris nota in prima dividendi contineatur.
3. Numerus inventus ducatur in divisorem integrum & dispiciatur, utrum factum ex numeris suprascriptis subtrahi possit, nec ne.
4. Si subtractio fieri queat, scribatur is loco quoti post lunulam & subtractio actu peragatur. Numeri, ex quibus subtractio fit, lineola transversa deleantur, & qui residui fuerint, suprascribantur. Quodsi vero subtractio non succedat, loco quoti sumatur numerus unitate vel aliquot unitatibus minor, donec fac-

tum ex eo in divisorem ad notas dividendi quam proxime accedat & ex iis auferri queat.

5. Divisor loco uno versus dexteram promoveatur & reliqua ut ante peragantur.

6. Hæc operatio continuetur, donec divisor ulterius promoveri nequeat. *Sic f. e. q. p.*

E. gr. Sit dividendus 7856, divisor 32. Scribantur 32 sub 78 & inquiratur, quoties 3 in 7 contineantur. Cum itaque bis in eo contineantur; ducantur 2 in 32 &, quia factum 64 ex 78 subtrahi potest, 2 scribantur post lunulam &, subtractione peracta residuisque 14 suprascriptis, divisor loco uno promoveatur. Quo facto investigetur, quoties 3 in 14 contineantur & factum ex 4 in 32, hoc est 128, subducatur ex 145, residuo 17 suprascripto & 4 in loco quoti post lunulam repositis. Promoveatur divisor denuo loco uno & quæratur, quoties 3 in 17 contineantur. Numerus 5, qui hoc indicat, jungatur quoto jam invento, & factum ex eo in divisorem 32, nempe 160 subtrahatur ex 176, residuo 16 ut ante suprascripto. Dico numerum inventum $245\frac{16}{32}$ esse quotum quæsitum.

```
 1
 21
147
7856 (245 16/32
3222
 33
```

Si divisor ex pluribus præsertim constet notis, præstat multipla quoti subtrahenda sub notis dividendi, ex quibus subtractio fieri debet, immediate scribi & sub subtrahendo residuum, cui continuandæ divisionis gratia, jungitur nota dividendi sequens, donec nulla superfuerit, adeoque divisio absoluta.

E. gr. Sit dividendus 385797, divisor 8672, quem tibi sub loco quoti notabis. Jam cum 8 in 38 quater contineatur, scribe divisoris 8672 quadruplum sub notis dividendi 38579, & residuum 3891 sub eodem, juncta eidem nota sequente 7, ut divisio continuari possit. Quoniam itaque divisor in notis 38917 denuo 4 continetur, quadruplum divisoris ut ante sub iisdem ponitur & ex ipsis aufertur. Erit $44\frac{4219}{8672}$ quotus.

```
385797 (44
        8672
34688
-----
 38917
 34688
-----
  4219
```

DEMONSTRATIO.

Eadem fere est demonstratio, quæ in casu primo, hoc unice notato, quod, cum ex *abaco Pythagorico* constare nequeat, quoties divisor integer in notis dividendi suprascriptis contineatur, interea supponatur toties illum in his contineri, quoties sinistima divisoris nota continetur in sinistima aut duabus sinistimis dividendi notis. Licet enim hæc suppositio subinde fallat, in errorem tamen inducere nequit, quia examen mox instituitur, cum factum ex divisore in quotum juxta eam inventum cum dividendo comparatur, & pseudoquotus unitate tamdiu minuitur, donec in verum abeat.

SCHOLION.

118. *Equidem hæc methodus tædiosa videtur, quod raro verus quotus prima statim vice per eam eliciatur. Enimvero experientia comprobatur, examen, quod instituendum, cogitationum celeritati parere in exercitatis.*

PROBLEMA XIII.

119. *Divisionem per lamellas Neperianas absolvere.*

RE-

RESOLUTIO.

1. Lamellas ita diſpone, ut in fronte referant diviſorem.
2. Eis ad ſiniſtram junge lamellam unitatum.
3. Sub diviſore deſcende, donec occurrant notæ dividendi, in quibus quoties contineatur, diſquiritur, aut numerus ipſis proxime minor ex dividendo ſubtrahendus.
4. Numerus in lamella unitatum reſpondens ſcribatur loco quoti.
5. Quodſi eadem ratione partes quoti reliquas inveſtiges, diviſio tota abſolvetur.

E. G. Sit dividendus 5601386, diviſor
Fig. 3. 5978. Quoniam quæritur, quoties in 56013 contineantur 5978; ſub diviſore deſcendendo in infima ſerie reperitur numerus 53802 quam proxime ad 56013 accedens, quorum ille ex hoc ſubtrahitur & in lamella unitatum reſpondens 9 loco quoti ſcribitur. Reſiduo 2211 jungitur nota dividendi ſequens 8, cumque ut ante per lamellas reperiatur huic convenire quam proxime numerus 17934, ipſi in lamella unitatum reſpondens 3 ſcribatur loco quoti, & ſubtractio ut ante peragatur. Eodem modo pars tertia quoti 7 reperitur.

```
5601386 (937
53802..
-------
 2.2 1.1 8.
 17934.
-------
  41846
  41846
-------
  00000
```

PROBLEMA XIV.

120. *Sine abaci Pythagorici ſubſidio numerum datum dividere per alium datum.*

RESOLUTIO.

1. Dividendo ad dexteram more conſueto jungatur lunula & infra locum quoti ducatur linea recta.
2. Infra hanc lineam ſcribatur diviſor, ejus duplum & decupli dimidium ſive quintuplum: quibus numeris a dextris 1. 2 & 5 adſcribi oportet. Inde nimirum quodcunque diviſoris multiplum (§. 116) elicitur.
3. Tot dividendi notæ, quot diviſor habuerit, comparentur cum illius multiplis modo inventis: ita enim quotus innoteſcet.
4. Is more ſolito poſt lunulam ſcribatur, ipſi vero reſpondens multiplum diviſoris ſub notis dividendi, quas modo diximus, atque ex his ſubducatur.
5. Reſiduo adjungatur nota dividendi proxime ſequens: reliqua ut ante peragantur.

Quodſi hæc operatio continuetur, ſine *abaci Pythagorici* ſubſidio quotus eruetur. *Q. e. f.*

E. gr. Sit dividendus 385724615, diviſor 175. Scribantur numeri dati cum diviſoris multiplis, ut hic factum eſſe apparet. Cum multiplis diviſoris compara 385 & quoniam illius duplum 350 quam proxime convenit; ſcribe 2 loco quoti & 350 ſubduc ex 385. Reſiduo

```
385724615 (2204140
350          -------
---          175 | 1
 357         350 | 2
 350         875 | 5
 ---
   724
   700
   ---
    246
    175
    ---
     711
     700
     ---
     115
```

siduo 35 junge notam dividendi proxime sequentem 7 & 357 denuo compara cum divisoris multiplis. Quoniam vero denuo duplum 350 quam proxime accedit, idem ex 357 subtrahe & quoti loco rursus scribe 2. Residuo 7 junge notam subsequentem 2. Quia dividendus 72 est divisore 175 minor, quotus erit 0. Junge numero 72 notam dividendi 4, & cum 724 inter duplum 350 atque quintuplum 875 cadant, ipsisque dupli duplum, hoc est quadruplum divisoris, 700 quam proxime conveniat, quotus erit hoc in casu 4. Quodsi hac ratione operationem continuare libuerit, reperietur quotus integer 2204140 & residuum erit 115.

SCHOLION.

121. *Hæc dividendi methodus & meditandi difficultatem & errandi facilitatem tollit, cui obnoxia est altera in problemate undecimo exposita. Quamvis igitur eam serio commendem, nolim tamen ut abacus Pythagoricus prorsus rejiciatur, quoniam subinde casus occurrunt, in quibus eodem minus commode caremus. Fractionum reductio ad minores terminos inter alia assertum nostrum confirmabit.*

PROBLEMA XV.

122. *Examinare multiplicationem.*

RESOLUTIO.

Dividatur factum per multiplicandum, quotus erit multiplicans; aut factum dividatur per multiplicantem, quotus erit multiplicandus, si multiplicatio rite fuerit peracta.

```
38476) 1346660 (35
       115428
       ———————
        192380
        192380
       ———————
        000000
```

E. gr. Si multiplicandus 38476, multiplicator 35; factum est 1346660 (§. 111). Si vero 1346660 per 38476 dividas, quotus est 35.

ALITER.

1. Abjiciatur ex multiplicando 857 novenarius, quoties fieri potest.
2. Residuum 2 ducatur in multiplicatorem 4, si novenario minor fuerit, & ex facto, ubi novenarium superaverit, abjiciatur itidem novenarius, quoties fieri potest, noteturque residuum.
3. Ex facto 3428 exterminetur etiam novenarius, quoties datur.

Quodsi residuum 8 idem fuerit cum facto anteriore, aut ejus residuo; operatio rite peracta.

4. Si multiplicator fuerit novenario major, residuum in multiplicando ducatur non in ipsum multiplicatorem, sed in id, quod abjectis novenariis relinquitur.

```
 857
  65
————
4285
5142
————
55705
```

E. gr. Si multiplicandus 857, multiplicator 65; factum erit 55705. Abjectis novenariis, in facto relinquitur 4, in multiplicando 2, in multiplicatore itidem 2: quorum residuorum factum cum sit 4, id indicio est multiplicationem rite fuisse peractam.

DEMONSTRATIO.

Cum multiplicatio sit iterata ejusdem numeri additio (§. 67), & factum quidem summæ, multiplicandus toties iteratus, quot multiplicator unitates habet, numeris aggregandis respondeat (§. 61. 66); ex facto & multiplicando iterato abjiciendus est novenarius, quoties fieri potest (§. 101). Quoniam itaque novenario ex multiplicando abjecto, quoties datur, residuum toties relinquitur, quot multiplicator unitates

unitates habet; evidens est, istud in multiplicatorem duci atque ex facto novenarium denuo exterminari debere, quoties licet, ut habeatur residuum numeris aggregandis respondens. *Quod erat unum.*

Quoniam vero perinde est, sive residuum in multiplicatorem, sive multiplicator in residuum ducatur, quemadmodum inferius (§. 207), independenter ab his, demonstrabitur, per primum patet, etiam ex multiplicatore, si novenario major fuerit, novenarium toties exterminari debere, quoties fieri potest, & residuum hoc ducendum esse in residuum ex multiplicando, ut habeatur residuum numeris aggregandis respondens. *Quod erat alterum.*

SCHOLION.

123. *Demonstratio majorem evidentiam nanciscitur, ubi ad exemplum applicatur: id quod etiam de quacunque alia intelligendum.*

PROBLEMA XVI.

124. *Examinare divisionem.*

RESOLUTIO.

1. Quotus ducatur in divisorem, aut divisor in quotum.
2. Facto addatur, si quod a divisione fuerit residuum.

Quodsi hac ratione prodeat dividendus, divisio legitime peracta. (§. 212).

E. gr. Si 7856 dividas per 32, quotus est 245, residuum 16. Duc 245 in 32 & facto 7840 adde 16; habebis dividendum 7856. Constat igitur divisionem legitime fuisse peractam.

```
 245
  32
----
 490
735
----
7840
  16
----
7856
```

ALITER.

Cum vi examinis prioris dividendus sit factum ex divisore in quotum; examen quoque instituetur, abjiciendo ex dividendo, itidemque ex divisore & quoto novenarium, quoties datur, atque residuum in divisore multiplicando per residuum in quoto, & facto, quod inde emergit, addendo residuum ex divisione.

E. gr. In exemplo antecedente exterminato in dividendo 7856 novenario, relinquitur 8. Idem si tentetur in divisore 32 & quoto 245; ibi 5, hic 2 residuum erit. Quodsi ulterius facto 10 ex 5 in 2 addatur residuum ex divisione 16, & ex aggregato 26 tentetur more communi abjectio novenarii; habebitur ut in dividendo residuum 8.

SCHOLION GENERALE.

125. *Superest ut videamus, juxta quasnam regulas intellectus in hactenus expositis operationibus arithmeticis dirigatur. Meditaturi regulas duplicis generis offendemus, quarum aliæ imaginationem, aliæ intellectum purum dirigunt. Priores in numerorum scriptione, linearum ac lunulæ ductu, notarum in divisione a subtractione peracta deletione &c. continentur. Scriptio numerorum varias suppeditat regulas, quibus vires imaginationis extenduntur. Numeros enim quosvis, quantumvis magnos & una varios, menti præsentes exhibet, quamdiu libuerit, qui alias dispa-rent, cum vix eam subierint: quo ipso cogitationes a meditationibus alienæ arcentur, domesticæ autem quantolibet temporis intervallo in nota qualibet numerorum datorum defiguntur. Hinc discimus:*

1. Intellectum uti debere in meditando subsidiis imaginationis, objecto meditationis convenientibus, ex ejus adeo indole in dato quolibet casu particulari derivandis.

2. Quæ intellectus meditatur, ea, quantum fieri potest, imaginationi præsentia sistenda esse: quod observasse in tyronibus quoque instituendis plurimum prodest, cum ad disciplinas animum appellentes operationibus intellectus puri parum sint adsueti, operationes vero imaginationis a primis (quod Græci aiunt) unguiculis familiarissimæ ipsis existant.

Ipsa vero hæc numerorum scriptio præstat, ut intellectus tum singula sigillatim meditari, tum singula cum singulis, prout commodum visum fuerit, conferre possit. Vide imprimis cor. 1. probl. 2. (§. 98), probl. 4. (§. 103), probl. 11. (§. 116), & probl. 14. (§. 120). Utrumque difficultates partim ex rerum meditandarum serie nimis longa enasci solitas, partim ordini, quo cogitationes promoventur, parum convenienti debitas tollit. Unde liquet

3. Ad minuendam in meditando difficultatem singula distincte imaginationi repræsentanda esse, ita ut objectum meditationis repræsentetur secundum omnes relationes datas & tota totius repræsentatio ex partialibus singularum relationum componatur. Hanc regulam in *Arte characteristica* perficienda magni momenti esse, inferius in Analysi patebit. Eadem secundæ juncta tyronum institutioni egregia suppeditat adjumenta. Inservit etiam confusæ cognitioni eorum, quæ sigillatim distincte cognita fuerunt: cujus usum demonstrationes Geometricæ inferius concipiendæ loquentur.

Linearum & lunulæ ductus, notarum deletio, punctum notis unitate mulctatis adjectum impediunt, ne eadem pro diversis aut diversa pro iisdem habentes in errorem incidamus: quo ipso docemur

4. Quæ sunt eadem in intellectu, ut eadem repræsentari debere imaginationi; quæ vero diversa sunt in intellectu, ut diversa quoque repræsentanda esse. Sunt eadem in intellectu, quæ sub notione communi continentur. Hæc vero regula errori potissimum discavet.

Progrediendum nunc ad alterum regularum genus, quibus intellectus purus juvatur. Numeri dati distinguuntur in varias classes, nempe in unitates, decades, centenarios, &c. & in hisce classibus singuli numeri singulis characteribus discernuntur. Satisfit igitur huic regulæ generali:

1. Quæstio proposita in tot partes resolvenda, quot res diversæ naturæ in eadem involvuntur.

Additio & subtractio in singulis numerorum classibus sigillatim peragitur: nec minus in multiplicatione ac divisione facta & quoti particularia quæruntur, ut inde componatur numerus quæsitus. Discimus adeo

2. Singula quæ in quæstione proposita involvuntur, esse sigillatim expendenda, &, quæ inde deducta sunt, inter se conferenda.

In operationibus arithmeticis, vel ad notiones numerorum respicimus, vel eorum proprietates, e. gr. ex abaco Pythagorico, in memoriam nobis revocamus. Unde patet:

3. Dum singula in se considerantur, vel notiones eorundem evolvendas, vel proprietates & relationes ad alias alio tempore cognitas in memoriam revocandas esse.

Si divisor ex pluribus notis constet, ad facilitandum laborem assumitur, integrum divisorem in omnibus dividendi notis suprascriptis toties contineri, quoties nota divisoris prima in nota dividendi continetur. Sed cum hypothesis fallere queat, utrum quotus inventus sit verus nec ne, probatur. In his vero continetur regula generalis hujusmodi:

4. Si datorum numerus de re eadem sit ingens, e. gr. si in Astronomia multa admodum phænomena motus siderum dentur,

qualis

qualis esse debeat rei natura, e. gr. structura systematis mundani, ut quibusdam phænomenis satisfiat, primo investigandum; dein ulterius disquirendum, utrum phænomenis quoque reliquis satisfiat nec ne. Ita si contingat, nos in hypothesin falsam incidere, eam facilius emendare, quam ex simultanea omnium consideratione, prima statim vice, veram elicere licebit. Hæc regula in scientia naturali multum habet usum non minus in inveniendo, quam in aliorum hypothesibus dijudicandis.

Licet abunde constet per demonstrationes, regularum, quibus utimur, ope numerum quæsitum inveniri; examina tamen non negliguntur, quibus convincimur nos in regularum applicatione non aberrasse. Docemur ergo

5. Consultum esse, ut dispiciamus, an veritates a priori deductæ experientiæ respondeant.

Plura non addimus, cum hæc speciminis tantum loco in medium proferantur.

CAPUT III.

De Ratione ac Proportione Quantitatum.

DEFINITIO XXXIX.

126. Ratio est ea homogeneorum relatio, quæ quantitatem unius determinat ex quantitate alterius, sine tertio homogeneo assumto. Homogenea, quæ comparantur, dicuntur *Termini Rationis* & in specie *antecedens* vocatur, qui ad alterum refertur; *consequens* vero, ad quem alter refertur.

SCHOLION I.

127. Euclides *rationem definit per* habitudinem magnitudinum ejusdem generis secundum quantitatem. *Sed hæc definitio incompleta: dantur enim & aliæ magnitudinum relationes, quæ sunt constantes, nec tamen in rationum numero continentur. Talis est sinus recti ad sinum complementi in Trigonometria. Completam reddidit vir summus* Leibnitius. *Equidem &* Hobbesius *definitionis Euclideæ correctionem tentavit* (a); *sed infeliciter. Cum enim rationem definiat per* magnitudinis ad magnitudinem relationem; *definitio ejus non modo id vitii habet, quod Euclidea, quod scilicet relationis speciem non determinet; verum etiam in eo peccat, quod speciem magnitudinum non exprimat, quæ rationem inter se habere possunt.*

SCHOLION II.

128. *Ceterum hic de ratione quantitatum in genere, non tantum de ratione numerorum agimus, quia hæc doctrina non modo ad commensurabilia, sed etiam ad incommensurabilia, hoc est ad quantitatum quodvis genus applicari debet.*

COROLLARIUM I.

129. Cum in fractionibus relatio numeratoris ad denominatorem sine tertio homogeneo assumto intelligatur (§. 59); erit ea ratio.

COROLLARIUM II.

130. Si duæ quantitates inter se comparantur sine tertia homogenea assumta, aut una alteri æqualis, aut inæqualis deprehenditur (§. 83). Ratio itaque vel æqualitatis, vel inæqualitatis.

COROLLARIUM III.

131. Si termini rationis fuerint inæquales,

(a) In Tractatu de principiis & ratiocinatione Geometrarum c. XI. p. 22.

les, vel minor refertur ad majorem, vel major ad minorem (§.21); minor nempe ad majorem tanquam pars ad totum, major vero ad minorem tanquam totum ad partem (§.20): Ratio itaque determinat, quoties minus in majore contineatur, vel quoties majus minus contineat, hoc eſt, quantæ majoris parti minus æquetur: id quod diviſio prodit (§. 69).

COROLLARIUM IV.

132. Ceterum quia ratio per ſe intelligibilis (§. 126), iis diſcernendis inſervire poteſt, quæ compræſentia non ſunt (§.27).

DEFINITIO XL.

133. *Ratio majoris inæqualitatis* eſt, quam habet majus ad minus, e. gr. 6 ad 3. *Ratio* vero minoris *inæqualitatis* eſt, quam habet minus ad majus, e. gr. 3 ad 6.

DEFINITIO XLI.

134. *Ratio rationalis* dicitur, quæ eſt ut unitas vel numerus rationalis ad numerum rationalem, e. gr. ut 3 ad 4. *Irrationalis* vocatur, quæ numeris rationalibus exprimi nequit.

SCHOLION.

135. *Sint duæ quantitates A & B, ſitque A < B. Si A ex B toties ſubtrahas, quoties fieri poterit, e. gr. quinquies, relinquetur vel nihil, vel aliquid. In priori ergo caſu A erit ad B ut* 1 *ad* 5, *hoc eſt, A in B quinquies continetur, ſeu* $A = \frac{1}{5}B$. *Ratio ergo eſt rationalis. In caſu poſteriori aut dabitur pars aliqua, quæ aliquoties ex A, e. gr. ter, itidemque ex B, e. gr. ſepties ſubducta nihil relinquit; aut nulla dabitur iſtiusmodi pars. Si prius: erit A ad B ut* 3 *ad* 7, *ſeu* $A = \frac{3}{7}B$, *adeoque ratio denuo rationalis. Si poſterius: ratio ipſius A ad B numeris exprimi nequit rationalibus, hoc eſt, dici nequit, quanta pars ipſius B ſit A. Suo autem loco oſtendetur, quomodo pars illa aliquota communis inveniri poſſit, nec minus demonſtrabitur, dari quantitates, quæ rationem irrationalem habent. Hinc ſimul lumen affunditur definitioni rationis, dum oſtendimus, quomodo ex comparatione duorum homogeneorum, ſine tertio homogeneo aſſumto, ratio intelligi poſſit. Nimirum aut minus majoris, aut pars, quæ utrique ineſt, utriusque menſura conſtituitur, vel, quod perinde eſt, minus aut prædicta pars pro unitate aſſumitur & in caſu priore majus, in poſteriore majus & minus per numeros exprimuntur: quos in ratione irrationali irrationales eſſe ſuo loco conſtabit.*

DEFINITIO XLII.

136. *Exponentem rationis* dico Quotum, qui ex diviſione antecedentis per conſequentem emergit. E. gr. rationis 3 ad 2 exponens eſt $1\frac{1}{2}$; ſed rationis 2 ad 3 eſt $\frac{2}{3}$. Vocatur is etiam *Denominator*, nec non *Nomen rationis*.

SCHOLION.

137. *In Geometria demonſtrabitur, quod exponens rationis datæ exprimi poſſit linea, licet in numeris vel rationalibus, vel irrationalibus eundem exhibere non valeamus.*

COROLLARIUM I.

138. Si conſequens eſt unitas, antecedens ipſe eſt exponens rationis, e. gr. rationis 4 ad 1 exponens eſt 4.

COROLLARIUM II.

139. Numerus ergo quilibet integer exprimit rationem multi ad unum, ſeu multitudinis ad unitatem.

COROLLARIUM III.

140. Exponens rationis eſt ad unitatem ut antecedens ad conſequentem (§. 69).

COROLLARIUM IV.

141. Rationes per exponentes diſcernuntur (§. 131. 136), atque adeo, ſi antecedens A, conſequens B, ratio ipſius A ad B commode exprimitur per A : B (§. 71).

DEFINITIO XLIII.

142. Si terminus minor eſt pars aliquota majoris, *Ratio* majoris inæqualitatis vocatur *multiplex*; *ratio* vero minoris inæqualitatis *ſubmultiplex*. Speciatim in caſu primo *dupla*, ſi exponens 2; *tripla*, ſi 3 &c. in altero *ſubdupla*, ſi exponens $\frac{1}{2}$; *ſubtripla*, ſi $\frac{1}{3}$ &c. E. gr. 6 ad 2 habet rationem triplam, continet enim ſenarius binarium ter; contra 2 ad 6 eſt in ratione ſubtripla, continet enim binarius tertiam ſenarii partem.

DEFINITIO XLIV.

143. Si terminus major minorem ſemel continet ac inſuper partem ipſius aliquotam; *ratio* majoris inæqualitatis dicitur *ſuperparticularis*, *ratio* minoris inæqualitatis *ſubſuperparticularis*. Speciatim in caſu primo vocatur *ſeſquialtera*, ſi exponens $1\frac{1}{2}$; *ſeſquitertia*, ſi $1\frac{1}{3}$ &c. in altero *ſubſeſquialtera*, ſi exponens $\frac{2}{3}$; *ſubſeſquitertia*, ſi $\frac{3}{4}$ &c. E. gr. 3 ad 2 eſt in ratione ſeſquialtera; 2 ad 3 in ſubſeſquialtera.

DEFINITIO XLV.

144. Si terminus major minorem ſemel continet ac inſuper partes ipſius aliquot aliquotas; *ratio* majoris inæqualitatis vocatur *ſuperpartiens*; *ratio* minoris inæqualitatis *ſubſuperpartiens*. Speciatim in caſu priore dicitur *ſuperbipartiens tertias*, ſi exponens $1\frac{2}{3}$; *ſupertripartiens quartas*, ſi $1\frac{3}{4}$; *ſuperquadripartiens ſeptimas*, ſi $1\frac{4}{7}$ &c. in poſteriore *ſubſuperbipartiens tertias*, ſi exponens $\frac{3}{5}$; *ſubſupertripartiens quartas*, ſi $\frac{4}{7}$; *ſubſuperquadripartiens ſeptimas*, ſi $\frac{7}{11}$ &c. E. gr. 5 ad 3 eſt ratio ſuperbipartiens tertias; ſed 3 ad 5 ratio ſubſuperbipartiens tertias.

DEFINITIO XLVI.

145. Si terminus major minorem aliquoties continet & inſuper partem ipſius aliquotam; *ratio* majoris inæqualitatis vocatur *multiplex ſuperparticularis*; ratio minoris inæqualitatis *ſubmultiplex ſubſuperparticularis*. Speciatim in caſu primo dicitur *dupla ſeſquialtera*, ſi exponens $2\frac{1}{2}$; *tripla ſeſquiquarta*, ſi $3\frac{1}{4}$ &c. in altero *ſubdupla ſubſeſquialtera*, ſi exponens $\frac{2}{5}$; *ſubtripla ſubſeſquiquarta*, ſi $\frac{4}{13}$ &c. E. gr. 16 ad 5 habet rationem triplam ſeſquiquintam; 4 ad 9 rationem ſubduplam ſubſeſquiquartam.

DEFINITIO XLVII.

146. Denique ſi terminus major minorem aliquoties continet ac inſuper aliquot partes ipſius aliquotas, *ratio* majoris inæqualitatis dicitur *multiplex ſuperpartiens*; ratio minoris inæqualitatis *ſubmultiplex ſubſuperpartiens*. Speciatim in caſu primo vocatur *dupla ſuperbipartiens tertias*, ſi exponens $2\frac{2}{3}$; *tripla ſuperquadripartiens ſeptimas*, ſi $3\frac{4}{7}$ &c. in altero *ſubdupla ſubſuperbipartiens tertias*, ſi exponens $\frac{3}{8}$; *ſubtripla ſubſuperquadripartiens ſeptimas*, ſi $\frac{7}{25}$ &c. E. gr. Ratio 25 ad 7 eſt tripla ſuperquadripartiens ſeptimas; 3 ad 8 ſubdupla ſubſuperbipartiens tertias.

SCHOLION I.

147. *En genera & species rationum rationalium, quarum quidem nomina apud recentiores rarius occurrunt (eorum enim loco terminis rationum minimis utuntur, e. gr. pro dupla 2 : 1, pro sesquialtera 3 : 2;) non tamen ab eo ignorari possunt, qui scripta Mathematicorum evolvit. Ceterum jam* Clavius *annotavit* (a) *exponentes rationis majoris inæqualitatis & re, & nomine; rationes vero minoris inæqualitatis re tantum, non autem nomine denominare. Facile vero in his nomen invenies, si denominatorem exponentis dividas per numeratorem. E. gr. si exponens fuerit $\frac{5}{8}$; erit $8 : 5 = 1\frac{3}{5}$. Unde innotescit, rationem vocari subsupertripartientem quintas. De nominibus rationum irrationalium nemo hactenus cogitavit.*

SCHOLION II.

148. *Nomina rationum rationalium facile memoriæ mandaturus, idemque perspecturus speciebus recensitis plures non dari, considerare debet, quotum ex divisione termini majoris per minorem emergentem, seu exponentem rationum majoris inæqualitatis, vel esse* 1°. *Numerum integrum, vel mixtum, hunc vero vel* 2°. *ex unitate & fractione, cujus numerator est unitas, vel* 3°. *ex unitate & fractione, cujus numerator est numerus, vel* 4°. *ex numero & fractione, cujus numerator est unitas, vel denique* 5°. *ex numero & fractione, cujus numerator numerus est, constare. Habemus ergo in casu primo* rationes multiplices & submultiplices, *in secundo* superparticulares & subsuperparticulares, *in tertio* superpartientes & subsuperpartientes, *in quarto* multiplices superparticulares & submultiplices subsuperparticulares, *in quinto denique* multiplices superpartientes & submultiplices subsuperpartientes. *Rationes minoris inæqualitatis per proprios quoque exponentes determinari possunt. Aut enim exponens* 1°. *est fractio, cujus numerator unitas; aut fractio, cujus numerator unitate major, tumque vel simplum numeratoris, vel ejus multiplum denominatore minus. Si simplum numeratoris denominatore minus, ejus differentia a denominatore vel* 2°. *unitas est, vel* 3°. *unitate major. Similiter si multiplum numeratoris denominatore minus, differentia vel* 4°. *unitas est, vel* 5°. *unitate major. In casu primo* ratio *est* submultiplex; *in secundo* subsuperparticularis; *in tertio* subsuperpartiens; *in quarto* submultiplex subsuperparticularis; *in quinto* submultiplex subsuperpartiens.

(a) In Comment. ad Elem. V. Euclidis. f. 179. Tom. I. Oper.

DEFINITIO XLVIII.

149. *Rationes eædem* sunt, quarum antecedentes ad suos consequentes eodem modo referuntur, hoc est, quarum antecedentes per suos consequentes divisi dant exponentes æquales.

SCHOLION I.

150. *Per hanc definitionem agnosci posse etiam identitatem rationum irrationalium patet ex schol. def. 42. (§. 137).*

COROLLARIUM I.

151. Quoties ergo antecedens unius rationis suum consequentem, vel quantam consequentis partem continet; toties antecedens alterius suum consequentem, vel tantam consequentis partem continet: vel etiam quoties antecedens unius in consequente suo continetur, toties antecedens alterius continetur in suo consequente (§. 131).

COROLLARIUM II.

152. Si fuerit A ad B ut C ad D; erit $A : B = C : D$, seu in exemplo singulari $8 : 4 = 30 : 15$. Et hoc modo identitatem rationum in posterum designabimus (§. 141).

SCHO-

SCHOLION. II.

153. *Alii signis aliis utuntur. Communiter A. B :: C. D. scribere solent. Sed secundum leges Artis characteristicæ signa scientifica non-scientificis præferri debent. Sunt autem signa scientifica, seu ad inveniendum apta, quæ per characteres derivativos exprimunt, quorum notiones ex aliis simplicioribus componuntur.*

COROLLARIUM. III.

154. Cum rationes non discernantur nisi per exponentes (§. 141), in rationibus autem iisdem exponentes iidem sint (§. 149), rationes eædem sunt etiam similes (§. 24), & contra.

DEFINITIO XLIX.

155. Rationum duarum identitas vel similitudo dicitur *Proportio*. Et hinc quantitates eandem rationem habentes dicuntur *proportionales*. E. gr. Si A: B = C: D, dicuntur A, B, C & D, seu 8, 4, 30 & 15 proportionales.

DEFINITIO L.

156. *Proportio continua* est, si consequens primæ rationis idem cum antecedente secundæ, ut si 3 : 6 = 6 : 12: *Discreta* vero, si consequens primæ diversus ab antecedente secundæ, ut si 3 : 6 = 4 : 8. In proportione continua *terminus*, qui consequentis primæ & antecedentis secundæ vicem tuetur, *Medius proportionalis* appellatur. Ita numerus 6 est medius proportionalis inter 3 & 12.

SCHOLION.

157. Gregorius a S. Vincentio (*a*) *considerat quoque rationes, quas habent rationum exponentes, &* Proportionalitatem *vocat proportionem, quæ inter exponentes quatuor rationum intercedit, ut modos argumentandi in Geometria etiam a rationibus dissimilibus desumere liceat. Sed nos hac doctrina non utemur.*

(*a*) Quadraturæ Circuli lib. 8. f. 865.

DEFINITIO LI.

158. Rationum diversarum A : B & F : G *major* dicitur A : B, si fuerit A : B > F : G; contra *minor* F : G, si F : G < A : B. Unde & rationem majorem ac minorem hoc modo designabimus. E. gr. 6 ad 3 majorem habet rationem quam 5 ad 4, nam 6 : 3 (= 2) > 5 : 4 (= $1\frac{1}{4}$); sed 3 ad 6 minorem habet, quam 4 ad 5, nam $\frac{3}{6} = \frac{1}{2} < \frac{4}{5}$.

DEFINITIO LII.

159. *Ratio* ex duabus vel pluribus aliis *composita* dicitur, quam habet factum ex duarum vel plurium rationum antecedentibus ad factum ex earundem consequentibus. Ita 6 ad 96 est in ratione composita 2 ad 8 & 3 ad 12. In specie *duplicata* vocatur, quæ ex duabus; *triplicata*, quæ ex tribus; *quadruplicata*, quæ ex quatuor &c. & in genere *multiplicata*, quæ ex pluribus rationibus similibus componitur, multiplicata nempe uniuscujusque rationum similium. Ita 48 : 3 seu 16 : 1 est ratio duplicata ipsarum 4 : 1 & 12 : 3. Unde simul intelligitur, quænam *ratio* dicenda sit *subduplicata*, *subtriplicata*, *subquadruplicata* &c. & in genere *submultiplicata*. Nempe 4 : 1 est ratio subduplicata ipsius 16 : 1 vel 48 : 3.

THEOREMA XI.

160. *Quæ sunt ut numerus rationalis ad numerum rationalem, commensurabilia sunt.*

DEMONS-

DEMONSTRATIO.

Numeri rationalis integri pars aliquota est unitas (§. 40); fractus vero cum unitate partem aliquotam communem habet (§. 41). Quæ igitur sunt ut numerus rationalis ad numerum rationalem; eorum unum vel est pars aliquota alterius, vel utriusque pars aliquota communis datur. Quare commensurabilia sunt (§. 31). *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

161. Cum in divisione sit ut divisor ad dividendum, ita unitas ad quotum (§. 69); si numerus rationalis per rationalem dividitur, unitas est ad quotum ut numerus rationalis ad numerum rationalem, atque hinc quotus commensurabilis unitati, (§. 160), adeoque numerus rationalis (§. 39).

COROLLARIUM II.

162. Quoniam ergo in ratione rationali exponens rationis prodit, numero rationali per rationalem diviso (§. 134. 136); rationis rationalis exponens est numerus rationalis (§. 161).

THEOREMA XII.

163. *Commensurabilia sunt inter se, vel ut unitas ad numerum rationalem integrum, vel ut numerus rationalis integer ad alium rationalem integrum: incommensurabilia non item.*

DEMONSTRATIO.

Commensurabilium aut unum est pars aliquota alterius, aut utriusque datur pars aliquota communis (§. 31). Quodsi adeo in casu priore quantitas minor, in posteriore pars aliquota communis pro unitate assumatur; respondebit in priore quantitati majori, in posteriore utrique numerus rationalis integer (§. 40). Ergo in casu priore quantitates sunt inter se ut unitas, in posteriore ut numerus rationalis integer ad numerum rationalem integrum. *Quod erat primum.*

Incommensurabilium nulla datur pars aliquota communis (§. 31); Nulla ergo datur unitas, cui commensurabilia existant. Quare cum omnis numerus rationalis unitati commensurabilis existat (§. 39); ipsa non sunt ut numerus rationalis ad numerum rationalem. *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM I.

164. Commensurabilium ratio est rationalis; incommensurabilium irrationalis (§. 134).

SCHOLION.

165. *Dari quantitates incommensurabiles, in Geometria demonstrabitur.*

COROLLARIUM II.

166. Rationis commensurabilium exponens est numerus rationalis (§. 162).

THEOREMA XIII.

167. *Rationes A : B & F : G similes eidem tertiæ C : D sunt etiam similes inter se: & similibus similes sunt inter se similes.*

DEMONSTRATIO.

Rationes similes eidem tertiæ sunt
$6 : 3 = 8 : 4$ etiam eædem eidem
$10 : 5 = 8 : 4$ tertiæ (§. 154).

Ergo $6 : 3 = 10 : 5$ Quare cum sit $A : B = F : G$ & $C : D = F : G$ (§. 152); erit $A : B = C : D$ (§. 87), consequenter A ad B ut C ad D (§. 152). *Quod erat unum.*

Porro

Porro A : B = C : D, & F : G = H : E, itemque C : D = H : E, *per hypoth.* Sed A : B = H : E, *per demonstr.* Ergo etiam A : B = F : G, *per demonstr.* *Quod erat alterum.*

THEOREMA XIV.

168. *Idem C ad æqualia A & B; & æqualia A & B ad idem C vel etiam æqualia C & D, eandem rationem habent.*

DEMONSTRATIO.

A = B, *per hypoth.* Ergo C : A = C : B (§. 71. 94); consequenter C ad A & B eandem rationem habet (§. 152). *Quod erat primum.*

Similiter quia A = B, *per hypoth.* erit A : C = B : C (§. 71. 94), consequenter A & B ad C eandem rationem habent (§. 152). *Quod erat secundum.*

Sit denique A = C & B = D, erit A : B = C : D (§. 71. 94), consequenter ratio utrobique eadem (§. 152). *Quod erat tertium.*

THEOREMA XV.

169. *Si fuerit A : B = C : D, erit etiam invertendo B : A = D : C.*

DEMONSTRATIO.

Sit quotus ex divisione ipsius A per B emergens E, & quotus ex divisione ipsius C per D emergens G; erit B ad A ut unitas ad E, & D ad C ut eadem unitas ad G (§. 69); consequenter B : A = 1 : E & B : C = 1 : G (§. 152). Sed A : B = C : D, *per hypoth.* seu E = G. (§. 15). Ergo unitas eadem ad E & G eandem rationem habet (§. 168), consequenter B : A = D : C (§. 167). *Q. e. d.*

THEOREMA XVI.

170. *Partes similes* P & p *eandem rationem habent ad tota* T & t: *si tota ad partes eandem rationem habent, partes sunt similes: & tota ad partes similes eandem rationem habent.*

DEMONSTRATIO.

Habeat enim, si fieri potest, P ad T aliam rationem quam *p* ad *t*; partes *p* & P per diversitatem rationis ad tota a se invicem distingui poterunt (§. 132). Erunt adeo dissimiles (§. 24): Quod cum sit absurdum, utpote contra hypothesin; erit P ad T ut *p* ad *t*. *Quod erat unum.*

Si *t* : *p* = T : P, *per hypoth.* erit *p* : *t* = P : T (§. 169). Ergo, *per demonstrata*, P & *p* sunt partes similes. *Quod erat alterum.*

Si P & *p* sunt partes similes totorum T & *t*, erit P : T = *p* : *t*, *per num.* 1. adeoque T : P = *t* : *p* (§. 169), hoc est, tota ad partes similes eandem rationem habent.

THEOREMA XVII.

171. *Partes similes* P & p *sunt inter se ut tota* T & t.

DEMONSTRATIO.

Cum totum sit idem cum partibus suis simul sumtis (§. 9); quoties sumitur totum, toties etiam sumitur pars ejus quantalibet, e. gr. quarta, vigesima, millesima, millionesima aut quæ rationem aliam quamcunque ad totum habet. Quare si ponamus totum minus *t* toties sumi, donec toti T æquale fiat; quoties ipsum sumitur, toties etiam sumenda ejus pars *p*, donec parti ipsius T simili, quæ est P, æqua-

P, æqualis fiat. Toties itaque P continet p, quoties T ipſum t. Sunt ergo partes ſimiles ut tota (§. 151). *Q. e. d.*

SCHOLION.

172. *Notandum eſt, numerum, qui indicat, quoties ſumatur totum minus, ut majori æquale fiat, non ſemper eſſe rationalem; ſed irrationalem quoque eſſe poſſe: quo in caſu tota ad ſe invicem rationem irrationalem habent.* E. gr. *In Geometria demonſtrabimus latus quadrati, ut diagonali æquale fiat, toties ſumi debere, quoties unitas continetur in radice ex binario. Evidens vero eſt, ſi latus quadrati ſit diviſum in duas partes, quarum una eſt pars quarta totius, altera continet tres quartas; partem quoque quartam toties ſumi quoties unitas continetur in radice ex binario, donec parti quartæ diagonalis æqualis fiat.*

THEOREMA XVIII.

173. *Si* A : B = C : D; *erit etiam* alternando *ſeu* permutando A : C = B : D.

DEMONSTRATIO.

I. Si antecedentes A & C conſequentibus B & D fuerint minores; eorum partes (§. 20), eæque ſimiles (§. 170) haberi poſſunt. Sunt igitur ut tota, hoc eſt antecedentes A & C eam inter ſe rationem habent quam conſequentes B & D. (§. 171).

II. Si antecedentes A & C conſequentibus B & D majores; tum quia A : B = C : D, *per hypoth.* erit B : A = D : C (§. 169), conſequenter B : D = A : C *per caſ.* 1. *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

174. Ergo in diviſione unitas ad diviſorem ut quotus ad dividendum (§. 69).

COROLLARIUM II.

175. Si fuerit A : B = C : D & B = D, erit etiam A = C. Eſt enim A : C = B : D (§. 173). Sed B = D, *per hypoth.* Ergo A = C (§. 149).

COROLLARIUM III.

176. Si fuerit B : A = D : C & B = D; erit etiam A = C. Cum enim ſit A : B = C : D (§. 169); erit etiam A = C (§. 175).

THEOREMA XIX.

177. *Quæ ad idem vel æqualia eandem habent rationem, æqualia ſunt: & ad quæ idem vel æqualia eandem habent rationem, ea itidem æqualia ſunt.*

DEMONSTRATIO.

A : B = D : B, *per hypoth.* Ergo A : D = B : B (§. 173). Sed B = B (§. 81). Quare A = D (§. 149). Et idem eodem modo oſtenditur, ſi A : B = D : C & B = C. *Quod erat unum.*

Similiter C : A = C : B, *per hypoth.* Ergo C : C = A : B (§. 173). Sed C = C (§. 81). Quare A = B (§. 149). Et idem eodem modo patet, ſi C : A = D : B & C = D. *Quod erat alterum.*

THEOREMA XX.

178. *Si quantitates quaſcunque A & B per eandem tertiam C multiplices; facta D & E ſunt inter ſe ut A & B.*

DE-

DEMONSTRATIO.

6	12
3	3
18	36

6 : 12 = 18 : 36.

Cum sit 1 : C = A : D & 1 : C = B : E (§. 66); erit A : D = B : E (§. 167), consequenter A : B = D : E (§. 173). *Q. e. d.*

SCHOLION.

179. *Cum C sit eadem quantitas in utroque casu, (per hypoth.) unitas quoque in utroque eadem est (§. 13), consequenter* 1 : *C eadem Ratio.*

COROLLARIUM.

180. Ergo si A > B, etiam A C > B C (§. 149), hoc est, si majus & minus per idem vel æqualia multiplices, factum prius est majus altero.

THEOREMA XXI.

181. *Si quantitates quascunque A & B per eandem tertiam C dividas; quoti F & G sunt inter se ut A & B.*

DEMONSTRATIO.

$$3)\,\frac{24 : 12}{8 : 4}$$

8 : 4 = 24 : 12

Cum sit 1 : C = F : A & 1 : C = G : B (§. 174); erit F : A = G : B (§. 167), consequenter F : G = A : B (§. 173). *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

182. Si A > B, etiam F > G (§. 149), hoc est, si majus & minus per idem vel æqualia dividas, quotus prior posteriore major est.

THEOREMA XXII.

183. *Si rationum similium A : B & C : D antecedentes vel consequentes per idem E dividas; in casu priore quoti F & G ad consequentes B & D; in posteriore antecedentes A & C ad quotos H & K eandem rationem habent.*

DEMONSTRATIO.

3 : 6 = 12 : 24	
3	3
1 : 6 = 4 : 24	

Quoniam A : B = C : D, *per hypoth.* erit A : C = B : D (§. 173). Sed A : E = F & C : E = G, *per hypoth.* Ergo F : G = A : C (§. 181) = B : D (§. 167), consequenter F : B = G : D (§. 173). *Quod erat unum.*

Similiter quoniam A : B = C : D *per hypoth.* erit A : C = B : D (§. 173). Sed B : E = H & D : E = K *per hypoth.* Ergo B : D = H : K (§. 181), consequenter A : C = H : K (§. 167) & hinc tandem A : H = C : K (§. 173). *Quod erat alterum.*

THEOREMA XXIII.

184. *Si rationum similium A : B & C : D antecedentes vel consequentes per eandem quantitatem E multiplices; in casu priore facta AE & CE ad consequentes B & D, in posteriore antecedentes A & C ad facta BE & DE eandem rationem habent.*

DEMONSTRATIO.

2 : 6 = 3 : 9	
6	6
12 : 6 = 18 : 9	

Quia A : B = C : D, *per hypoth.* A : C = B : D (§. 173). Sed EA : EC = A : C (§. 178). Ergo EA : EC = B : D (§. 167), consequenter EA : B = EC : D (§. 173). *Quod erat unum.*

Eodem modo ostenditur, esse A : BE = C : DE, *Quod erat alterum.*

THEOREMA XXIV.

185. *Si rationum similium A : B & C : D antecedentes per idem E & consequentes per idem F multiplices aut dividas; in casu priore facta, in posteriore*

quoti eandem inter se rationem habent.

DEMONSTRATIO.

$$\begin{array}{l} 3:6=12:24 \\ 2\ \ 3 \qquad 2\ \ 3 \\ \hline 6:18=24:72 \end{array}$$

$A:B=C:D$, *per hypoth.* Ergo $EA:B=EC:D$ (§. 184), consequenter $EA:FB=EC:FD$ (§. *cit.*). *Quod erat unum.*

$$\begin{array}{l} 3:6=12:24 \\ 3\ \ 2 \qquad 3\ \ 2 \\ \hline 1:3=4:12 \end{array}$$

Sit $A:E=G$, $B:F=H$, $C:E=K$ & $D:F=L$. Quoniam $A:B=C:D$, *per hypoth.* $G:B=K:D$ (§ 183). Ergo & $G:H=K:L$ (§. *cit.*). *Quod erat alterum.*

THEOREMA XXV.

186. *Pars antecedentis in ratione majore ad consequentem eandem rationem habet, quam antecedens minoris ad consequentem suum. Et majus antecedente rationis minoris ad consequentem eandem rationem habet, quam antecedens majoris ad suum consequentem.*

DEMONSTRATIO.

Si A ad B rationem majorem habet quam C ad D; erit $A:B > C:D$ (§. 158). Ut igitur ratio prior alteri æqualis evadat, necesse est ut minus quam A, hoc est, pars ipsius (§. 20), per B dividatur (§. 182): quæ pars si dicatur F, erit $F:B=C:D$, hoc est, in majore ratione antecedentis pars eandem rationem habet ad consequentem, quam minoris antecedens ad suum (§. 152). *Quod erat unum.*

Similiter si A ad B minorem habet rationem, quam C ad D; erit $A:B < C:D$ (§. 158.). Ut igitur ratio prior alteri æqualis evadat, necesse est ut majus quam A, cujus adeo pars est A (§. 20), per B dividatur (§. 182): quod si dicatur F, erit $F:B=C:D$, hoc est, in ratione minore majus antecedente rationem eandem habet ad consequentem, quam majoris antecedens ad suum consequentem (§. 152). *Quod erat alterum.*

THEOREMA XXVI.

187. *Si fuerint quotcunque rationes similes $A:B$, $C:D$, $E:F$, $G:H$ &c. summa omnium antecedentium $A+C+E+G$ &c. est ad summam omnium consequentium $B+D+F+H$ &c. ut antecedens unius rationis A ad suum consequentem B.*

DEMONSTRATIO.

Ponamus e. gr. esse $A=\frac{1}{2}B$, $C=\frac{1}{2}D$, $E=\frac{1}{2}F$, $G=\frac{1}{2}H$; erit $A+C+E+G=\frac{1}{2}B+\frac{1}{2}D+\frac{1}{2}F+\frac{1}{2}H$ (§. 88), hoc est summa omnium antecedentium est subdupla summæ omnium consequentium, consequenter ut antecedens unius rationis ad suum consequentem. Eodem modo cum argumentatio procedat, si alia quæcunque ratio antecedentium ad consequentes ponatur vel etiam antecedentes sint consequentibus majores: patet propositum. *Q. e. d.*

THEOREMA XXVII.

188. *Si fuerit ut totum $A+C$ ad totum $B+D$, ita ablatum C ad ablatum D; erit etiam reliquum A ad reliquum B ut totum $A+C$ ad totum $B+D$, vel ut ablatum C ad ablatum D.*

DEMONSTRATIO.

24 : 12
6 : 3
———
18 : 9

Aut $A:B = C:D$, aut $A:B > C:D$, aut denique $A:B < C:D$ (§. 21).

Ponamus $A:B > C:D$. Ergo pars ipsius A, quæ dicatur F, erit ad B ut C ad D (186), hoc est, $F:B = C:D$ (§ 152), consequenter $F + C : B + D = C:D$ (§. 187). Quare cum etiam sit $A + C : B + D = C:D$, *per hypoth.* erit $F + C = A + C$ (§. 177), adeoque $F = A$ (§. 91). Sed F est pars ipsius A *per demonstrata*: Pars igitur toti æqualis: quod cum sit absurdum (§. 84), ut sit $A:B > C:D$, fieri nequit.

Sit jam $A:B < C:D$. Ergo majus ipso A, quod dicatur G, ad B eandem rationem habet, quam C ad D (§. 186), hoc est, $G:B = C:D$ (§. 152), consequenter $G + C : B + D = C:D$. (§. 187). Quare cum etiam sit $A + C : B + D = C:D$ *per hypoth.* erit $G + C = A + C$ (§. 177), adeoque $G = A$ (§. 91). Sed A est pars ipsius G *per demonstrata*. Ergo pars toti æqualis: quod cum sit absurdum, ut sit $A:B < C:D$ fieri nequit. Quoniam itaque nec $A:B > C:D$, nec $A:B < C:D$ *per demonstrata*: erit utique $A:B = C:D$. *Q. e. d.*

THEOREMA XXVIII.

189. *In rationibus similibus $A:B$ & $C:D$, differentia antecedentium $A - C$ est ad differentiam consequentium $B - D$, ut antecedens rationis utriuslibet ad suum consequentem.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam $A:B = C:D$ *per hypoth.* erit $A:C = B:D$ (§. 173). Ponamus $A > C$ & $B > D$; erunt A & B tota, C & D eorum partes (§. 9. 20). Quamobrem cum sit $A:B = C:D$ *per hypoth.* erit $A - C : B - D = A:B$ (§. 188). *Q. e. d.*

THEOREMA XXIX.

190. *Si fuerit ut antecedens primæ rationis ad suum consequentem, ita antecedens alterius ad consequentem suum; erit etiam* componendo, *ut summa antecedentis & consequentis primæ rationis ad antecedentem vel consequentem primæ, ita summa antecedentis & consequentis secundæ ad antecedentem vel consequentem secundæ.*

DEMONSTRATIO.

4 : 2 = 10 : 5
————————
6 : 4 = 15 : 10
vel 6 : 2 = 15 : 5

Si $A:B = C:D$ *per hypoth.* erit $A:C = B:D$ (§. 183). Sed $A + B : C + D = A:C = B:D$ (§. 187). Ergo $A + B : A = C + D : C$, item $A + B : B = C + D : D$ (§. 173). *Q. e. d.*

THEOREMA XXX.

191. *Si fuerit $A:B = a:b$ & $A:C = a:c$ &c. erit $A : A + B + C = a : a + b + c$.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam $A:B = a:b$ & $A:C = a:c$ *per hypoth.* erit $A:a = B:b = C:c$ (§. 173. 167). Quare $A:a = A + B + C : a + b + c$ (§. 187). & hinc $A : A + B + C = a : a + b + c$ (§. 173). *Q. e. d.*

THEOREMA XXXI.

192. *Si fuerint proportiones quotcunque similes $A:B = C:D = E:F = G:H = I:K = L:M$ &c. erit summa omnium*

omnium antecedentium primarum rationum A+E+I &c. ad summam omnium consequentium B+F+K &c. ut summa omnium antecedentium secundarum rationum C+G+L &c. ad summam omnium consequentium D+H+M &c.

DEMONSTRATIO.

Cum A:B, E:F, I:K &c. itemque C:D, G:H, L:M &c. sint rationes similes, *per hypoth.* erit A+E+I &c.:B+F+K &c. = A:B & C+G+L &c.: D+H+M &c. = C:D (§. 187). Est vero A:B=C:D *per hypoth.* Ergo A+E+I &c.:B+F+K &c.=C+G+L &c.: D+H+M &c. (§. 167). *Q. e. d.*

THEOREMA XXXII.

193. *Si fuerit ut antecedens primæ rationis ad suum consequentem, ita antecedens alterius ad consequentem suum; erit etiam* dividendo *ut differentia terminorum primæ rationis ad ejus consequentem, ita differentia terminorum secundæ ad ejus consequentem, itemque* convertendo *ut differentia terminorum primæ rationis ad ejus antecedentem ita differentia terminorum secundæ ad ejus antecedentem.*

DEMONSTRATIO.

6:4=15:10 ――――― 2:4= 5:10 2:6= 5:15	Si fuerit A:B=C:D *per hypoth.* erit A:C=B:D (§.173), consequenter A—B:

C—D=B:D=A: C (189). Ergo A—B:B=C—D:D & A—B:A=C—D:C (§.173). *Q. e. d.*

THEOREMA XXXIII.

194. *Si fuerit* ordinate *ut antecedens primæ rationis A ad suum consequentem B, ita antecedens secundæ D ad consequentem suum E; & ut consequens primæ B ad aliud quidpiam C, ita consequens secundæ E ad aliud quidpiam F: erit* ex æquo *antecedens primæ A ad C ut antecedens secundæ D ad F.*

DEMONSTRATIO.

4: 2=6 : 3 2 : 8=3 : 12 ――――― 4 : 8=6 : 12	Quoniam A : B =D:E & B:C= E:F, *per hypoth.* erit A : D=B : E &B:

E = C : F (§. 173), consequenter A : D = C : F (§. 167). Quare A : C = D : F (§. 173). *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

195. Quodsi fuerit A:B=D:E & C:B=F:E; cum etiam sit B : C = E:F (§. 169), erit A : C = D: F (§. 194).

COROLLARIUM II.

196. Similiter si fuerit A:B = C:D & A:F=C:G; cum etiam sit B : A=D : C (§. 169), erit B: F=D:G (§. 194).

COROLLARIUM III.

197. Si denique fuerit A:B=C:D & F:A=G:C, cum etiam sit A: F=C:G (§. 169), erit B : F=D: G (§. 196).

THEOREMA XXXIV.

198. *Si fuerit* perturbate *ut antecedens primæ rationis A ad suum consequentem B, ita antecedens secundæ E ad suum consequentem F; & ut consequens primæ B ad aliud quidpiam C, ita aliud quidpiam D ad antecedentem secundæ E; erit etiam* ex æquo *antecedens primæ A ad C ut D ad consequentem secundæ F.*

De-

DEMONSTRATIO.

8 : 4 = 12 : 6	
4 : 16 = 3 : 12	
8 : 16 = 3 : 6	

Quoniam A : B = E : F, *per hypoth.* si ponatur B : C = F : G, erit A : C = E : G (§. 194). Est vero etiam B : C = D : E, *per hypoth.* Ergo D : E = F : G (§. 167), & D : F = E : G (§. 173), consequenter A : C = D : F (§. 167). *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

199. Quodsi fuerit A : B = E : F & C : B = E : D, cum etiam sit B : C = D : E (§. 169), erit A : C = D : F (§. 198).

COROLLARIUM II.

200. Similiter si fuerit B : A = F : E & B : C = D : E, cum etiam sit A : B = E : F (§. 169), erit A : C = D : F (§. 198).

COROLLARIUM III.

201. Si porro fuerit B : A = F : E & C : B = E : D, cum etiam sit B : C = D : E (§. 169), erit A : C = D : F (§. 200).

COROLLARIUM IV.

202. Si idem C vel æqualia per majus A & minus B dividas, quotus prior F erit minor posteriore G. Est enim A : C := 1 : F & B : C = 1 : G (§. 174), adeoque C : B = G : 1 (§. 169). Ergo A : B = G : F (§. 198). Sed A > B, *per hypoth.* Ergo G > F (§. 149).

THEOREMA XXXV.

203. *Majus A ad idem C majorem rationem habet, quam minus B.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam A > B, *per hypoth.* erit A : C > B : C (§. 202), hoc est, A ad C majorem rationem habet, quam B ad C (§. 158). *Q. e. d.*

THEOREMA XXXVI.

204. *Quod ad idem majorem habet rationem quam alterum, id altero majus est.*

DEMONSTRATIO.

Habeat A ad C rationem majorem quam B ad idem C, *per hypoth.* Ergo pars ipsius A eandem ad C rationem habet quam B ad idem C (§. 186), adeoque ipsi B æqualis est (§. 177). Quare A > B (§. 20). *Q. e. d.*

THEOREMA XXXVII.

205. *Idem C ad majus A minorem habet rationem quam ad minus B.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam A > B *per hypoth.* erit C : A < C : B (§. 202). Ergo C ad A minorem habet rationem quam ad B (§. 158). *Q. e. d.*

THEOREMA XXXVIII.

206. *Ad quod idem majorem rationem habet quam ad alterum, id altero minus est.*

DEMONSTRATIO.

Habeat C ad A rationem majorem, quam ad B, *per hypoth.* Ergo pars ipsius C, quæ dicatur D, ad A eandem rationem habet, quam ad B (§. 186), hoc est, D : A = C : B (§. 152), & hinc D : C = A : B (§. 173). Sed D < C (§. 20). Ergo A < B (§. 140). *Q. e. d.*

THEOREMA XXXIX.

207. *Duæ quantitates se mutuo multiplicantes idem factum gignunt.*

DEMONS-

DEMONSTRATIO.

4	2
2	4
8=	=8

Sint duo factores A & B, erit 1 : A=B : AB & 1 : B=A : BA (§. 66). Est vero etiam 1 : A=B : BA (§. 173), adeoque ob unitatem eandem, *per hypoth.* B : AB =B : BA (§. 167). Ergo AB= BA (§. 177).

COROLLARIUM.

208. Sint tres factores A, B & C. Quoniam AB= BA (§. 207); erit CAB= CBA (§. 93), adeoque & ABC= BAC (§. 207). Similiter quia CB= BC (§. 207); erit ACB = ABC (§. 93), adeoque & CBA= BCA (§. 207). Quare CAB= CBA= ABC= BAC= ACB= BCA (§. 87), hoc est, factum idem producitur, quocunque ordine efficientes in se invicem ducantur.

SCHOLION.

209. *Idem eodem modo ostenditur, si plures fuerint factores: sed demonstratio prolixior evadit, si plures tribus fuerint termini.*

THEOREMA XL.

210. *Si factum per multiplicandum dividitur, quotus est multiplicans: si per multiplicantem, quotus est multiplicandus.*

DEMONSTRATIO.

Est enim multiplicandus ad factum ut unitas ad multiplicantem (§. 66). Est etiam multiplicandus ad factum (si hoc per illud dividi concipimus) ut unitas ad quotum (§. 69). Ergo quotus æqualis est multiplicanti (§. 177). *Quod erat unum.*

Quoniam unitas est ad multiplicantem ut multiplicandus ad factum (§. 66); eadem unitas ad multiplicandum ut multiplicans ad factum (173). Sed si factum per multiplicantem dividis; multiplicans est ad factum ut unitas ad quotum (§. 69). Ergo quotus est æqualis multiplicando (§. 177). *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM.

211. Omnia igitur facta sunt numeri compositi (§. 76).

THEOREMA XLI.

212. *Si quotus per divisorem multiplicatur, aut contra; factum est dividendus.*

DEMONSTRATIO.

Est enim ut unitas ad divisorem ita quotus ad dividendum (§. 174). Sed si quotus per divisorem multiplicatur, erit ut unitas ad divisorem, ita quotus ad factum (§. 66). Ergo factum æquale est dividendo (§. 177). *Quod erat unum.*

Idem vero cum sit factum, si divisor per quotum multiplicetur (§. 207); erit quoque in hoc casu factum æquale dividendo. *Quod erat alterum.*

THEOREMA XLII.

213. *Sint quatuor quæcunque quantitates proportionales A : B=C : D, sint totidem aliæ inter se quoque proportionales E : F=G : H, si posteriores singulas in singulas priores ducas, facta inter se proportionalia sunt, nempe AE : FB=GC : DH.*

DEMONSTRATIO.

Cum sit *per hypoth.*

$$\begin{array}{cccccccccccccc} A & : & B & = & C & : & D & \& & E & : & F & = & G & : & H \\ E & & F & & E & & F & & C & & D & & C & & D \\ \hline \end{array}$$

erit EA : FB = EC : FD & CE : DF = CG : DH. (§. 185). Sed EC = CE & FD = DF (§. 207). Ergo EA : FB = CG : DH (§. 167) = GC : HD (§. 207). *Q. e. d.*.

THEOREMA XLIII.

214. *Rationis compositæ exponens est æqualis facto, quod producunt exponentes simplicium.*

DEMONSTRATIO.

Si rationis primæ A : B exponens = m; secundæ C : D exponens sit = n. Erit m : 1 = A : B & n : 1 = C : D (§. 140). Ergo mn : 1 = AC : BD (§. 213), consequenter mn est exponens rationis AC : BD (§. 140), hoc est compositæ ex A : B & C : D (§. 159). *Q. e. d.*

SCHOLION.

215. *Sint rationes* 8 : 4 *&* 24 : 6. *Illius exponens est* 2, *hujus* 4. *Rationem compositam datarum habent* 192 *&* 24. *Sed* 192 : 24 = 8, *quod est factum ex* 2 *in* 4. *Ceterum eadem demonstratio locum habet, si plures fuerint rationes.*

THEOREMA XLIV.

216. *Si plures fuerint quantitates continue proportionales A, B, C, D &c. prima A ad tertiam C est in ratione duplicata; ad quartam D in ratione triplicata &c. primæ A ad secundam B.*

DEMONSTRATIO.

1. Quoniam A : B = B : C, *per hypoth.* AB ad BC habet rationem duplicatam ipsius A ad B (§. 159). Sed AB : BC = A : C (§. 181). Ergo etiam A ad C rationem duplicatam habet ipsius A ad B (§. 167). *Quod erat unum.*

2. Quoniam A : B = B : C = C : D. *per hypoth.* ABC est ad BCD in ratione triplicata ipsius A ad B (§. 159). Sed ABC : BCD = A : D (§. 178). Ergo etiam A ad D est in ratione triplicata ipsius A ad B (§. 167). *Quod erat secundum.*

3. Facile apparet, quod eodem modo demonstrari possit, primum terminum habere ad quintum rationem quadruplicatam; ad sextum quintuplicatam &c. primi ad secundum. *Quod erat tertium.*

THEOREMA XLV.

217. *Si fuerit quæcunque quantitatum A, B, C, D, E, F &c. series; ratio primæ A ad ultimam F componitur ex rationibus quantitatum extremis interjacentium A : B, B : C, C : D, D : E, E : F &c.*

DEMONSTRATIO.

Si enim omnes antecedentes, itidemque omnes consequentes in se invicem multiplices, facta ABCDE & BCDEF sunt in ratione composita rationum A:B, B:C, C:D, D:E, E:F &c. (§.159). Sed ABCDE : BCDEF = A:F (§. 178). Ergo etiam A ad F est in ratione composita omnium modo recensitarum (§. 167). *Q. e. d.*

THEOREMA XLVI.

218. *Rationes compositæ ex rationibus, quarum singulæ singulis æquales sunt, inter se æquales sunt.*

DEMONSTRATIO.

$6:3=4:2$	
$3:1=2:4$	
$5:1=20:4$	
$90:3=960:32$	
$=30$	

Sit $A:B=C:D$, $E:F=G:H$, $I:K=L:M$, *per hypoth.* erit $AE:FB=CG:DH$ (§.213), adeoque & $AEI:FBK=CGL:MHD$ (§.*cit.*). Ratio vero $AEI:FBK$ componitur ex rationibus $A:B$, $E:F$ & $I:K$; ratio $CGL:DHM$ ex rationibus $C:D$, $G:H$, $L:M$ (§.159). Ergo constat propositum. *Q. e. d.*

THEOREMA XLVII.

219. *Si fuerint quatuor quantitates proportionales A, B, C & D; æquemultiplices primæ atque tertiæ A & C, itemque secundæ ac quartæ B & D, juxta quamlibet multiplicationem, utraque utramque vel una superant, vel una æquales sunt, vel una deficiunt, inter se comparatæ.*

DEMONSTRATIO.

Denotentur æquemultiplices ipsarum A & C per mA & mC, itemque æquemultiplices ipsarum B & D. per nB & nD. Cum sit $A:B=C:D$, *per hypoth.* erit etiam $mA:nB=mC:nD$ (§.185), consequenter $mA:mC=nB:nD$ (§.173). Quamobrem si $mA=mC$, erit $nB=nD$; si $mA>mC$, etiam $nB>nD$; si $mA<mC$, etiam $nB<nD$ (§.151). *Q. e. d.*

SCHOLION.

220. *Hac proprietate proportionalium utitur* Euclides (*a*) *in iis definiendis, ac inde ceteras demonstrat.*

(*a*) Elem. V. def. 5.

CAPUT IV.

De speciebus Arithmeticæ in numeris fractis.

THEOREMA XLVIII.

221. *Si numerator est æqualis denominatori, fractio $\frac{4}{4}$ æquivalet integro; si minor, fractio $\frac{3}{4}$ minor est integro; si major, fractio $\frac{5}{4}$ integro seu unitate major est.*

DEMONSTRATIO.

Denominator enim indicat unitatem seu integrum in partes æquales (e. gr. in nostro casu in 4) divisum, & numerator numerat partes istiusmodi in casu aliquo datas (§.59). Quodsi ergo numerator denominatori æqualis; *per hypoth.* tot dantur partes, quot habet integrum. Ergo fractio integro æqualis (§.86). *Quod erat primum.*

Si numerator denominatore minor; *per hypoth.* aliquot saltem dantur partes integri, non omnes. Ergo fractio tantum aliquot partibus integri æqualis, consequenter eadem minor (§. 20). *Quod erat secundum.*

Si denique numerator major est denominatore; *per hypoth.* plures dantur partes, quam habet integrum. Sed tot partes, quot habet integrum, integro æquales sunt (§. 86). Ergo integrum parti fractionis æquale est, consequenter ipsa integro major (§.20). *Quod erat tertium.*

SCHOLION.

222. Fractiones *integro æquales vel eodem majores dicuntur vulgo* spuriæ, *quia proprie loquendo fractiones non sunt nisi quæ integro minores.* (*§.* 38).

PROBLEMA XVII.

223. *Invenire, quot integra fractio* ($\frac{8}{4}$), *quæ integro major, contineat.*

RESOLUTIO.

Numerator 8 per denominatorem 4 dividatur: dico, quotum 2 indicare, quod petebatur.

DEMONSTRATIO.

Quotus enim 2 indicat, quoties denominator 4 in numeratore 8 contineatur (§.69). Sed denominator idem est cum integro (§. 59). Ergo quotus indicat, quoties integrum in fractione contineatur. *Q. e. d.*

PROBLEMA XVIII.

224. *Integros numeros reducere ad fractionem denominatoris dati.*

RESOLUTIO.

1. Multiplicetur numerus integer per denominatorem datum.
2. Factum scribatur loco numeratoris. Ita reperies $3 = \frac{24}{8}$, $5 = \frac{30}{6}$, $7 = \frac{28}{4}$.

DEMONSTRATIO.

Est nempe factum ad denominatorem datum, ut numerus integer ad unitatem (§. 66. 169). Sed unitas & denominator datus sunt idem integrum (§.59). Ergo fractio & numerus integer æquales sunt (§. 177). *Q. e. d.*

THEOREMA XLIX.

225. *Fractiones homogeneæ æquales sunt, quarum numeratores ad suos denominatores eandem rationem habent; major est, cujus numerator habet rationem majorem; minor vero, cujus numerator habet minorem.*

DEMONSTRATIO.

Cum fractiones inter se sint homogeneæ, *ex hypoth.* ad eandem unitatem referuntur (§. 35), adeoque ipsarum denominatores idem totum referunt (§.59). Quare si numeratores ad suos denominatores eandem rationem habent, fractiones æquales sunt (§.177): cujus vero fractionis numerator ad denominatorem suum rationem majorem habet, ea major est; cujus numerator minorem habet, ea minor est (§.204). *Q. e. d.*

E. gr. $\frac{3}{6} = \frac{4}{8} = \frac{5}{10} = \frac{25}{50} = \frac{1}{2}$. Sed $\frac{3}{24} < \frac{2}{6}$.

SCHOLION.

226. *Intelligitur adeo identitas fractionum, si numerator unius toties contineatur in denominatore suo, quoties numerator alterius in suo continetur. Fractio minor esse intelligitur, si numerator ipsius pluries continetur in suo denominatore, quam numerator alterius in denominatore suo: id quod divisio denominatoris per numeratorem prodit.*

COROLLARIUM.

227. Quodsi ergo tam numerator, quam denominator alicujus fractionis ($\frac{4}{6}$) per eundem numerum (2) multiplicetur vel dividatur; in casu priore facta ($\frac{8}{12}$), in posteriore quoti ($\frac{2}{3}$) constituunt fractionem datæ ($\frac{4}{6}$) æquivalentem (§. 178. 181).

PROBLEMA XIX.

228. *Invenire communem mensuram maximam duorum numerorum.*

RESOLUTIO.

1. Dividatur numerus major per minorem.
2. Divisor primæ divisionis seu numerus datus minor denuo dividatur per residuum primæ divisionis.
3. Similiter divisor secundæ divisionis dividatur per residuum secundæ & ita porro, donec nihil remaneat.

Dico, divisorem ultimum esse communem mensuram maximam numerorum datorum.

E. gr. Sint numeri dati 168 & 240, reperietur eorum communis mensura maxima 24 hunc in modum:

7					
182		24		1	
240	(1	168	(2	72	(3
168		72		24	

Similiter communis mensura maxima numerorum 95 & 47 reperitur 1.

DEMONSTRATIO.

Divisor ultimus 24 metitur divisorem antecedentis (in nostro quidem casu secundæ) divisionis 72, (*per hypoth. & §. 74*). Ergo & metitur dividendum antecedentis (hoc est, in nostro casu secundæ) divisionis 168, quippe ex dividendo ultimæ divisionis 72, aliquoties (hic quidem bis) sumto & ejus divisore 24 compositum. Metitur adeo numerum unum datorum 168 & residuum primæ divisionis 72, adeoque & numerum alterum datorum 240, quippe ex minore 168 aliquoties (in nostro casu semel) sumto & residuo primæ divisionis 72 compositum. Est itaque communis numerorum datorum mensura (§. 78).

Esse vero communem mensuram maximam ordine retrogado per indirectum demonstratur. Ponamus enim numero invento 24 majorem esse mensuram numerorum datorum 240 & 168 communem. Patet igitur ex antecedentibus, quod etiam metiri debeat residuum primæ seu divisorem secundæ divisionis 72, adeoque & residuum secundæ divisionis seu divisorem tertiæ, hoc est, in nostro casu inventam communem mensuram 24. Sed numerus is eadem major est, *ex hyp.* Ergo communem mensuram inventam 24 metietur numerus major, quam 24: Quod cum sit absurdum (§. 74), major communis mensura non datur. Est igitur ea, quam invenimus, maxima. *Q. e. d.*

SCHOLION I.

229. *Qui demonstrationem uno quasi obtutu comprehendere cupiunt; illos hæc numerorum datorum resolutio juvabit.*

I. $72 = 3 \cdot 24$, per divis. tert.

II. $168 = 2 \cdot 72 + 24$, per divis. sec. $= 2 \cdot 3 \cdot 24 + 24$, per num. I. $= 7 \cdot 24$.

III. $240 = 1 \cdot 168 + 72$ per divis. prim. $= 7 \cdot 24 + 3 \cdot 24$ per num. I & II $= 10 \cdot 24$.

SCHO-

SCHOLION II.

230. *In lineis communis mensura maxima invenitur per mutuam earundem a se invicem subtractionem. In numeris autem compendii gratia divisio subtractioni substituitur: ut exemplum ostendit.*

240	96	48
168	72	24
72	24	24
96	48	0

PROBLEMA XX.

231. *Fractionem datam ad minores terminos reducere, h. e. invenire fractionem datæ ($\frac{20}{48}$) æquivalentem, sed minoribus numeris expressam.*

RESOLUTIO.

Dividatur tam numerator 20, quam denominator 48 per eundem numerum 4, qui utrumque metitur: quoti 5 & 12 componunt fractionem quæsitam $\frac{5}{12}$ (§. 227).

COROLLARIUM I.

232. Si ergo divisio fit per communem mensuram maximam numeratoris ac denominatoris (§. 228); fractio ad terminos minimos reducitur.

COROLLARIUM II.

233. Si numeratorem ac denominatorem fractionis datæ sola unitas metitur; ad minores terminos reduci nequit.

SCHOLION.

234. *Molestius accidit inexercitatis communem mensuram maximam quærere, quam iterata per mensuras minores sponte animadversas divisione fractiones reducere.*

PROBLEMA XXI.

235. *Duas vel plures fractiones datas ad eandem denominationem reducere, h. e. invenire fractiones, quæ datis æquales sunt & communi denominatore gaudent.*

RESOLUTIO.

Casus I. Si fractiones duæ dentur, quælibet integra multiplicetur per denominatorem alterius.

E. gr. $\frac{2}{3}, \frac{4}{5} = \frac{2.5}{3.5}, \frac{4.3}{5.3} = \frac{10}{15}, \frac{12}{15}$.

Casus II. Si plures dentur, tam numerator, quam denominator uniuscujusque ducatur in factum ex denominatoribus reliquarum.

E. gr. $\frac{2}{3}, \frac{1}{6}, \frac{3}{4} = \frac{2.6.4}{3.6.4}, \frac{1.3.4}{6.3.4}, \frac{3.3.6}{4.3.6} = \frac{48}{72}, \frac{12}{72}, \frac{54}{72}$.

DEMONSTRATIO.

Fractiones communem habere denominatorem, patet per §. 93 & §. 207. 208. Quod vero æquivaleant primum propositis, manifestum est per §. 227. Constat ergo propositum. *Q. e. d.*

PROBLEMA XXII.

236. *Fractiones addere.*

RESOLUTIO.

1. Si fractiones datæ diversos denominatores habuerint, reducantur ad eundem (§. 235).
2. Addantur numeratores (§. 96) & summæ subscribatur denominator communis.

E. gr. $\frac{2}{3} + \frac{4}{5} = \frac{10}{15} + \frac{12}{15}$ (§. 235) $= \frac{22}{15} = 1\frac{7}{15}$ (§. 223). $\frac{2}{3} + \frac{1}{6} + \frac{3}{4} = \frac{48}{72} + \frac{12}{72} + \frac{54}{72}$ (§. 235) $= \frac{114}{72} = 1\frac{42}{72}$ (§. 223) $= 1\frac{7}{12}$ (§. 231).

DEMONSTRATIO.

Cum denominatores sint nomina unitatum, ex quibus numeratores componuntur (§. 59); numeratores tantum adduntur. Quoniam vero addi nequeunt, nisi fuerint homogenei (§. 61); ad eandem denominationem sunt reducendi (§. 35). *Q. e. d.*

PROBLEMA XXIII.

237. *Fractionem datam ex alia data subtrahere.*

RESOLUTIO.

1. Si fractiones datæ diversos habent denominatores, reducantur ad eandem denominationem (§. 235).
2. Numerator unius ex numeratore alterius subducatur (§. 103) & residuo denominator communis subscribatur.

E. gr. $\frac{3}{4} - \frac{1}{4} = \frac{2}{4} = \frac{1}{2}$ (§. 231) & $\frac{3}{5} - \frac{1}{2} = \frac{6}{10} - \frac{5}{10}$ (§. 235) $= \frac{1}{10}$.

THEOREMA L.

238. *Fractio æquatur Numeratori per denominatorem diviso, hoc est,* $\frac{3}{4} = 3:4$.

DEMONSTRATIO.

Est enim fractio $\frac{3}{4}$ ad unitatem seu integrum ut numerator 3 ad denominatorem 4 (§. 38. 59). Quare cum sit ut antecedens ad consequentem ita exponens rationis ad unitatem (§. 140), si antecedens sumatur numerator 3, consequens denominator 4, erit fractio $\frac{3}{4}$ exponens rationis (§. 177). Æquatur ergo fractio numeratori per denominatorem diviso (§. 136). *Q. e. d.*

PROBLEMA XXIV.

239. *Fractionem per fractionem multiplicare.*

RESOLUTIO.

Ducatur numerator unius fractionis in numeratorem, & denominator unius in denominatorem alterius; facta constituunt fractionem quæsitam.

E. gr. $\frac{2}{3} \cdot \frac{1}{2} = \frac{2}{6} = \frac{1}{3}$ (§. 231).

DEMONSTRATIO.

Sit $\frac{A}{B}\left(\frac{2}{3}\right) = A:B$ (§. 238) $= F$, & $\frac{C}{D}\left(\frac{1}{2}\right) = C:D$ (§. *cit.*) $= G$. erit $B:A = 1:F$ & $D:C = 1:G$ (§. 69). Ergo $BD:AC = 1:FG$ (§. 213), hoc est, $\frac{AC}{BD}\left(\frac{2.1}{3.2}\right) = \frac{FG}{1}$ (§. 169) $= FG\left(\frac{2}{6}\right)$. *Q. e. d.*

SCHOLION I.

240. *Non mirum, quod factum factoribus minus, cum revera divisio sit, quæ multiplicatio vocatur. E. gr.* $\frac{2}{3}$ *multiplicare per* $\frac{1}{2}$ *idem est ac invenire dimidium duarum partium tertiarum.*

SCHOLION II.

241. *Hinc fractionum multiplicatio sequente modo facilius demonstratur.* Si fractio $\frac{4}{5}$ multiplicanda per $\frac{2}{3}$, duæ partes tertiæ quatuor quintarum inveniendæ. Data igitur fractio $\frac{4}{5}$ instar totius considerata dividenda est in tot partes æquales, quot multiplicatoris denominator 3 habet unitates, scilicet in nostro casu in tres, & pars ista multiplicanda per numeratorem multiplicatoris, nempe hic per 2 (§. 59).

SCHOLION III.

242. *Vix autem opus est ut annotemus, si fractio per numerum integrum multiplicanda, ducendum esse solum numeratorem in integrum numerum datum. E. gr. factum ex* $\frac{3}{7}$ *in 2 est* $\frac{6}{7}$.

PROBLEMA XXV.

243. *Fractionem* $\frac{4}{5}$ *per aliam fractionem* $\frac{2}{3}$ *dividere.*

RESOLUTIO.

1. Divisor invertatur. E. gr. loco $\frac{2}{3}$ scribe $\frac{3}{2}$.
2. Divisor inversus ducatur in dividendum

dum (§. 239): quod prodit $\frac{12}{10}$ seu $1\frac{1}{5}$ (§. 223) est quotus quæsitus.

DEMONSTRATIO.

Quoniam divisor ad dividendum ut unitas ad quotum (§. 69); erit etiam dividendus ad divisorem ut quotus ad unitatem (§. 169). Quodsi fractiones ad eandem denominationem reducantur (§. 235), cum eædem sint æquales quotis ex divisione numeratorum per denominatorem communem (§. 238); erit Numerator fractionis dividendæ ad Numeratorem dividentis ut fractio dividenda ad fractionem dividentem (§. 181), consequenter in hoc casu numerator dividendæ ad Numeratorem dividentis ut quotus ad unitatem (§. 167). Quare fractiones datæ ad communem denominatorem reducendæ sunt & numerator dividendæ per numeratorem dividentis dividi debet, ut habeatur quotus ex divisione fractionis dividendæ per dividentem emergens (§. 177). Enimvero dum fractiones duæ ad eandem denominationem reducuntur, numerator primæ enascitur ex numeratore ipsius dato in denominatorem secundæ, numerator vero secundæ ex ipsius numeratore dato in denominatorem primæ ducto (§. 235). Obtinemus adeo numeros, ex quorum divisione quotus quæsitus emergit, si divisor inversus (*juxta*) §. 239 in fractionem dividendam ducatur. *Q. e. d.*

SCHOLION.

244. *Neque vero mirum est, quod quoti numeri integri esse possint. Una enim fractio alteram ter, quater, millies &c. continere potest. Apparet adeo, cum fractiones sint rationes (§. 141), eas dividere idem esse ac rationum rationes investigare.*

PROBLEMA XXVI.

245. *Integrum 3 per fractionem $\frac{4}{7}$ dividere.*

RESOLUTIO.

1. Divisor invertatur, ut in problemate præcedente (§. 243). E. gr. loco $\frac{4}{7}$ scribe $\frac{7}{4}$.
2. Numerus integer datus 3 ducatur in Numeratorem 7 divisoris inversi.
3. Facto subscribatur ejusdem denominator 4: quod prodit $\frac{21}{4}$ sive $5\frac{1}{4}$ est quotus quæsitus.

DEMONSTRATIO.

Eadem est cum demonstratione problematis præcedentis (§. 243).

CAPUT V.

De Potentiis numerorum, Genesi præsertim ac Analysi numerorum quadratorum & cubicorum.

DEFINITIO LIII.

246. SI numerus quicunque 2 in se ipsum ducatur; factum 4 *Numerus quadratus*, ipse autem hujus intuitu *Radix quadrata* appellatur.

COROLLARIUM.

247. Cum sit ut unitas ad radicem quadratam, ita radix ad ipsum quadratum (§. 66. 246); erit radix media proportionalis inter unitatem & quadratum (§. 156).

DEFINITIO LIV.

248. Si numerus quadratus 4 porro per radicem 2 multiplicetur; factum 8 dicitur *Numerus Cubicus* seu *cubus*, & radix 2 ejus intuitu *Radix cubica.*

COROLLARIUM.

249. Cum sit ut unitas ad radicem, ita radix ad quadratum (§. 66. 246) & ut unitas ad radicem ita quadratum ad cubum (66. 248); erit etiam radix ad quadratum ut quadratum ad cubum (§. 167), hoc est, unitas, radix, quadratum & cubus in continua proportione progrediuntur (§. 156) & radix cubica est primus ex duobus numeris mediis continue proportionalibus inter unitatem & cubum.

DEFINITIO LV.

250. Cum istiusmodi multiplicatio in infinitum continuari possit; facta inde genita generali *potestatum, potentiarum, dignitatum* nomine appellari solent. *Vieta* eadem *Magnitudines scalares* vocat.

DEFINITIO LVI.

251. *Exponens dignitatis* est numerus, qui indicat, quoties dignitas data per radicem dividenda, antequam ad unitatem perveniatur. Ita exponens quadrati est 2, cubi 3 (§. 246. 248).

DEFINITIO LVII.

252. Hodie tantum non omnes dignitates optime distinguunt per exponentes, ita ut radix dicatur *dignitas prima*, quadratum *secunda*, cubus *tertia* &c. Qui Arabes sequuntur, singulis potentiis peculiaria imponunt nomina, diversa tamen ab iis, quibus cum *Diophanto* (a) utuntur *Vieta* (b) & *Oughtredus* (c). Nomina Arabum sunt: *Radix*, *Quadratum*, *Cubus*, *Quadratoquadratum*, seu *biquadratum*, *Surdesolidum*, *Quadratum Cubi*, *Surdesolidum secundum*, *Quadratiquadrati quadratum*, *Cubus cubi*, *Quadratum Surdesolidi*, *Surdesolidum tertium* &c. Nomina Diophanti sunt: *Latus* seu *Radix*, *Quadratum*, *Cubus*, *Quadratoquadratum*, *Quadratocubus*, *Cubocubus*, *Quadratoquadratocubus*, *Quadratocubocubus*, *Cubocubocubus &c.*

SCHO-

(a) In *Libris Arithmeticorum.*
(b) In *Isagoge in Artem Analyt.* c. 3. f. m. 3.
(c) In *Clave Mathem.* c. 12. p. m. 34.

SCHOLION.

253. *Multi quadratum vocant* Zenſum. *Hinc compoſita:* Zenſizenſus, Zenſicubus, Zenſizenzenſus, Zenſurdeſolidus &c.

HYPOTHESIS XII.

254. *Qui Arabum denominationibus uſi, potentiarum ſignis ſequentibus utuntur:* 1. R, 2. ʒ, 3. C, 4. ʒʒ, 5. ß, 6. ʒC, 7. Bß, 8. ʒʒʒ, 9. CC, 10. ʒß, 11. Cß &c. *Multo commodius* Carteſius *(a) monito* Kepleri *(b) obſecutus radici ſuperius a dextris jungit exponentem*, e. gr. *ſi* a *fuerit radix*, *erunt potentiæ ipſam ſequentes* a^2, a^3, a^4, a^5, a^6 &c. *vel, ſi* $a=2$, 2^2, 2^3, 2^4, 2^5, 2^6 &c. *ita ut ſit* $2^2=4$, $2^3=8$, $2^4=16$ &c.

DEFINITIO LVIII.

255. *Quantitatem ad dignitatem deſideratam evehere* idem eſt ac invenire factum ex ipſa aliquoties in ſe ducta emergens. E. gr. 2 evehere ad dignitatem tertiam idem eſt ac invenire factum 8, cujus factores 2. 2. 2.

DEFINITIO LIX.

256. *Ex dignitate data radicem extrahere, vel latus educere* idem eſt ac invenire numerum 2, qui aliquoties in ſe ipſum ductus datam potentiam (ex. gr. tertiam) 8 producit.

SCHOLION.

257. *Cum dignitates ſuperiores nonniſi in Analyſi uſum habeant; in præſenti geneſin & analyſin quadratorum & cuborum tantum tradimus. Radices vero quadratas ac cubicas extracturus omnium digitorum numeros quadratos & cubicos noſſe debet, quos ſequens tabula exhibet:*

Radices.	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Quadrati	1	4	9	16	25	36	49	64	81
Cubici	1	8	27	64	125	216	343	512	729

(*a*) In Geometria.
(*b*) Harmonices mundi lib. 1. f. 35. 36.

DEFINITIO LX.

258. *Radix* tam quadrata, quam cubica, aut dignitatis ſuperioris cujuscunque dicitur *binomia*, ſi ex duabus; *trinomia*, ſi ex tribus, *multinomia* ſive *polynomia*, ſi ex pluribus, quam duabus partibus conſtat.

THEOREMA LI.

259. *Potentiæ ejusdem gradus ſunt in ratione tantuplicata laterum, quot unitates habet exponens earundem, hoc eſt, quadrata habent rationem duplicatam, cubi triplicatam, quadrato-quadrata quadruplicatam &c. rationem ſuarum radicum.*

DEMONSTRATIO.

Potentiæ oriuntur, ſi radices A & B aliquoties in ſeipſas ducas (§. 250). Quare cum eadem radix A ad eandem radicem B eandem habeat rationem; ratio quadratorum componitur ex duabus, cuborum ex tribus, quadrato-quadratorum ex quatuor &c. reliquarum potentiarum ex tot rationibus ſimilibus, quot exponens earundem habet unitates. Ergo quadrata habent rationem duplicatam, cubi triplicatam &c. ceteræ potentiæ rationem tantuplicatam ſuarum radicum, quot unitates habet exponens earundem (§. 159).

THEOREMA LII.

260. *Quantitatum proportionalium potentiæ eædem sunt etiam proportionales.*

DEMONSTRATIO.

Habent enim potentiæ eædem rationem multiplicatam ipsarum A:B, B:C, C:D, D:E &c. vel A:B, C:D, E:F &c. (§. 259). Sed hæ rationes omnes inter se eædem sunt *per hypoth.* Ergo potentiæ istæ v. gr. A^3, B^3, C^3, D^3, E^3, &c. constituunt rationes compositas ex rationibus, quarum singulæ singulis æquales sunt (§. 250), consequenter easdem (§. 218), atque adeo proportionales sunt (§. 155). *Q. e. d.*

THEOREMA LIII.

261. *Numerus quadratus radicis binomiæ, componitur ex quadrato partis primæ, ex facto dupli primæ in alteram & ex quadrato partis alterius.*

DEMONSTRATIO.

Prodit enim numerus quadratus, si radix in seipsam ducitur (§. 246). Utraque vero pars radicis sigillatim ducitur in utramque simul (§. 111). Quare productum componi debet 1°. ex facto partis primæ in seipsam, hoc est, ex quadrato partis primæ (§. 246), 2°. ex facto partis primæ in secundam & ex facto secundæ in primam, hoc est, ex duplo facto primæ in secundam, seu ex facto dupli primæ in secundam (§. 207. 208), 3°. ex facto partis secundæ in seipsam, hoc est, ex quadrato partis secundæ (§. 246). *Q. e. d.*

SCHOLION.

262. *Demonstratio ocularis, si in quocunque exemplo singulari multiplicatio non actu peragitur, sed saltem indicatur; quo in casu exempli universalis vices tuetur: id nimirum non infelicius quam figuræ in Geometria repræsentant, quod singularia in universum omnia commune habent. E. gr. sit radix binomia* 34 *aut* 30 + 4; *erit*

30 + 4	*Radix binomia.*
30 + 4	
16	*Quadratum partis II.*
120	*Facta ex I in II.*
120	
900	*Quadratum partis I.*
1156	*Quadratum totius.*

Egregium hoc artificium vires imaginationis mire extendit & intellectum juvat tam in demonstrationibus concipiendis, quam in propositionibus inveniendis.

COROLLARIUM I.

263. Cum pars dextra sive secunda inter unitates, sinistra sive prima inter decades locum obtineat (§. 50); quadratum illius in loco dextimo, factum ex unius duplo in alteram in secundo, quadratum denique alterum in tertio a dextimo terminari debet (§. 49).

SCHOLION II.

264. *Scilicet quadratum partis dextimæ nullam adjunctam habet cyphram; duplo facto ex parte una in alteram cyphra una, quadrato autem partis sinistræ duæ adjunguntur, ut numeri solitarie positi justum locum nanciscantur* (§. 49).

COROLLARIUM II.

265. Si radix multinomia fuerit; partes duæ aut plures sinistimæ habeantur pro una, & extemplo patebit, quadratum numeri cujuscunque componi ex quadratis singularum partium & factis ex duplo partis cujus-

cujuslibet in omnes ipsa sinisteriores: ut adeo theorema unum compositioni omnium numerorum quadratorum sufficiat.

SCHOLION III.

266. Sit radix 346: sumatur 340 pro parte una & 6 pro altera; erit (§. 261)

```
 340+6
 340+6
 ------
     36   Quadratum partis III.
   2040 } Facta ex parte III in I &
   2040 }       II simul.
   1600   Quadratum partis II.
  12000 } Facta ex I in II.
  12000 }
  90000   Quadratum partis I.
 ------
 119716   Quadratum totius.
```

COROLLARIUM III.

267. Quonam in loco singula producta terminentur, ex corollario primo & ejus scholio intelligitur (§. 263. 264). Habenda nimirum est ratio cyphrarum numeris in se invicem ductis adjungendarum, si solitarii ponantur, ut justum nanciscantur locum (§. 49).

SCHOLION IV.

268. Extractio radicis quadratæ, alias tædii plena, facillima evadit, ubi quadratis per theorema præsens componendis operam prius impenderis.

PROBLEMA XXVII.

269. *Ex numero quocunque dato radicem quadratam extrahere.*

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

1. Numerus propositus distinguatur in classes, binas notas classi unicuique assignando, initio a dextra facto. Tot enim erunt partes radicis, quot classes habentur (§. 265. 267). Notandum vero, quod classi sinistimæ interdum nonnisi nota unica relinquatur.
2. Jam cum in classe sinistima reperiatur quadratum notæ sinistimæ radicis (§. *cit.*); in Tabula radicum (§. 275) quæratur numerus quadratus ei, qui classem sinistimam occupat, vel æqualis, vel eodem proxime minor, & ex ipso subtrahatur; radix vero ejus post lunulam scribatur.
3. Quoti inventi duplum ponatur sub nota sinistima classis subsequentis & inde porro sinistrorsum, si ex notis pluribus constiterit. Investigetur novus quotus *per abacum Pythagoricum* (§. 109), inventusque post lunulam scribatur: est enim pars secunda radicis (§. 261. 210).
4. Idem quotus ponatur sub nota dextima illius classis & factum ex numero subscripto integro in divisorem (§. 263) subducatur, ut in divisione moris est.
5. Quodsi operatio juxta regulam tertiam & quartam in reliquis classibus iteretur; prodibit radix quæsita (§. 265. 267).

```
E.gr.  11 | 56 (34        11 | 97 | 16 (346
        9 | ::             9 | :: | ::
       ---|---           ---------|---
        2 | 56             2 | 97 | ::
            6*                 6* | ::
        2  56              2  56  | ::
       -------           ---------|---
          0                    41 | 16
                                6 | 86
                               41 | 16
                         ------------------
                                 0
```

PROBLEMA XXVIII.

270. *Radicem quadratam ex fractione data extrahere, cujus numerator & denominator est numerus quadratus.*

RESOLUTIO ET DEMONSTRATIO.

Quoniam numerum fractum per fractum multiplicans unius numeratorem in numeratorem alterius & denominatorem pariter in denominatorem alterius ducit (§. 239); quadratum autem ex ductu ejusdem numeri in seipsum enascitur (§. 246); radicem quadratam extracturus eam sigillatim ex numeratore ac denominatore extrahere tenetur.

Ita radix quadrata ex $\frac{4}{9}$ est $\frac{2}{3}$, ex $\frac{49}{144}$ vero $\frac{7}{12}$

COROLLARIUM I.

271. Cum numeri integri ad fractionem denominatoris dati reducantur, si per hunc multiplicentur & facto tanquam numeratori denominator datus subscribatur (§. 224); si numerus datus, qui quadratus non est, ad fractionem reducatur, cujus denominator est quadratus & ex fractione extrahatur radix (§. 270): quæ prodit fractio radicem prope veram exhibet in istiusmodi partibus, quas denominatoris quadrati radix indicat.

SCHOLION I.

272. *E. gr. Si ex 2, extrahenda radix prope vera, quæ non deficiat in partibus sextis; duc 2 in 36, ut prodeat fractio $\frac{72}{36}$, cujus radix $\frac{8}{6}$ sive $1\frac{2}{6}$ exhibet radicem a vera magnitudine parte sexta non differentem, seu cujus defectus minor est quam $\frac{1}{6}$.*

COROLLARIUM II.

273. Quoniam numerum per articulum primarium, veluti 10, 100, 1000 &c. multiplicaturus eidem non nisi cyphras 0, 00, 000 &c. unitati adhærentes adjungere teneris (§. 112); radicem prope veram in fractionibus decimalibus desiderans numero, qui quadratus non est, 2, 4, 6 &c. cyphras junge dextrorsum & operationem continua: ita enim prodibit radix prope vera in partibus decimis, centesimis, millesimis &c.

SCHOLION II.

274. E. gr. *Sit extrahenda radix quadrata ex 345; prodibit $\frac{1857}{100}$.*

```
3|45 (18 57/100
1|: :
---------
2|45
(28)
224 |
-------
 2.1.|0.0
  (3 |65)
1  8  25
-----------
   27.5.|00
    (37|07)
    259 49
   --------
     15 51
```

SCHOLION III.

275. *Si tabulis numerorum quadratorum pro radicibus ab 1 usque ad 1000 utaris; in iis evolvi potest numerus quadratus proxime minor eo, qui tres classes sinisteriores* occu-

```
            (294 9/10
8 6 9 7.5   ---------
8 6 4 3 6
---------
  5 3 9|0. 0
  ( 5 8| 8 9 )
  5 3 0|0 1
  ---------
    8 9 9
```

occupat. Ita sine ullo labore habentur tres notæ priores, e. gr. in nostro casu 294. Plures notæ una inveniuntur, si tabulæ longius extendantur.

THEOREMA LIV.

276. *Numerus cubicus radicis binomiæ componitur ex numeris cubicis duarum partium, ex facto tripli quadrati partis primæ in secundam & ex facto tripli quadrati partis secundæ in primam.*

DEMONSTRATIO.

Numerus cubicus prodit, si quadratum per radicem multiplicetur (§. 248). Sed quadratum radicis binomiæ componitur ex quadratis partium & facto duplo ex parte una in alteram (§. 261). Quare cubus componitur ex cubo partis primæ, ex triplo facto quadrati partis primæ in secundam, ex triplo facto quadrati partis secundæ in primam, hoc est, ex facto tripli quadrati partis primæ in secundam, & facto tripli quadrati partis secundæ in primam (§. 207) atque ex cubo partis secundæ (§. 246. 248). *Q. e. d.*

SCHOLION I.

277. *Demonstrationem ocularem denuo sistit exemplum singulare, in quo multiplicatio tantum indicatur. Sit e. gr. radix 34 seu 30 + 4, erit*

30 + 4	*Radix*
16	*Quadrat. part.* II.
120	*Facta ex* I *in* II.
120	
900	*Quadrat. part.* I.
64	*Cubus part.* II.
480	*Facta ex quadrat.* II. *in* I.
480	
3600	*Factum ex quadrat.* I. in II.
480	*Fact. ex quadrat.* II. *in* I.
3600	*Facta ex quadrat.* I. *in* II.
3600	
27000	*Cubus part.* I.
39304	*Cubus totius.*

COROLLARIUM I.

278. Cum pars dextra inter unitates, sinistra inter decades locum obtineat (§. 50); numerus cubicus dextræ in loco dextimo, factum ex triplo quadrato ejus in sinistram in secundo, factum ex triplo quadrato sinistræ in dexteram in tertio, cubus denique partis sinistræ in quarto loco terminatur (§. 49).

COROLLARIUM II.

279. Si radix multinomia fuerit, duæ vel plures notæ dextimæ pro una habentur, ut binomiæ formam mentiatur; extemplo patet, quod cubus quicunque componatur ex cubis singularum partium radicis & ex factis tripli quadrati quarumlibet sinisteriorum in proxime dexteriorem, itemque ex factis tripli quadrati cujuslibet dexterioris in omnes sinisteriores.

SCHOLION II.

280. *Sit radix 346. Sume 340 pro parte una radicis, erit 6 pars altera, consequenter (§. 276)*

346

346	
346	
90000	*Quadrat. part.* I.
12000	*Facta ex* I *in* II.
12000	
1600	*Quadrat. part.* II.
115600	*Quadrat.* I *&* II *simul.*
2040	*Facta ex* III *in* I *&* II *simul.*
2040	
36	*Quadrat. part.* III.
27000000	*Cubus part.* I.
3600000	*Facta. ex quadr.* I *in* II.
3600000	
480000	*Fact. ex quadr.* II *in* I.
3600000	*Fact. ex quadr.* I *in* II.
480000	*Fact. ex quadr.* II *in* I.
480000	
64000	*Cubus part.* II.
693600	*Facta ex quadr.* I *&* II *simul in* III.
693600	
12240	*F. ex quad.* III *in* I *&* II *sim.*
693600	*F. ex quadr.* I *&* II *sim. in* III.
12240	*Fact. ex quadr.* III *in* I *&* II *simul.*
12240	
216	*Cubus part.* III.
41421736	*Cubus totius.*

Notandum scilicet, sectionem numeri in duas partes arbitrariam esse, cumque theorema generaliter de radice utcunque in duas partes divisæ loquatur, idem quoque ad quamlibet sectionem applicari posse. E. gr. *numerus* 346 *non modo stante theoremate in* 340 *&* 6, *vel in* 300 *&* 46, *verum etiam in* 195 *&* 151, *in* 89 *&* 257, *& in duas quascunque alias partes dividi potest: id quod etiam tentanti palam fit. Ceterum idem valere in numeris quadratis, immo in genere in potentiis quibuscunque, me tacente intelligitur.*

COROLLARIUM III.

281. In quibus autem locis singula terminentur facta, ex corollario primo (§. 278) colligitur: habenda nimirum & hic est ratio cyphrarum numeris in se invicem ductis adjungendarum, si solitarii ponantur. *Vide exemplum in schol. præc.* (§. 280).

PROBLEMA XXIX.

282. *Ex numero dato radicem cubicam extrahere.*

RESOLUTIO ET DEMONSTRATIO.

1. Numerus datus distinguatur in classes, tres notas unicuique assignando, initio a dextris facto. Etenim ex tot notis radix componitur, quot classes emergunt (§. 278. 281). Notandum vero, non repugnare, ut classi sinistimæ una, vel duæ notæ cedant.
2. In Tabula radicum (§. 257) quæratur numerus cubicus eo proxime minor numero, qui in classe sinistima continetur, nisi ipse in eadem inveniatur, atque ab hoc subtrahatur; ejus vero radix post lunulam scribatur: est enim pars prima radicis (§. 274).
3. Quoti inventi quadratum triplum (§. 278. 281) scribatur sub nota sinistima classis subsequentis & inde porro sinistrorsum si ex pluribus notis constiterit: quo facto quæratur quotus, qui erit pars secunda radicis (§. *cit.* & §. 210).
4. Divisor ducatur in novum quotum & productum sub eo deleto scribatur, sub nota vero media classis ejusdem terminetur factum ex triplo

triplo quadrato novi Quoti in præcedentem; ſub dextima denique cubus novi quoti. Hæc tria facta in unam ſummam collecta ex notis numeri cubici ſupraſcriptis ſubtrahantur (§. *cit.*).

5. Quodſi operatio per reliquas claſſes juxta regulam tertiam & quartam continuetur; prodibit radix quæſita (§. 275).

E. gr.	47	437	928 (362
	27		
	20	437	
Diviſor	(2	7) . .	
Fact. ex D. in Q.	16	2 . .	
Fac. ex 3 □N. Q. in pr.	3	24 .	
Cubus N. Q.		216	
Summa factor.	19	656	
		781	928
Diviſor		(388	8) . .
Fact. ex Div. in Q. N.		777	6 . .
Fact. ex 3 □N. Q. in pr.		4	32 .
Cubus N. Q.			8
Summa factorum		781	928
		000	000

PROBLEMA XXX

283. *Radicem cubicam ex fractione extrahere, cujus numerator & denominator cubus eſt.*

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

Eodem, quo ſupra (§. 270), modo patet, radicem ſigillatim ex numeratore ac denominatore extrahendam eſſe.

Ita radix ex $\frac{27}{343}$ eſt $\frac{3}{7}$; ex $\frac{64}{729}$ vero $\frac{4}{9}$.

COROLLARIUM I.

284. Hinc porro eodem, quo ſupra, (§. 271), modo conſequitur, radicem prope veram in fractione dati denominatoris inveniri, ſi numerus, qui cubus non eſt, per hujus denominatoris cubum multiplicetur & radici cubicæ ex facto extractæ tanquam numeratori denominator datus ſubjiciatur.

SCHOLION I.

285. E. gr. *Si ex* 12 *extrahenda radix cubica prope vera, defectu minore quam* $\frac{1}{8}$; *ducatur* 12 *in* 512 *cubum ipſius* 8 *& ex facto* 6144 *extrahatur radix cubica* 18, *erit* $\frac{18}{8}$ *ſeu* $2\frac{2}{8}$ *radix prope vera, cujus defectus eſt minor quam* $\frac{1}{8}$.

COROLLARIUM II.

286. Immo inde ulterius eodem, quo ſupra (§. 273), modo fluit, radicem prope veram in fractionibus decimalibus inveniri, ſi 3, 6, 9 &c. cyphræ numero non cubo dextrorſum pro decimis, centeſimis, milleſimis &c. partibus jungantur & operatio (§. 282) continuetur.

SCHOLION II.

287. E. gr. *Sit extrahenda radix cubica ex* 3, *eam reperies* $1\frac{44}{100}$.

3	($1\frac{44}{100}$
1	
2.	0.0.0
	3 . .
1	2 . .
	48 .
	64
1	744
256.	0.0.0
58	8 . .
235	2 . .
6	72 .
	64
241	984
1.4	016

SCHOLION II.

288. *Si tabulis numerorum cubicorum utaris, idem operæ compendium facere licet, quod supra (§. 275) in extrahenda radice quadrata commendavimus.*

PROBLEMA XXXI.

289. *Examinare extractionem radicis quadratæ ac cubicæ.*

RESOLUTIO.

I. Radix quadrata inventa ducatur in se ipsam & facto residuum, si quod fuerit, addatur. Quodsi numerus prodeat, ex quo radix extracta; erit numerus inventus radix quadrata dati vel exacta, vel (si talem non habeat) prope vera (§. 246).

18.57
18.57

12999
9285
14856
1857

3448449
1551

3450000

E. gr. Radicem quadratam prope veram ex 345 supra (§. 274) reperimus $18\frac{57}{100}$. Duc radicem 18.57 in seipsam & facto 3448449 adde residuum 1551: prodibit numerus 345, ex quo extractio fieri debebat, quatuor cyphris auctus: ut in extractione ad inveniendas centesimas factum fuerat.

II. Radix cubica inventa ducatur in seipsam, & factum denuo in eandem. Producto posteriori addatur, si quod fuerit, residuum. Quodsi numerus prodeat, ex quo extractio facta, operatio rite peracta (§. 248).

1.44
1.44

576
576
144

20736
144

82944
82944
20736

2985984
14016

3000000

E. gr. Superius (§. 287) ex 3 extracta radix est $1\frac{44}{100}$. Duc hanc radicem 1.44 in seipsam & factum 20736 denuo in 1.44. Producto alteri 2985984 adde, quod supra residuum erat, 14016. Aggregatum est radix 3 sex cyphris aucta, ut in operatione factum fuerat.

THEOREMA LV.

290. *Exponens rationis quadratorum est quadratum, cuborum cubus & in genere potentiarum cujuscunque gradus potentia ejusdem gradus exponentis radicum.*

DEMONSTRATIO.

Quadrata enim habent rationem duplicatam, cubi triplicatam & in genere potentiæ cujuscunque gradus rationem multiplicatam suarum radicum (§. 259). Quare cum exponens rationis compositæ sit æqualis facto, quod producunt exponentes simplicium (§. 214), exponens vero rationum simplicium, ex quibus componuntur duplicatæ, triplicatæ & in genere multiplicatæ quæcunque, idem sit (§. 159); exponens rationis duplicatæ erit quadratum (§. 246), triplicatæ cubus (§. 248) & in genere multiplicatæ cujuscunque potentia exponentis radicum (§. 250). *Q. e. d.*

THEO-

THEOREMA LVI.

291. *Si ex divisione numeri quadrati per quadratum, cubi per cubum & in genere potentiæ cujuscunque per aliam similem, numerus integer prodit; etiam ex divisione radicis per radicem integer prodire debet.*

DEMONSTRATIO.

Quotus ex divisione numeri quadrati per quadratum, cubi per cubum & in genere potentiæ cujuscunque per aliam similem emergens est exponens rationis quadratorum, cuborum, vel in genere potentiarum similium se mutuo dividentium (§. 136), adeoque quadratum, cubus & in genere potentia exponentis rationis radicum (§. 290). Quare cum idem sit numerus rationalis integer, *per hypoth.* erit idem numerus rationalis integer quadratus, cubus vel potentia alterius gradus: cujus quoniam radix itidem rationalis integer esse debet (§. 250); etiam exponens radicum numerus rationalis integer erit. *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

292. Quare si radix radicem non metitur, nec quadratum quadratum, nec cubus cubum, nec potentia quæcunque aliam similem metitur (§. 74), consequenter fractio integro major ex istiusmodi quadratis, cubis vel potentiis quibuscunque similibus composita ad numerum integrum irreducibilis (§. 223).

THEOREMA LVII.

293. *Si numeri integri non datur radix in integris, nec dabitur per fractos.*

DEMONSTRATIO.

Ponamus dari numerum fractum, qui sit radix. Ex ejus itaque iterata multiplicatione per seipsum produci debet numerus datus (§. 250). Sed quoties cunque fractum per seipsum multiplicas, productum semper est fractus (§. 239) isque in præsente casu ad integrum irreducibilis (§. 292). Quare cum numerus datus sit integer, *ex hypoth.* fractus ejus radix esse nequit. *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

294. Jam cum numeri primi in se ex nullo alio numero in se aliquoties ducto oriantur (§. 75); ex numeris primis in se nulla perfecta radix extrahi potest in integris (§. 256), adeoque nec per fractos dari potest (§. 293).

HYPOTHESIS XIII.

295. *Interdum utile est, extractionem radicis tantum indicari, præsertim si perfecta haberi nequit. Est autem signum radicale sequens* $\surd$ *: cui in vertice jungitur exponens dignitatis, si altioris gradus, quam quadrata.* E. gr. $\surd_2$ denotat radicem ex 2; $\sqrt[3]{5}$ denotat radicem cubicam ex 5.

SCHOLION.

296. *In Geometria & Analysi demonstrabitur, tales radices, quæ actu dari non possunt, esse ad unitatem ut rectam lineam ad rectam aliam, consequenter numeros* (§. 10) *eosque irrationales, cum ex hypothesi rationales non sint. Dicuntur vulgo numeri* surdi: *quamvis olim hujus vocis significatus strictior fuerit* (b). *Et olim, & nunc interdum* radicales *nuncupari sueverunt.*

(b) Vid. *Stifelius* in Arithm. integra lib. 2 c. 12. p. 134.

CAPUT VI.

De Regulis Proportionum.

THEOREMA LVIII.

297. *Si fuerint quatuor quantitates proportionales; factum extremarum æquatur facto mediarum.*

DEMONSTRATIO.

6 : 3 = 8 : 4	A : B = C : D (*per hypoth.* & §. 152). Ergo AD : BC = CD : DC (§. 185.) Sed CD = DC (§. 207). Igitur AD = BC (§. 149). *Q. e. d.*
4 3	
24 = 24	

THEOREMA LIX.

298. *Si fuerint tres quantitates continue proportionales; factum extremarum est æquale mediæ quadrato.*

DEMONSTRATIO.

6 : 12 = 12 : 24	Quoniam enim A : B = B : C (*per hypoth.* & §. 156. 152); erit AC = BB (§. 297). Sed
12 6	
144 = 144	

BB est quadratum ipsius B (§. 250). Ergo factum extremarum AC æquatur quadrato mediæ. *Q. e. d.*

THEOREMA LX.

299. *Si quantitas AD producta ex duabus aliis se mutuo multiplicantibus A & D fuerit æqualis alteri BC ex duabus aliis B & C eodem modo productæ; erit A : B = C : D.*

DEMONSTRATIO.

6 8	AC : AD = C : D (§. 178). Sed AD = BC, *per hypoth.* Ergo AC : BC = C : D (§. 168), consequenter A : B = C : D (§. 181). *Q. e. d.*
4 3	
24 = 24	
4:8 = 3:6	

COROLLARIUM.

300. Si ergo in serie quatuor quantitatum factum ex secunda in tertiam æquale sit facto ex prima in quartam; erunt quantitates istæ proportionales.

PROBLEMA XXXII.

301. *Inter duos numeros (8 & 72) medium proportionalem invenire.*

RESOLUTIO.

1. Datorum unus 72 multiplicetur per alterum 8 (§. 111).
2. Ex facto 576 extrahatur radix quadrata 24 (§. 269): quæ erit numerus quæsitus (§. 298).

PROBLEMA XXXIII.

302. *Datis tribus numeris 3, 12, 5 quartum; aut duobus, tertium proportionalem invenire.*

RESOLUTIO.

1. Secundus 12 ducatur in tertium 5, aut in altero casu secundus in seipsum.
2. Factum 60 dividatur per primum 3. Quotus 20 est quartus, in altero casu tertius quæsitus.

DE-

Demonstratio.

Si enim terminum ſecundum per tertium, aut in altero caſu ſecundum per ſeipſum multiplicas; factum ex primo in quartum, in caſu altero ex primo in tertium prodit (§. 297. 298). Quodſi ergo hoc per primum dividis; quotus eſt terminus quartus, in caſu altero tertius (§. 210). *Q. e. d.*

Corollarium I.

303. Data quælibet fractio converti poteſt in aliam æqualem datæ denominationis. Quodſi enim *per probl. præſ.* ad denominatorem & numeratorem fractionis datæ atque denominatorem deſideratæ quæratur numerus quartus proportionalis; erit is numerator fractionis quæſitæ (§. 225). E. gr. ſit fractio $\frac{2}{3}$ convertenda in aliam cujus denominator 24, reperietur ea $\frac{16}{24}$.

3 —— 2 —— 24
2
——
48

4
48(16
33

Corollarium II.

304. Quodſi numerus partium, in quas integrum aliquod communi more dividitur, pro denominatore aſſumitur; valor fractionis datæ in menſura vulgari reperitur. E. gr. Cum apud nos thalerus in 24 groſſos dividatur, ex ante allato exemplo apparet, 16 groſſos æquivalere duabus tertiis unius thaleri.

Corollarium III.

305. Si vero denominator aſſumitur 10, 100, 1000 &c. fractiones datæ in decimales convertuntur. Ita reperiemus $\frac{2}{3} = \frac{666666}{1000000}$ &c. in infinitum; $\frac{4}{5} = \frac{8}{10}$; $\frac{3}{7} = \frac{42857}{100000}$ fere.

Scholion I.

306. *In fractionibus decimalibus denominator omitti ſolet, quia ex meris cyphris & præfixa unitate conſtat. Ejus vero loco punctum* (.) *numeratori præfigitur & loca vacua replentur cyphra, ita ut e. gr. duæ cyphræ præponantur, ſi fractio milleſimis incipiat. Ita loco* $\frac{23}{100}$ *ſcribimus* 0. 23; *loco* $5\frac{47}{10000}$ *ſcribimus* 5. 0047. *Eſt vero harum fractionum non exiguus in Matheſi uſus, quas primus in condendis Tabulis ſinuum adhibuit* Johannes Regiomontanus.

Scholion II.

307. *Reſolutio hujus problematis vulgo* Regula trium *appellatur, quia ex tribus numeris invenitur quartus. Uſus ejus ampliſſimus tam in vita communi, quam in ſcientiis. Hinc* Regula aurea *vocatur. Facile autem apparet, hac regula nullibi eſſe utendum, niſi ubi de numerorum datorum proportione conſtiterit.* E. gr. *Sit vas ingens aqua repletum per exiguum in fundo foramen effluxura, ſi aperiatur. Ponamus, intra 2 minuta prima effluere 3 congios. Inveniri debet, quanto tempore 100 congii effluant. Tres in hoc caſu dantur numeri, quartus inveniendus. Enimvero vel ipſa experientia docet, aquam ſub initium celerius, poſtea tardius effluere, conſequenter quantitatem aquæ effluentis non eſſe tempori proportionalem. Quamobrem hæc quæſtio per Regulam trium ſolvi nequit.*

Scholion III.

308. *Quæ in commercium veniunt, pretiis ſuis proportionalia ſunt. Qui enim duplum mercis accipit, duplum; qui triplum accipit, triplum pretium ſolvit. Dato igitur pretio quantitatis cujuſdam determinatæ mercis, per Regulam trium invenitur pretium quantitatis cujuscunque alterius datæ, aut quantitas mercis dato cuicunque alteri pretio reſpondens. E. gr. pretium 3 librarum ſunt 4 thaleri, quantum eſt*

pretium 17 librarum? Cum sit, ut 3 libræ ad 17 libras, ita illarum pretium (quod est 4 thalerorum) ad pretium harum; hoc quidem ita invenitur:

3 L. — 17 L. — 4 Th.
4
———
68

$\overset{2}{\cancel{6}8}$ ($22\frac{2}{3}$ th.
$\cancel{3}\cancel{3}$

Item: 3 libræ veneunt 4 thaleris, quot $22\frac{2}{3}$ thaleris? Cum sint ut 4 thaleri ad $22\frac{2}{3}$, ita 3 libræ ad quæsitas; harum numerus ita innotescit:

4 Th. — $22\frac{2}{3}$ Th. — 3 L.
3
———
68

$\overset{\cancel{2}}{\cancel{6}\cancel{8}}$ (17 L.
∗∗

Hinc simul patet, quomodo Regula trium examinetur, hoc est, inveniatur, utrum operatio per eam rite peracta, nec ne.

SCHOLION IV.

309. *Similiter merces operariorum est tempori proportionalis, quo labore defunguntur; etiam quantitas laboris eidem tempori proportionalis, si æqualibus articulis æqualia pensa absolvuntur; eadem numero operariorum proportionalis, si pensa æqualia singuli absolvunt. E. gr. Intra 2 horas 6 libri folia perleguntur: Quanto horarum spatio 360 perlegi poterunt?*

6 F. — 360 F. — 2 H.
2
———
720

$\overset{\cancel{1}}{\cancel{7}\cancel{2}\cancel{0}}$ (120 H.
$\cancel{6}\cancel{6}\cancel{6}$

SCHOLION V.

310. *Si numeri dati fuerint heterogenei, non eandem proportionem habent, quam res ipsis respondentes: ad homogeneos igitur reducendi. Ita thaleri in grossos, grossi in nummos, libræ in semuncias, horæ in minuta &c. convertuntur. E. gr. 3 libræ & 4 semunciæ veneunt 2 thaleris & 4 grossis, quanti libræ 2? Calculus talis est*

3 L. 4 S. — 2 L. — 2 Th. 4. gr.
32   32   24
———
100 S. — 64 S. — 52 gr.
52
———
128
320
———
3328

$\cancel{3}\cancel{3}28$ ($33\frac{28}{100}$ seu $\frac{7}{25}$ g.
$\cancel{1}\cancel{1}00$

Quodsi nosse cupias, quot nummis conveniant $\frac{7}{25}$ grossi, ita reperies (§. 304)

25 — 7 — 12
7
———
84

$\cancel{2}9$
$\cancel{8}4$ ($3\frac{9}{25}$ num.
$\cancel{2}\cancel{5}$

Si nummus ulterius divideretur, poterat quoque valor $\frac{9}{25}$ unius nummi eodem modo reperiri: sed cum tanti non sit, ut inveniatur, fractio illa tuto negligitur.

SCHOLION VI.

311. *In scriptis Arithmeticorum* Regula trium inversa *occurrit, qua terminus datorum primus duci jubetur in secundum & factum dividi per tertium, contraria nimirum ratione, qua in* Regula trium directa *usi sumus (§. 302), quia scilicet termini contra naturam proportionis ordinantur. Sed ea opus non est, si numeri dati, prout proportio exigit, ordinentur. E. gr. 125 milites operi exstruendo 6 menses impendunt: quantus requiritur militum numerus, ut intra 2 absolvatur. Evidens est, quod sit, ut spatium 2 mensium ad spatium 6 mensium, ita numerus militum, qui opus intra sex menses absolvunt, ad numerum militum, qui intra duos idem exstruunt. Quo minore enim temporis intervallo exstrui-*

tur.

tur, eo major militum numerus requiritur. En calculi typum :

2 M. — 6 M. — 125 Mil.
6

750

750 (375 Mil.
222

Scholion VII.

312. *Interdum gemina Regulæ trium applicatione opus est, antequam numerus quæsitus innotescat. Ea vulgo pro peculiari Regula venditatur & ab aliis* Regula de quinque, *ab aliis* Regula composita *appellatur. E. gr.* 300 *thaleri dant intra* 2 *annos usuram* 36 *thalerorum, quantam dabunt* 20000 *thaleri intra* 12 *annos. Hic per Regulam trium primum invenitur, quanta sit usura a* 20000 *expectanda intra* 2 *annos. Dein per eandem investigatur, quanta eadem intra* 12 *annos existat :*

300 Th. — 20000 Th. — 36 Us.
36

720000 — 720000 (2400 Us.
3333300

2 A. — 12 A. — 2400 Us.
12

4800
24

28800

28800 (14400 Us.
222

Scholion VIII.

313. *Exemplis istiusmodi Regula trium semel applicata satisfacere potest. Cum enim in nostro casu bis* 300 *thaleri eandem dent usuram intra* 1 *annum, quam* 300 *intra* 2, *& duodecies* 20000 *tantam intra* 1 *annum, quanta* 20000 *intra* 12; *omissis temporis circumstantiis ita inferatur : bis* 300, *id est* 600 *thaleri dant usuram (intra annum scilicet)* 36, *quantam dabunt duodecies* 20000, *id est* 240000 *thaleri (itidem intra annum?)*

600 Th. — 240000 Th. — 36 us.
36

1440000
72

8640000

8640000 (14400
666666600

Posterior hæc methodus priori præfertur; quod in illa ad fractionum tædia sæpe prolabimur.

Scholion IX.

314. *Dantur & alii casus, in quibus iteratæ Regulæ trium applicationi supersedere non licet. Ita, si commune sociorum lucrum vel damnum inter eos distribuendum, toties applicatur, quot sunt socii. Est enim ut summa collatorum ad lucrum vel damnum commune, ita collatum quodlibet partiale ad lucrum vel damnum partiale ipsi respondens. E. gr. Lucrum commune trium personarum est* 2000 *thalerorum, collatum primi* 1000, *secundi* 500, *tertii* 300 : *inveniri debent lucra partialia singulis convenientia. En typum calculi :*

Collatum	primi	1000 Th.
	secundi	500
	tertii	300

Summa Collatorum 1800 Th.

1800 Th. — 1000 Th. — 2000 Th.
2000

2000000

111
12222
2000000 (1111 $\frac{2}{18}$ Lucrum primi.
1888800
111

1800 Th. — 500 Th. — 2000 Th.
2 000
———
100000

111
555
1000000 (555 $\frac{10}{18}$ Lucrum secundi.
188800
11

1800 Th. — 300 Th. — 2000 Th.
2 000
———
600000

33
3666
6000000 (333 $\frac{6}{81}$ Lucrum tertii.
188800
11

E X A M E N.

1111 $\frac{2}{18}$	Lucrum primi
555 $\frac{10}{18}$	secundi
333 $\frac{6}{18}$	tertii

2000 Th. Lucrum commune.

S C H O L I O N X.

315. *Non desunt alia exempla, quæ calculum eundem requirunt, ut cum in Medicina aut artibus aliis ex data ratione, quam pondera miscibilium inter se habent, inveniuntur pondera miscibilium requisita, ut mixtum integrum sit ponderis dati. E. gr. Tria simplicia compositionem alicujus medicamenti ingrediuntur, dosis unius est* 4, *alterius* 5, *tertii* 2 *unciarum: inveniri debent doses singulorum requisitæ, ut pondus compositi sit* 8 *librarum. En calculi typum:*

Pondus {primi, secundi, tertii} simplicis 4 Unc. 5 2

Summa 11 Unc.

11 Unc. – 8 L. – 4 Unc.
16
———
128 Unc. 1
4 176
——— 512 (46 $\frac{6}{11}$ Pond.
512 111 simp. primi
1

11 Unc. – 128 Unc. – 5 Unc.
5 1
——— 192
640 640 (58 $\frac{2}{11}$ pond. simp. secund.
111
1

11 Unc. – 128 Unc. – 2 Unc.
2 33
——— 256 (23 $\frac{3}{11}$ Pond. simp. tertii.
256 111
1

E X A M E N.

Pondus simplicis primi	46 $\frac{6}{11}$	Unc.
secundi	58 $\frac{2}{11}$	
tertii	23 $\frac{3}{11}$	

Pondus mixti 128 Unc. = 8 lib.

S C H O L I O N XI.

316. *Subinde compendiis locus datur, quæ* Practicæ Italicæ *nomen ferunt. Ex iis utilissima commemoramus. Nimirum quoniam per Regulam trium ad tres numeros datos invenitur quartus proportionalis* (§. 302), *primus & secundus* (§. 181) *vel etiam primus & tertius* (§. 183) *per eundem, si fieri potest, numerum exacte dividantur & quoti in ipsorum loca surrogentur: ceu ex subsequente apparet exemplo.*

Pre-

Pretium 3 Lib. *est* 9 Thal. *quantum* 7 libr.
3) 1 3 3

Fac. 21. Thal.

Pretium 14 Lib. *est* 26 Thal. *quant.* 7. libr.
7) 2 2)--- 1

Fac. 13 Thal.

SCHOLION XII.

317. *Si numerus primus vel tertius fuerit* 1 *& alter eorum non nimis magnus, medius autem heterogeneus, absque reductione in* Schol. 5 (§. 310) *præscripta calculus initur; ut sequens exemplum docet.*

Pret. 1. Lib. *est* 3 th. 8. gr. 6 num. *quant.* 5. L.
5

16 th. 18. gr. 6 num.

Manifestum scilicet est, bis 6 nummos conficere grossum unum, adeoque quinquies 6, großos 2 & nummos 6. Similiter ter 8 grossi thalerum 1. *& insuper bis 8 grossos 16 efficiunt. Quod si ergo thalerus iste* 15 *reliquis, & 2 priores grossi 16 reliquis addantur; prodibit pretium quæsitum* 16 th. 18 gr. 6. num.

SCHOLION XIII.

318. *Si terminus primus vel secundus fuerit* 1, *& in priore casu secundus aut tertius, in posteriore primus in factores resolvi potest; integram sæpe operationem sine scriptionis subsidio mens absolvit: id quod exempla, quæ sequuntur, docent.*

Pretium 1 Libr. *est* 24 th. *quantum* 20 libr.
4 4
6

80
6

Fac. 480 th.

Pretium 12 libr. *est* 18 th. *quantum* 1 libr.
3 2
4 ~~18~~ (~~6~~ ($1\frac{1}{2}$ th.
~~3~~ *

Potest etiam numerus datus resolvi partim in factores, partim in partes componentes. E. gr. 1. *libra constat 9 grossis, quodnam est pretium* 35. *librarum?*

Quoniam 1 *libra*	*constat* 9 *grossis*	
constabunt 3 *lib.*	1 *thal.*	3 *gr.*
30 *lib.*	11 *thal.*	6 *gr.*
5 *lib.*	1 *thal.*	21 *gr.*
35 *lib.*	13 *thal.*	9 *gr.*

Hic nempe numerus 35, *per quem multiplicatio fieri debet, resolvitur in partes* 30 *&* 5, *pars vero altera* 30 *in factores* 3 *&* 10.

SCHOLION XIV.

319. *Si numerorum datorum unus fuerit* 1, *multa compendia similia multiplicatio & divisio sine abaci Pythagorici subsidio peragenda* (§. 116. 120). *suppeditat. E. gr. pretium 9 librarum est* 20 *thalerorum, quantum est pretium unius? Statim hic apparet, haberi pretium desideratum, si parti decimæ illius, id est* 2 *thaleris, addatur pars nona hujus decimæ, id est,* $\frac{2}{9}$ *unius thaleri, ut adeo inveniatur* $2\frac{2}{9}$ *thal. Item: Pretium* 5 *librarum est* 54 *thalerorum, quantum erit pretium* 1 *libræ? R. Quoniam pretium quæsitum est quinta pars dati, duplum partis decimæ pretii dati* $10\frac{4}{5}$ *thal. erit quæsitum. Item: Pretium* 1 *libræ est* 18 *großorum, quantum erit librarum* 19? *R. Quoniam* $19 = 20 - 1$, *a duplo pretii dati cyphra aucti* 360 *subducatur simplum* 18, *residuum erit pretium* 342 *grossorum quæsitum.*

SCHOLION XV.

320. *Si duo termini ejusdem denominationis unitate differant, singulari quodam compendio utimur, quod ex subjunctis exemplis manifestum. E. gr. Pretium* 5 *librarum est* 30 *thalerorum, quantum erit* 4 *librarum? R. Quoniam pretium* 4 *librarum una parte quinta deficere debet a pretio* 5 *librarum; pretium datum* 30 *dividatur per*

5

5 & *quotus* 6 *ab eodem subtrahatur, relinquitur quæsitum* 24. *Item: pretium* 8 *librarum est* 24 *thalerorum, quantum erit librarum* 9 ? *R. Quia pretium* 9 *librarum una parte octava excedit pretium* 8 *librarum, pretium datum* 24 *dividatur per* 8 & *quotus* 3 *eidem addatur, summa* 27 *erit quæsitum.*

S C H O L I O N XVI.

321. *Nonnunquam compendiis pluribus una uti datur.* E. gr.

Pret. 100 libr. *est* 30 th. 4 gr. *quant.* 50 lib.
50) 2. 2) ——— 1
Fac. 15 th. 2 gr.

It: Pret. 60 libr. *est* 80 th. *quant.* 2520 lib.
60) 1 6 42
480 6
7 7
Fac, 3360 thal.

C A P U T VII.

De Quantitatibus Æquidifferentibus.

D E F I N I T I O LXI.

322. SI in serie trium quantitatum eadem fuerit differentia primæ & secundæ, quæ secundæ ac tertiæ; eas *continue æquidifferentes* voco. Si vero in serie quatuor eadem fuerit differentia primæ & secundæ, quæ tertiæ ac quartæ, *discretim æquidifferentes* appello. Ita 3, 6, 7 & 10 sunt numeri discretim æquidifferentes: 3, 6, & 9 numeri continue æquidifferentes.

S C H O L I O N.

323. *Dicuntur hæ quantitates vulgo* Arithmetice proportionales, (& *vere proportionales, de quibus ante,* Geometrice proportionales *appellari solent, ut ab iis distinguantur:*) *sed minus proprie, nec ad mentem veterum.*

C O R O L L A R I U M I.

324. Si termini semper crescunt, in continue æquidifferentibus terminus secundus est aggregatum ex primo & differentia; tertius summa ex secundo & differentia: si decrescunt, primus est aggregatum ex secundo & differentia; secundus aggregatum ex tertio & differentia (§. 106).

C O R O L L A R I U M II.

325. Similiter in discretim æquidifferentibus si termini crescunt, secundus est aggregatum ex primo & differentia, quartus ex tertio & differentia: si vero decrescunt, primus est aggregatum ex secundo & differentia; tertius ex quarto & differentia. (§. 106).

T H E O R E M A LXI.

326. *Si fuerint tres quantitates continue æquidifferentes, summa primi & tertii est medii dupla.*

D E M O N S T R A T I O.

4. 7. 10
7 4
—————
14=14

Si enim termini crescunt, secundus componitur ex primo & differentia, tertius ex secundo & differentia (§. 324), adeoque ex primo mo & differentia dupla. Quare si tertio addatur primus; summa primi & tertii constabit ex primo duplo & differentia dupla. Erit adeo secundi dupla. *Q. e. d.*

Eodem modo demonstratio procedit, si termini decrescunt.

SCHOLION.

327. *Si terminus primus sit I, secundus II, tertius III, differentia D; demonstratio ocularis erit istiusmodi:*

$$\begin{array}{l} \mathrm{II} = \mathrm{I} + D \\ \mathrm{III} = \mathrm{II} + D \\ \hline \end{array}$$

Ergo $\mathrm{III} = \mathrm{I} + 2D$

Hinc $\mathrm{III} + \mathrm{I} = 2\,\mathrm{I} + 2\,D$

$= 2\,\mathrm{II}.$

THEOREMA LXII.

328. *Si fuerint quatuor quantitates æquidifferentes, summa primi & quarti æqualis est summæ secundi & tertii.*

DEMONSTRATIO.

$$\begin{array}{ccc} 3-5 & = & 8-10 \\ 8 & & 3 \\ \hline 13 & = & 13 \end{array}$$

Si termini crescunt, secundus componitur ex primo & differentia; quartus ex tertio & differentia (§. 325). Quare si primus quarto addatur, aggregatum ex primo, tertio & differentia constat: Si vero secundum tertio addas, aggregatum ex primo, differentia & tertio componitur. Sunt ergo aggregata inter se æqualia (§. 88). *Q. e. d.*

Eodem modo demonstratio procedit, si consequentes termini fuerint antecedentibus minores.

SCHOLION.

329. *Si terminus primus sit I, secundus II, tertius III, quartus IV, differentia D; demonstratio ocularis erit istiusmodi:*

$$\begin{array}{llcll} \mathrm{II} = \mathrm{I} + D & & & \mathrm{IV} = \mathrm{III} + D \\ \mathrm{III} \quad \mathrm{III} & & & \mathrm{I} \quad \mathrm{I} \\ \hline \mathrm{II} + \mathrm{III} = \mathrm{III} + \mathrm{I} + D & & & \mathrm{IV} + \mathrm{I} = \mathrm{I} + \mathrm{III} + D \end{array}$$

PROBLEMA XXXIV.

330. *Inter duos numeros 9 & 13 medium æquidifferentem invenire.*

RESOLUTIO.

1. Addantur numeri dati 9 & 13.
2. Summa 22 dividatur bifariam sive per 2. Quotus 11 erit numerus quæsitus (*§.* 326).

PROBLEMA XXXV.

331. *Datis tribus numeris* 8, 5, 9, *quartum æquidifferentem invenire.*

RESOLUTIO.

1. Numerus secundus 5 addatur tertio 9.
2. A summa 14 subtrahatur primus 8. Residuus 6 est quartus quæsitus. (§. 328).

CAPUT VIII.

De Logarithmis.

DEFINITIO LXII.

332. SEries quantitatum juxta eandem rationem crescentium vel decrescentium vocatur *Progressio Geometrica*. E. gr. 1. 2. 4. 8. 16. 32. 64. 128, vel 729. 243. 81. 27. 9. 3. 1.

DEFINITIO LXIII.

333. Series quantitatum secundum eandem differentiam crescentium vel decrescentium dicitur *Progressio Arithmetica*. E. gr. 3. 6. 9. 12. 15. 18. 21. 24. 27. 30 vel 32. 28. 24. 20. 16. 12. 8. 4.

DEFINITIO LXIV.

334. Si numeris in ratione Geometrica progredientibus subscribantur totidem alii æquidifferentes; dicuntur hi illorum *Logarithmi*: *Stifelius* in Arithmetica sua (*a*) *Exponentes* vocat. E. gr. sint duæ progressiones:

Geom. 1. 2. 4. 8. 16. 32. 64. 128. 256. 512.
Arith. 0. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

erit 0 logarithmus termini primi 1; 5 logarithmus sexti 32; 7 logarithmus octavi 128 &c.

COROLLARIUM I.

335. Si progressio arithmetica fuerit series numerorum naturalium & a cyphra incipiat, ut in exemplo allato; logarithmi designant distantias numerorum proportionalium ab unitate.

(*a*) Lib. 3. c. 5. p. 249. b.

COROLLARIUM II.

336. Cumque in progressione geometrica ab unitate incipiente termini sint dignitates ordine naturali se mutuo excipientes (§. 250. 332), si progressio arithmetica eadem sit, quæ in exemplo allato, logarithmi sunt exponentes dignitatum (§. 251). E. gr. 2 est dignitas prima, ejusque exponens 1; 64 dignitas sexta, ejusque exponens 6.

THEOREMA LXIII.

337. *Si Logarithmus unitatis sit 0; erit logarithmus facti æqualis aggregato ex logarithmis efficientium.*

DEMONSTRATIO.

Est enim ut unitas ad factorem unum ita, factor alter ad factum (§. 66). Quare logarithmus facti est æquidifferentium quartus ad logarithmum unitatis & logarithmos efficientium (§. 334), adeoque differentia inter logarithmum unitatis & summam logarithmorum efficientium (§. 331). Sed logarithmus unitatis est 0, *per hypoth.* Ergo summa ex logarithmis efficientium est logarithmus facti. *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

338. Cum factores quadrati sint inter se æquales, hoc est, quadratum sit factum ex radice in seipsam (§. 246); logarithmus quadrati est duplus logarithmi radicis.

COROL-

COROLLARIUM II.

339. Eodem modo patet, logarithmum cubi esse triplum (§. 248); biquadrati quadruplum; potentiæ quintæ quintuplum; sextæ sextuplum &c. logarithmi radicis (§. 250).

COROLLARIUM III.

340. Est ergo unitas ad exponentem dignitatis, ut logarithmus radicis ad logarithmum potentiæ seu ipsius dignitatis (§. 251. 255).

COROLLARIUM IV.

341. Quare logarithmus potentiæ prodit, si logarithmum radicis multiplices per exponentem ejus (§. 65); adeoque logarithmus radicis habetur, si logarithmus dignitatis per ejus exponentem dividatur (§. 210).

SCHOLION.

342. *E. gr. 3 summa logarithmorum 1 & 2 est logarithmus producti 8 ex 2 in 4. Similiter 7 summa logarithmorum 2 & 5 est logarithmus producti 128 ex 4 in 32. Porro 3 logarithmus radicis quadratæ 8 est dimidius logarithmi 6 quadrati 64, & 2 logarithmus radicis cubicæ 4 est subtriplus logarithmi 6 cubi 64.*

THEOREMA LXIV.

243. *Si logarithmus unitatis est 0, erit logarithmus quoti æqualis differentiæ logarithmorum divisoris & dividendi.*

DEMONSTRATIO.

Est enim ut divisor ad dividendum ita unitas ad quotum (§. 69). Quare logarithmus quoti est æquidifferentium quartus ad logarithmos divisoris & dividendi atque logarithmum unitatis (§. 334) adeoque differentia inter logarithmum divisoris & summam logarithmorum dividendi & unitatis (§. 331). Sed logarithmus unitatis est 0, *per hypoth.* Ergo differentia logarithmi divisoris a logarithmo dividendi est logarithmus quoti. *Q. e. d.*

SCHOLION I.

344. *E. gr. 2 differentia inter 7 & 5 est logarithmus quoti 4 ex 128 per 32. Similiter 5 differentia inter 8 & 3 est logarithmus quoti 32 ex 256 per 8.*

SCHOLION II.

345. *Progressiones arithmeticas cum geometricis confert, logarithmorum proprietates hactenus recensitas recenset, atque varios eorum usus monstrat* Stifelius (*a*): *qui tamen longe cedunt usui logarithmorum in Trigonometria a* Justo Byrgio *primum reperto* (*b*), *sed a* Johanne Nepero *supra laudato primum ostenso* (*c*).

PROBLEMA XXXVI.

346. *Numeri cujuscunque logarithmum invenire ac Canonem logarithmorum pro numeris naturalibus construere.*

RESOLUTIO.

1. Quoniam 1. 10. 100. 1000. 10000 &c. Progressionem Geometricam constituunt (§. 332); eorum logarithmi arbitrario assumi possunt, modo sint numeri in Progressione Arithmetica progredientes (§. 334). Ut igitur intermediorum logarithmos per fractiones decimales exprimere liceat; assumantur 0. 00000000, 1. 00000000, 2. 00000000, 3. 00000000, 4. 00000000 &c.

 2. Equi-

(*a*) In Arithmet. lib. 1. c. 4. p. 35. & seqq. & lib. 3. c. 5. p. 249. b. & 50. (*b*) *Keplerus* in Tabulis Rudolphinis c. 3. f. 11. (*c*) In Mirifici Logarithmorum Canonis descriptione.

2. Equidem manifestum est, (§.334) numerorum, qui in scala progressionis geometricæ non continentur, logarithmos accuratos haberi non posse; adeo tamen veris propinquos reperire licet, ut, si usum spectes, accuratis æquipolleant. Quod ut appareat, ponamus inveniendum esse logarithmum novenarii seu 9. Inter 1. 0000000 & 10. 0000000 quæratur medius proportionalis C (§. 301) & inter eorum logarithmos 0. 00000000 atque 1. 00000000 medius æquidifferens (§. 330), qui erit logarithmus ipsius C (§. 334), hoc est, numeri ternarium superantis $\frac{1622777}{10000000}$ adeoque a novenario multum distantis. Quæratur inter B & C alius medius proportionalis D, qui ad novenarium propius accedit, & inter B & D adhuc alius E & ita porro alii inter numeros novenario proxime majores & minores, donec tandem reperiatur 9. 0000000, hoc est, $9\frac{0000000}{10000000}$ (§. 305): qui, cum a novenario ne unica quidem particula millionesima differat; ejus logarithmus citra errandi periculum pro logarithmo novenarii habetur. Error enim semper minor esse debet unica millionesima. Quærantur itaque in quolibet casu logarithmi mediorum proportionalium & ita habebitur tandem logarithmus novenarii prope verus 0. 95424251.

3. Si eodem modo inter A & C numeros medios proportionales quæras & convenientes logarithmos singulis assignes, invenietur tandem logarithmus numeri 2 & ita porro.

Calculi Typus

	Numeri medii proportionales.	Logarithmi.		Numeri medii proportionales.	Logarithmi.
A	1.0000000	0.00000000	O	9.0021388	0.95434570
C	3.1622777	0.50000000	Q	9.0008737	0.95428467
B	10.0000000	1.00000000	P	8.9996088	0.95422363
B	10.0000000	1.00000000	Q	9.0008737	0.95428467
D	5.6234132	0.75000000	R	9.0002412	0.95425415
C	3.1622777	0.50000000	P	8.9996088	0.95422363
B	10.0000000	1.00000000	R	9.0002412	0.95425415
E	7.4989421	0.87500000	S	8.9999250	0.95421889
D	5.6234132	0.75000000	P	8.9996088	0.95422363
B	10.0000000	1.00000000	R	9.0002412	0.95425415
F	8.6596432	0.93750000	T	9.0000831	0.95424652
E	7.4989421	0.87500000	S	8.9999250	0.95423889
B	10.0000000	1.00000000	T	9.0000831	0.95424652
G	9.3057204	0.96875000	V	9.0000041	0.95424271
F	8.6596432	0.93750000	S	8.9999250	0.95423889
G	9.3057204	0.96875000	V	9.0000041	0.95424271
H	8.9768713	0.95312500	X	8.9999650	0.95424080
F	8.6596432	0.93750000	S	8.9999250	0.95423889
G	9.3057204	0.96875000	V	9.0000041	0.95424271
I	9.1398170	0.96093750	Y	8.9999845	0.95424217
H	8.9768713	0.95312500	X	8.9999650	0.95424080
I	9.1398170	0.96093750	V	9.0000041	0.95424271
K	9.0579777	0.95703125	Z	8.9999943	0.95424223
H	8.9768713	0.95312500	Y	8.9999845	0.95424217
K	9.0579777	0.95703125	V	9.0000041	0.95424271
L	9.0173333	0.95507812	a	8.9999992	0.95424247
H	8.9768713	0.95312500	Z	8.9999943	0.95424223
L	9.0173333	0.95507812	V	9.0000041	0.95424271
M	8.9970796	0.95410156	b	9.0000016	0.95424259
H	8.9768713	0.95312500	a	8.9999992	0.95424247
L	9.0173333	0.95507812	b	9.0000016	0.95424259
N	9.0072008	0.95458984	c	9.0000004	0.95424253
M	8.9970796	0.95410156	a	8.9999992	0.95424247
N	9.0072008	0.95458984	c	9.0000004	0.95424253
O	9.0021388	0.95434570	d	8.9999998	0.95424250
M	8.9970796	0.95410156	a	8.9999992	0.95424247
O	9.0021388	0.95434570	c	9.0000004	0 95442253
P	8.9996088	0 95422363	e	9.0000000	0.95424251
M	8.9970796	0.95410156	d	8.9999998	0.95424250

4. Enim

4. Enim vero non opus eſt, ut omnium numerorum logarithmi tanto labore inveſtigentur: compoſiti enim cum per alios numeros dividi poſſint (§.76), adeoque & ex aliis ſe mutuo multiplicantibus (§. 212) oriantur, eorum logarithmi *per Theor.* 63 *&* 64. (§.337 *& ſeqq.*) inveniuntur. E. gr. ſi logarithmus numeri 9 biſecetur, prodit logarithmus 0. 47712125 numeri 3 (§. 338).

COROLLARIUM.

347. Characteriſtica igitur logarithmorum pro numeris ab 1 ad 10 eſt 0, pro numeris a 10 ad 100 eſt 1, pro numeris a 100 ad 1000 eſt 2 &c.

SCHOLION.

348. *Canonem Logarithmorum pro numeris naturalibus ab* 1 *uſque ad* 20000 *& a* 90000 *ad* 100000 *primus conſtruxit* Henricus Briggius, *Profeſſor Geometriæ Savilianus in Academia Oxonienſi, ex conſilio tamen primi inventoris* Neperi (*a*) *& methodum conſtruendi una expoſuit in ſua Arithmetica Logarithmica. Lacunam inter* 20000 *&* 90000 *mox explevit* Adrianus Vlaccus (*b*). *In libellis vulgaribus habetur tantum Canon Logarithmorum pro numeris ab* 1 *uſque ad* 10000.

PROBLEMA XXXVII.

349. *Invenire logarithmum pro numeris majoribus, quam in Canone continentur, minoribus tamen* 10000000.

RESOLUTIO.

1. Reſecentur 4 notæ ad ſiniſtram numeri dati & earum ex canone excerpatur logarithmus.
2. Characteriſticæ tot addantur unitates, quot notæ ad dextram reſiduæ (§. 347).
3. Logarithmus inventus ſubtrahatur a proxime ſequente in canone.
4. Inferatur: ut differentia numerorum in canone evolutorum, ad differentiam tabularem logarithmorum ipſis reſpondentium; ita notæ reſiduæ numeri dati, ad differentiam logarithmicam *per Probl.* 33. (§. 302) inveniendam: quæ ſi
5. Addatur logarithmo *per n.* 1 *&* 2 invento; ſumma erit logarithmus quæſitus.

E. gr. quæritur logarithmus numeri 92375. Reſeca quatuor notas 9237 & characteriſticam 3 logarithmi iis in tabulis minoribus reſpondentis 3. 9655309 auge unitate. Hinc

e logarith. numeri	9238 =	3. 9655780
ſubduc. log. num.	9237 =	3. 9655309
relinquitur differ.	tabul. - -	471

Inferatur : 10 —— 471 —— 5
5) 2 —— 1 (§. 316).
235

Jam logarithmo	4.9655309
addatur different. inventa	235
Summa eſt logar. quæſ.	4.9655544

SCHOLION.

350. *Differentiæ equidem logarithmorum non ſunt differentiis numerorum proportionales: ad praxin tamen, ubi in minimis ſcrupuloſi non ſumus, methodus tradita ſufficit, ſi præſertim notæ reſiduæ numeri dati non fuerint adeo multæ. Certe in noſtro caſu adeo exactum reperimus, ut accuratior in tabulis majoribus* Briggii *non occurrat.*

PROBLEMA XXXVIII.

351. *Invenire logarithmum fractionis, cujus numerator minor denominatore.*

RESO-

(*a*) Vide præfat. ad Arithmeticam Logarithm.
(*b*) In altera editione Arithmeticæ Logarithmicæ Briggii.

RESOLUTIO.

1. Logarithmus numeratoris ſubtrahatur a logarithmo denominatoris.
2. Reſiduo præfigatur ſignum ſubtractionis —.

E. gr. Quærendus eſt logarithmus fractionis $\frac{3}{7}$.

Logarithmus 7 = 0.8450980
Logarithmus 3 = 0.4771213

Logarithmus $\frac{3}{7}$ = — 0.3679767

DEMONSTRATIO.

Cum fractio ſit quotus, ex diviſione numeratoris per denominatorem emergens (§. 238); logarithmus ejus eſt differentia logarithmorum numeratoris ac denominatoris (§. 343), adeoque ſi numerator minor denominatore, major logarithmus e minore ſubtrahendus, quo in caſu differentia evadit negativa (§. 105). *Q. e. d.*

SCHOLION.

352. *Logarithmum fractionis propriæ eſſe negativum, ſi unitatis ſit* 0, *jam notavit* Stifelius (*a*), *& mirum non eſt. Fractio enim minor unitate* (§. 221). *Sed unitatis logarithmus eſt* 0 (§. 346). *Ergo fractionis logarithmus eſt nihilo minor.*

COROLLARIUM I.

353. Cum in fractione ſpuria $\frac{9}{5}$ numerator ſit major denominatore; ejus logarithmus habetur, ſi logarithmus denominatoris a logarithmo numeratoris ſubtrahitur (§. 238. 343).

Logarithmus 9 = 0.9542425
Logarithmus 5 = 0.6989700

Logarithmus $\frac{9}{5}$ = 0.2552725

COROLLARIUM II.

354. Quoniam integra cum adhærente fractione $3\frac{2}{7}$ ad fractionem ſpuriam $\frac{23}{7}$ reduci poſſunt (§. 224); eodem modo invenietur eorum logarithmus.

Logarithmus 23 = 1.3617278
Logarithmus 7 = 0.8450980

Logarithmus $3\frac{2}{7}$ = 0.5166289

PROBLEMA XXXIX.

355. *Invenire numerum logarithmo reſpondentem, qui in tabulis accuratus non occurrit.*

RESOLUTIO.

I. Si numerus, cui convenit logarithmus inter 1000 & 10000 cadit, hoc eſt, ſi characteriſtica fuerit 3 (§. 347).

1. Logarithmus proxime minor dato ſubtrahatur a proxime majore, itidemque a logarithmo dato.
2. Inferatur: ut differentia prior ad 100, ita ſecunda ad partes centeſimas *per probl.* 33. (§. 302) inveniendas & numero, qui logarithmo proxime minori in tabulis reſpondet, addendas, ut habeatur numerus prope verus, cui logarithmus datus convenit.

E. gr. Quæratur numerus reſpondens Logarithmo 3. 7589982

Logarithmus proxime major 3.7590632
————————— minor 3.7589875

Differentia prima 757

Logarithmus datus 3.7589982
— proxime minor. 3.7589875

Differentia ſecunda 107

757 — 100 — 107   107.00 (14
100   757
10700   313.0
3028
102

Cum numerus logarithmo minori conveniens ſit 5741; quæſitus erit 5741 $\frac{14}{100}$.

II. Si numerus, cui convenit logarithmus datus, inter 1 & 1000 locum reperiat, hoc eſt, ſi characteriſtica fuerit 0, 1 vel 2 (§. 347), characteriſtica mutatur in 3 & logarithmus quæritur inter

(*a*) In Arithmet. integra lib. 3. c. 5. p. 249 b.

inter 1000 & 10000 : qui enim ibi eidem respondet numerus, tot fractiones decimales adjunctas habet, quot characteristicæ unitates accessere (§. 346).

E. gr. Quæratur numerus logarithmo 1.9201662 conveniens. Cum in tabulis proxime minori respondeat numerus 83; logarithmus idem evolvitur sub characteristica 3 post 8300, ubi proxime minori respondet numerus 83. 21. Est itaque quæsitus $83\frac{21}{100}$. Quodsi fractionibus his non fueris contentus per casum primum minores istis inveniri possunt.

PROBLEMA XL.

356. *Invenire numerum convenientem logarithmo majori iis, qui in tabulis continentur.*

RESOLUTIO.

1. A logarithmo dato subtrahatur logarithmus numeri 10, vel 100, vel 1000, vel 10000, donec relinquatur logarithmus ultimo tabulæ minor.
2. Quæratur numerus ei respondens (§. 355) &
3. Multiplicetur per 10, vel 100, vel 1000, vel 10000.

Factum est numerus quæsitus (§. 346).

E. gr. Quærendus est numerus logarithmi 7.7589982. Subtrahatur logarithmus numeri 10000, qui est 4.0000000, ut relinquatur 3.7589982, cui respondens numerus $5741\frac{11}{100}$ ducatur in 10000 factum 57411100 erit numerus quæsitus.

SCHOLION.

357. *Facile apparet, subtrahi posse logarithmum numeri cujuscunque in tabula occurrentem, modo per eundem numerum multiplicetur, qui logarithmo residuo respondet. Sed operatio tædiosa evadit.*

PROBLEMA XLI.

358. *Invenire numerum dato logarithmo defectivo respondentem.*

RESOLUTIO.

1. Dato logarithmo defectivo addatur logarithmus ultimus tabulæ sive numeri 10000, hoc est, ille ab hoc subtrahatur.
2. Logarithmo residuo conveniens numerus quæratur (§. 355).

Dico, hunc esse numeratorem fractionis, cujus denominator est 10000.

E. gr. Quæratur fractio respondens Logar. defectivo —— 0. 3679767. Hic ex 4. 0000000 subd.
relinquit 3. 6320233, cui convenit numerus $4285\frac{71}{100}$. Est ergo fractio quæsita $\frac{428571}{1000000}$.

DEMONSTRATIO.

Cum fractio sit quotus ex divisione numeratoris per denominatorem emergens (§. 138); erit unitas ad fractionem ut denominator ad numeratorem (§. 69). Sed ut unitas ad fractionem dato logarithmo defectivo respondentem, ita 10000 ad numerum logarithmo residuo convenientem (§. 337. 66): Ergo si 10000 sumatur pro denominatore, erit numerus iste numerator fractionis quæsitæ (§. 305). *Q. e. d.*

PROBLEMA XLII.

359. *Datis tribus numeris invenire quartum proportionalem.*

RESOLUTIO.

1. Logarithmus secundi addatur logarithmo tertii.
2. Ab aggregato subtrahatur logarithmus primi.

Residuus est logarithmus quarti quæsiti (§. 302. 337. 343).

E. gr.

E. gr. Sint numeri dati 4, 68 & 3.

Logarith.	68 =	1.8325089
Logarith.	3 =	0.4771213
Aggregatum	=	2.3096302
Logarithm.	4 =	0.6020600
Logarith. quæs.		1.7075702,

cui in Tabulis respondet numerus 51.

SCHOLION.

360. *Problematis hujus usus præstantissimus in Trigonometria elucet: cujus gratia pro numeris etiam naturalibus quæsiti sunt a* Briggio *&* Vlacco *Logarithmi, cum* Neperus *tantum canonem utut diversæ indolis logarithmorum pro sinibus & tangentibus construxisset. Tyrones igitur hanc de Logarithmis doctrinam tantisper seponant, donec ad Trigonometriam pedem promoverint.*

CAPUT IX.

De Fractionibus Decimalibus.

DEFINITIO LXV.

361. *Fractio decimalis* est, cujus denominator est *articulus* quidam *primarius* 10, 100, 1000, 10000 &c. (§. 305).

COROLLARIUM I.

362. Progrediuntur adeo denominatores in ratione decupla.

SCHOLION I.

363. E. gr. *Si fuerit fractio decimalis* $\frac{342857}{100000}$, *eadem æquivalet huic seriei:* $\frac{3}{1}+\frac{4}{10}+\frac{2}{100}+\frac{8}{1000}+\frac{5}{10000}+\frac{7}{100000}$, *cujus denominatores* 1. 10. 100. 1000. 10000. 100000 *in ratione decupla progrediuntur.*

COROLLARIUM II.

364. Quoniam logarithmi progressionis geometricæ 1. 10. 100. 1000. 10000. 100000 sunt 0. 1. 2. 3. 4. 5 (§. 346); si fractiones decimales sub forma numerorum integrorum scribantur, veluti in nostro casu loco $\frac{342857}{100000}$ aut $\frac{3}{1}+\frac{4}{10}+\frac{2}{100}+\frac{8}{1000}+\frac{5}{10000}+\frac{7}{100000}$ scribatur 3.42857 (§. 306), loco denominatorum numeratoribus solitarie positis opportune tanquam *apices* adjiciuntur logarithmi. Ita loco fractionis $\frac{342857}{100000}$ scribimus 3°. 4′ 2″ 8‴ 5′ 7ᵛ.

COROLLARIUM III.

365. Quoniam apices, qui sunt logarithmi denominatorum fractionum decimalium, in serie numerorum naturalium progrediuntur; sufficit notæ ultimæ adjici apicem convenientem, ceteris omissis, veluti in nostro casu 3. 42857ᵛ

COROLLARIUM IV.

366. Cum logarithmus fractionis inveniatur, si logarithmus denominatoris a logarithmo numeratoris subtrahitur (§. 351), denominator autem fractionis decimalis sit articulus primarius (§. 361), adeoque ejus logarithmus præter characteristicam nonnisi meris cyphris constet (§. 346): a characteristica logarithmi numeratoris fractionis decimalis nonnisi characteristica logarithmi denominatoris subtrahenda, ut habeatur logarithmus fractionis decimalis.

SCHOLION I.

367. *E. gr. Si fractio decimalis fuerit* 8. 735; *logarithmus numeratoris* 8735 *est* 3. 9412629, *denominatoris* 1000 *vero* 3. 0000000, *adeoque logarithmus fractionis decimalis datæ* 0. 9412629. *Si fractio decimalis fuerit* 0. 324; *logarithmus numeratoris est* 2. 5105456, *denominatoris* 1000 *vero* 3. 0000000, *consequenter logarithmus fractionis decimalis* = $\bar{1}$. 5105456. *Iidem ergo*

sunt logarithmi fractionum decimalium, qui numerorum integrorum, nisi quod characteristica differant.

COROLLARIUM V.

368. Quia characteristica logarithmi denominatoris fractionis decimalis eadem est cum apice ultimæ notæ (§. 364); logarithmus fractionis decimalis prodit, si a logarithmi numeratoris characteristica apex ultimæ notæ subducitur (§. 366).

SCHOLION II.

369. *E. gr. In fractione decimali 8.735‴ apex ultimæ notæ est 3; a logarithmi igitur numeri 8735, qui est, 3.9412629, characteristica 3 subducitur ternarius, ut prodeat logarithmus fractionis decimalis 0.9412629. Apex iste tot continet unitates, quot denominator habet cyphras, seu quot a puncto sequuntur notæ: unde patet, si nullus adscriptus fuerit apex, tot unitates a characteristica numeratoris subduci, quot denominator cyphras habet, seu quot notæ punctum sequuntur.*

DEFINITIO LXVI.

370. *Fractio decimalis exacta est*, quæ veram exhibet rationem partis, quam designat, ad totum.

E. gr. $0.8 = \frac{8}{10} = \frac{4}{5}$ exprimit rationem partis 4 ad totum 5 veram, cum sit $8:10 = 4:5$ (§. 181).

DEFINITIO LXVII.

371. *Fractio decimalis approximans est*, quæ rationem partis, quam designat, ad totum exhibet prope veram, nempe vel vera minorem, vel majorem, defectu tamen vel excessu infra unitatem notæ ultimæ convenientem existente.

E. gr. $\frac{3}{7} > 0.42857$, sed < 0.42858. exprimit adeo fractio approximans $\frac{42857}{100000}$ rationem nonnisi prope veram defectu scilicet existente minore, quam $\frac{1}{100000}$.

DEFINITIO LXVIII.

372. *Notæ* fractionum decimalium *ejusdem ordinis* dicuntur, quarum iidem sunt denominatores vel apices.

E. gr. Si duæ fuerint fractiones decimales 0.42857 & 0.0047, notæ 8 & 4 ejusdem ordinis sunt, quoniam utrique respondens denominator est 1000 vel apex ‴: nam 8 designat $\frac{8}{1000}$ & 4 denotat $\frac{4}{1000}$.

PROBLEMA XLIII.

373. *Fractiones decimales addere, vel a se invicem subtrahere.*

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

Quoniam fractiones decimales perinde ac numeri integri constant ex notis, quarum unitates in ratione decupla progrediuntur (§. 364); notis ejusdem ordinis sub se invicem scriptis, additio & subtractio eodem modo peragitur ac in numeris vulgaribus (§. 98. 103), nisi quod in approximantibus locus ultimus sit incertus (§. 371).

Vide exemplum

I. Additionis:

3.50782^{v}	0.0638^{iv}
0.0003	0.00562^{v}
51.247	7.138
54.75512	7.20742

II. Substractionis.

2.7864^{iv}	0.95436^{v}
0.158	0.08512
2.6284	0.86924

PROBLEMA XLIV.

374. *Fractiones decimales per se invicem multiplicare.*

RESO-

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

Si fractiones decimales ad formam numerorum integrorum reducantur (§. 306), multiplicatio peragitur ut in integris (§. 111); hoc unice notato, quod, quoniam apices sunt logarithmi denominatorum (§. 364), apex facti notarum in se invicem ductarum inveniatur, si earum apices addantur (§. 337).

E. gr. Si multiplicanda fuerit fractio decimalis $\frac{42857}{100000}$ per $\frac{47}{10000}$ hoc est, 0. 42857^{v} per 0. 0047^{IV} multiplicatio peragitur communi more ducendo 42857 primum in 7 & deinde in 4 sive 40. Quoniam vero apex ultimus multiplicandi est 5 & multiplicatoris 4; summa 9 dat apicem ultimum producti: unde apparet a sinistris adjiciendas esse tres cyphras, quarum prima puncto notata designat locum integrorum.

```
    0. 4 2 8 5 7
     0.0 0 4 7
------------------
    2 9 9 9 9 9
  1 7 1 4 2 8
------------------
0.0 0 2 0 1 4 2 7 9
```

COROLLARIUM I.

375. Quodsi factor unus fuerit fractio decimalis approximans, cum fieri possit, ut multiplum notæ deficientis, quæ ultimam 6 proxime sequitur, sit novenario major, consequenter multiplum notæ ultimæ 6 inde augeatur (§. 111); in facto numerus locorum, in quibus notæ sunt incertæ, numerum notarum in factore exacto unitate superat, veluti in nostro exemplo notæ tres ultimæ 584 sunt incertæ, adeoque factum sumitur 0. 801.

```
  2. 3 5 7 6+
       0.3 4
---------------
   9 4 3 0 4
 7 0 7 2 8
---------------
 0.8 0 1 5 8 4
```

COROLLARIUM II.

376. Si uterque factor fuerit approximans, eodem modo intelligitur, loca in factore incerta unitate excedere numerum notarum factoris longioris, veluti in adjecto exemplo, in quo numerus longior constat notis 5, loca incerta sunt numero 6, adeoque nonnisi duæ notæ dexteriores 11. certæ sunt. In exemplo anteriore si factor 0, 34^{c}. ponatur quoque approximans, nulla prorsus nota certa est.

```
    1 8.3 5 7
        6.3 4
--------------
    7 3 4 2 8
  5 5 0 7 1
1 1 0 1 4 2
--------------
1 1 6.3 8 3 3 8
```

COROLLARIUM III.

377. Quodsi nota deficiens, quæ proxime sequitur, ultimæ fuerit æqualis in multiplicando & multiplicator exactus; tum in multiplicatione apparet, quot unitatibus augeri debeat multiplum notæ dextimæ, ut nulla in facto nota incerta evadat. E. gr. in nostro exemplo, ubi nota deficiens est 6, facto ex 6 in 8 adjiciuntur 4 & alteri ex 6 in 6 adduntur 3.

```
0.6 6 6 6
      6.8
-----------
  5 3 3 3 2
3 9 9 9 9
-----------
4 5 3 3 2 2
```

SCHOLION.

378. *Casus alios brevitatis gratia prætermittimus.*

PROBLEMA XLV.

378. *Fractionem decimalem per decimalem dividere.*

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

Si fractiones decimales ad formam numerorum integrorum reducantur (§. 306), divisio peragitur ut in numeris integris (§. 117); hoc unice notato, quod, quoniam apices sunt logarithmi denominatorum (§. 364),

apex

apex quoti inveniatur, ſi apex diviſoris ab apice dividendi ſubtrahatur (§. 343) & dividendo adjungantur cyphræ, ſi diviſor major fuerit vel dividendum non metiatur.

E. gr. Si 0. 002014279 dividatur per 0. 0047, quotus eſt 0. 42857 (§. 374. 210). Nimirum 2014279 dividitur per 47, ut obtineatur quotus 42857. Jam cum notæ diviſoris 4 conveniat apex 3 & notæ dividendi 0 apex 4, differentia 1 eſt apex notæ primæ quoti 4. Cum adeo quotus incipiat a partibus decimis, ut omnia loca compleantur eidem præfigitur cyphra, cum nullum fractioni adhæreat integrum. Similiter ſi 0. 002014279 dividatur per 0. 42857, quotus eſt 0. 0047 (§. *cit.*). Nimirum 2014279 dividitur per 42857, ut obtineatur quotus 47. Jam cum notæ dividendi 0 conveniat apex 4 & notæ diviſoris 4 apex 1, differentia 3 eſt apex notæ quoti 4. Cum adeo quotus incipiat a particulis milleſimis (§. 364), eidem præfigendæ ſunt cyphræ 3, ut habeatur fractio completa 0. 0047.

COROLLARIUM I.

380. Quodſi diviſor fuerit fractio decimalis approximans, adeoque nota ultima vel juſto major, vel minor (§. 371); factum ex diviſore in quotum duabus ultimis notis deficere poteſt. Quare cum a notis dividendi vel juſto plus, vel minus ſubtrahatur; ubi diviſor ad eaſdem fuerit promotus, notæ quoti incertæ evadent. E. gr. Si dividendus fuerit 21. 3456 & diviſor 3. 82 fractio approximans, nonniſi unica nota quoti 5 certa eſt.

COROLLARIUM II.

381. Si dividendus fuerit fractio decimalis approximans, diviſor exactus; nonniſi notam quoti ultimam ſubinde incertam evadere poſſe patet.

COROLLARIUM III.

382. Si & diviſor, & dividendus fuerint fractiones approximantes, evidens eſt porro in determinandis locis certis reſpiciendum eſſe vel dividendum, vel diviſorem, prout diviſoris, vel dividendi nota deficiens propior fuerit primæ diviſoris notæ. E. gr. Si diviſor ſit 2. 5786. dividendus 3. 067, adeoque cyphris augendus, ut diviſio fieri poſſit; evidens eſt certitudinem expirare in nota tertia diviſoris 6, conſequenter junctis duabus cyphris diviſionem eo uſque continuari, ut prodeat quotus certus 1. 1.

PROBLEMA XLV.

383. *Notas certas in multiplicatione & diviſione fractionum decimalium approximantium accuratius determinare.*

RESOLUTIO.

Notæ factorum dextimæ ſumantur nunc juſto majores, nunc juſto minores; in diviſione nunc nota dextima in dividendo juſto major, in diviſore juſto minor & contra: quæ in utraque multiplicatione ac diviſione eædem proveniunt notæ, eæ ſunt accuratæ.

Quodſi ergo in exemplo ſuperiori multiplicationis, ubi notæ ultimæ factorum ponuntur juſto minores, eorum loco ſumantur 18. 358 & 6. 35; factum quod obtinetur 116. 57330 convenit cum ſuperiori 116. 38338 quoad tres notas dextimas 116: eæ igitur ſolæ certæ ſunt. Patet autem certam ſic fieri notam tertiam 6, quæ

```
    18.358
      6.35
----------
     91790
    55074
   110148
----------
 116.57330
```

per ſuperiora in dubio relinquebatur (§. 376). Similiter ſi in exemplo diviſionis ſuperiori (§. 382) nunc 3068 dividas per 2. 5786, nunc 3067 per 2. 5787, quotus utrobique eſt

est 1. 1 : unde patet, nonnisi duas istas notas certas esse, quas superius tales agnovimus.

SCHOLION.

384. *Ipsa praxis loquetur, nos subinde posse esse contentos, quod notas certas agnoscamus, quæ per superiora (§. 376. 382) tales deprehenduntur, ut adeo tædio repetitæ multiplicationis vel divisionis supersedere queamus.*

CAPUT X.

De Fractionibus Sexagesimalibus.

DEFINITIO LXIX.

385. FRactiones *sexagesimales* sunt, quarum denominatores crescunt in ratione sexagecupla. Dicuntur etiam *Minutiæ physicales.*

SCHOLION.

386. E. gr. *Si integrum sit* 1, *fractiones istiusmodi sunt* $\frac{1}{60}$, $\frac{1}{3600}$, $\frac{1}{216000}$ &c.

COROLLARIUM.

387. Quoniam logarithmi progressionis geometricæ 1. 60. 3600. 216000. 12960000 &c. sunt 0. 1. 2. 3. 4 &c. (§. 334); si fractiones sexagesimales instar numerorum integrorum scribendæ, numeratoribus solitarie positis perinde ac in fractionibus decimalibus tanquam apices adjiciendi sunt logarithmi. E. gr. $\frac{3}{1} = 3^\circ$, $\frac{35}{60} = 35'$, $\frac{46}{3600} = 46''$ &c.

DEFINITIO LXX.

388. Pars sexagesima integri dicitur *Minutum* sive *scrupulum primum*; pars sexagesima minuti primi *Minutum* sive *scrupulum secundum*; pars sexagesima minuti secundi *Minutum* sive *scrupulum tertium* & ita porro.

COROLLARIUM.

389. Scrupuli adeo primi apex sive index est 1, secundi 2, tertii 3 & ita porro (§. 387).

SCHOLION.

390. *Hac ratione fractiones reducuntur ad numeros integros, ut integrorum instar tractari queant.*

PROBLEMA XLVI.

391. *Fractiones sexagesimales addere.*

RESOLUTIO.

Additio eodem prorsus modo peragitur, quo numeri heterogenei in unam summam colliguntur (§. 99).

E. gr.

	35°	$46'$	$8''$	$15'''$
	17	20	15	40
		14	18	
	53	20	41	55

PROBLEMA XLVII.

392. *Fractiones sexagesimales a se invicem subtrahere.*

RESOLUTIO.

Subtrahuntur a se invicem eodem prorsus modo, quo numerorum heterogeneorum subtractio fieri solet (§. 104).

E. gr.

	28°	$15'$	$4''$	$20'''$
	17	29	18	45
	10	45	45	35

Nimirum unitas mutuo petita a specie majore hic valet 60. Ita $1'' = 60'''$, $1' = 60''$, $1^\circ = 60'$ (§. 388).

PROBLEMA XLVIII.

393. *Fractiones sexagesimales per sexagesimales multiplicare.*

RESOLUTIO.

Multiplicatio fractionum sexagesimalium coincidit cum multiplicatione decimalium (§. 374), nisi quod ex specie minore abjiciatur toties sexagenarius, quoties fieri potest, & tot speciei proxime majori addantur unitates, quoties sexagenarius fuit abjectus (§. 388): id quod divisio per 60 prodit (§.223).

E. gr. Si multiplicandus 3° 15′ 38″, multiplicator 2° 18′ 47″. Duc singulas partes multiplicandi 1°. in 47, 2°. in 18, 3°. in 2; erit factum ex 38 in 47 = 1786 scr. quartis = 29‴ 46ᴵᵛ. Scribuntur adeo 46 pro specie minima infra lineam cum suo apice & 29‴ reservantur speciei proxime sequenti annumeranda. Cum igitur factum ex 47″ in 15′ = 705‴; additis 29 prodibunt 734‴ = 12″. 14‴. Scribuntur adeo 14 infra lineam & 12″ reservantur facto proxime sequenti ex 3° in 47″ addenda. Eodem modo ubi perrexeris, obtinebuntur tandem facta partialia, quæ in unam summam (§. 391) collecta exhibent factum quæsitum 7° 32′ 30″ 38‴ 46ᴵᵛ aut, si prope verum quæsiveris, 7° 32′ 31″, cum species proxime major dimidium illius superet, aut 30 fuerit major. Vide exemplum:

		3°	15′	38″
		2	18	47
	2	33	14	46ᴵᵛ
9	58	41	24	
6	31	16		
7°	32′	30″	38‴	46ᴵᵛ

SCHOLION.

394. *Ne tædia divisionis devoranda sint, constructus est* Canon hexacontadon, *qui facta in species resoluta exhibet, veluti factum ex 38 in 47 = 29. 46. Ratio constructionis ex operatione in problemate præcepta patet, modo notetur, perinde ac in abaco Pythagorico (§. 109) factorem unum a latere, alterum in fronte canonis describi.*

PROBLEMA XLIX.

395. *Fractiones sexagesimales per sexagesimales dividere.*

RESOLUTIO.

Divisio peragitur ut in fractionibus decimalibus, nisi quod in multiplicatione quoti per divisorem tenenda sint, quæ paulo ante in multiplicatione præcepimus (§. 393) &, ubi species dividendi prima fuerit minor specie divisoris prima, ista reducenda sit ad speciem proxime minorem & sequenti addenda, ut divisioni sit locus.

E. gr. Si 7° 32′ 30″ 38‴ 46ᴵᵛ dividere jubeamur per 2° 18′ 47″; quære quoties 2 in 7 contineatur, & quoti loco scribe 3°. Duc 3° in 2° 18′ 47″ & factum 6° 56′ 21″ subtrahe ex 7° 32′ 30″, ut relinquatur 36′ 9″. Junge residuo speciem sequentem 38 & divisionem eodem modo continua, donec ea tandem fuerit absoluta, quemadmodum ex typo exempli liquet:

2° 18′ 47″)	7°	32′	30″	38‴	46ᴵᵛ	(3° 15′ 38″.
	6	56	21	::	::	
		36	9	38	::	
		34	41	45	::	
		1	27	53	::	
		sive	87	53	46	
			87	53	46	
				0		

SCHOLION.

396. *Non absimili modo algorithmus fractionum aliarum quarumcunque absolvitur, quarum denominatores in ratione quacunque data progrediuntur, veluti in duodecupla, quæ olim in divisione mensuræ linearum obtinuit.*

FINIS ARITHMETICÆ.

ELE-

ELEMENTA GEOMETRIÆ.

PRÆFATIO.

PEREXIGUUS eſt eorum numerus, qui Geometriæ pretium ſuum ſtatuunt: notatione enim deluſi cum Arte agrimenſoria eam peſſime confundunt, nec ea animo ipſorum obverſatur idea, quæ nomen tam auguſtum excitare debebat. Omnis nimirum cognitionis diſtinctæ fundamenta jacit Geometria cum Arithmetica, ita ut non minor in ſcientiis, quam in artibus ejus ſit uſus. Equidem ob problemata, quorum reſolutionem trado, nonniſi ad locorum diſtantias variorumque objectorum altitudines, agrorum & camporum areas, corporumque molem dimetiendum conducere videtur; contrarium tamen luce meridiana clarius elucebit, cum ad reliquas Matheſeos partes inferius applicabitur. Non hic repeto, quæ de vi Geometriæ in perficiendo intellectu jam ſuperius (*a*) dicta ſunt. Ne vero hoc fructu careret Geometriæ ſtudium, a rigore in demonſ-

(*a*) In Commentat. de Methodo §. 52. 53.

demonstrando recedendum minime fuit. Hinc definio, quæ vulgo definiri non solent, & passim demonstro, quæ sine probatione ab aliis assumuntur. Equidem haud difficulter prævideo, fore ut imperitis improbetur hic ausus; sed sufficit eum probari peritis, & quod majus est, methodum nostram præstare, ne extra Mathesin ratiocinaturi in scopulos incidamus, in quos plerumque omnes hactenus incidisse, supra etiam (*b*) annotavimus. EUCLIDES & ejus exemplo hactenus omnes ex principio congruentiæ solo demonstrarunt omnia: sed cum ingeniosissimus LEIBNITIUS similitudinis notionem mecum communicaret, atque moneret, multum ejus in Geometria esse usum, ego vero meditatus amplissimum deprehenderem; similitudinis principium in Geometriam introducere nullus dubitavi. Multa igitur ex eo a me facillime demonstrata deprehendes, quæ alias ex principio congruentiæ nonnisi per ambages demonstrari solent. Nec injucundum arbitror, quod figurarum constructiones inter principia demonstrandi nunc obtineant locum, quæ alias praxi tantum inserviebant. Placuit tamen in nova hac editione mea similitudinis notione uti, cum Leibnitiana clarior sit. Tyrones definitionibus evolutis neglecta demonstratione problemata solvant. Hoc labore perfuncti ex theorematum hypothesibus figuras construant & demonstrationes empyricas superaddant, quarum in ipsa pertractatione fit mentio. (*c*) Tandem eo ordine elementa relegant, quo conscripta sunt. Qui vero mentis acie pollent, illamque diu possunt habere attentam; difficultates non sentient, etiamsi prima statim vice ad singula animum advertant.

(*b*) L. c. §. 52. p. 15.
(*c*) In schol. theor. 7. §. 158.

ELEMENTA

ELEMENTA GEOMETRIÆ

PARS PRIOR

ELEMENTA GEOMETRIÆ PLANÆ EXHIBET.

CAPUT I.

De Principiis Geometriæ.

DEFINITIO I.

1. *Geometria* est scientia extensorum quatenus terminata sunt, hoc est, Linearum, Superficierum & Solidorum.

SCHOLION.

2. *Quemadmodum extensio ex simultanea alicujus rei per locum diffusione oritur; ita in mente repræsentatur, dum multa in uno continuo simul percipimus. Hinc notio extensionis non modo totius ac partium notiones involvit* (§. 9. Arith.); *sed eadem in rerum aliarum notiones irrepit, quæ ideo per lineas, superficies ac solida repræsentari possunt. Unde est, quod Geometria rebus plurimis applicari possit, ejusque adeo quam latissime pateat usus.*

DEFINITIO II.

3. *Congruere* dicuntur, quorum iidem termini esse possunt. Nempe *Congruentia* est coincidentia terminorum.

SCHOLION.

4. *Ne definitio negotium facessat, vitanda est vocis* termini *æquivocatio: id quod in sequentibus satis cavetur. A termini vero definitione consulto abstinemus, ne ad demonstrationes metaphysicas dilabamur.*

DEFINITIO III.

5. *Eundem situm habere* dicuntur, inter quæ idem extensum poni potest.

DEFINITIO IV.

6. *Punctum* est, quod quaquaversum seipsum terminat, seu quod non habet terminos alios à se distinctos.

COROLLARIUM I.

7. Ergo omne punctum alteri cuicunque congruit (§. 3).

COROLLARIUM II.

8. Nec ullas in eo distinguere licet partes.

SCHOLION.

9. *Hinc* Euclides: *Punctum est, inquit, cujus pars nulla est. Nec sine ratione punctum*

punctum ut individuum concipiunt Geometræ, utut tale quid nec imaginari, nec pingere valeamus. In praxi enim ipsa Geometrica summo cum studio cavendum, ne punctum pars lineæ habeatur, cujus terminus existit.

DEFINITIO V.

Tab. I. Fig. 1. 10. *Linea* describitur, si punctum ab uno puncto A ad alterum B movetur.

COROLLARIUM I.

11. Termini igitur lineæ secundum longitudinem sunt puncta A & B; secundum latitudinem & profunditatem ipsa sui terminus est (*§. 6*).

COROLLARIUM II.

12. Quoniam punctum partes nullas habet (*§.* 8), linea nec lata, nec profunda esse potest, sed in solam longitudinem extenditur.

SCHOLION I.

13. *Quid ergo mirum, quod secundum latitudinem & profunditatem non habeat terminos a se distinctos,* vi Cor. 1. (*§.* 11)?

SCHOLION II.

14. *Quamvis corpus omne tribus dimensionibus præditum sit, nec una a reliquis actu separari queat; necessarium tamen ac perutile est, ut unam absque reliquis consideremus. Necessitatem intellectus finitudo injungit, qui ad multa una diffundi nequit & hinc per abstractionem divellere tenetur, quæ nexu indivulso natura conjunxit. Utilitatem hujus abstractionis casus innumeri persuadent, in quibus unam dimensionem neglectis ceteris cognoscere jubemur, e. gr. altitudinem turris sine latitudine ac profunditate ipsius, latitudinem fluminis sine longitudine ac profunditate ejusdem.*

DEFINITIO VI.

15. *Distantia* est linea brevissima inter duo.

SCHOLION.

16. *Ita e. gr. distantia arboris a domo est linea brevissima, qua ab illa ad hanc duci potest.*

DEFINITIO VII.

17. *Linea recta* AB est, cujus pars quæcumque est toti similis. Tab. I. Fig. 1.

COROLLARIUM I.

18. Lineæ igitur rectæ non differunt nisi quantitate (*§. 26 Arithm.*).

COROLLARIUM II.

19. Cum lineæ describantur, si punctum ab uno puncto ad alterum movetur (*§.* 10); motus puncti describentis in omnibus lineæ partibus idem esse debet: secus enim diversitate hujus motus partes a se invicem distinguerentur, adeoque similes non forent (*§.* 24 *Arithm.*), contra definitionem (*§.* 17). Quoniam itaque motus puncti differre nequit nisi celeritate ac directione, celeritas vero ad descriptionem rectæ nil confert; sola directionis habenda est ratio, consequenter recta describitur, si punctum ab uno puncto A ad alterum B eadem directione movetur.

POSTULATUM I.

20. *A quovis puncto A ad quodvis punctum B posse duci lineam rectam.* Tab. I. Fig. 1.

POSTULATUM II.

21. *Lineam rectam terminatam AB utrinque produci posse.*

DEFINITIO VIII.

22. *Linea curva* est, cujus partes toti dissimiles.

DEFINITIO IX.

23. *Metiri* idem est ac quantitatem aliquam pro unitate assumere ac aliarum

rum homogenearum rationem ad eandem exprimere. Quantitas, quæ pro unitate assumitur, *Mensura* dicitur.

S C H O L I O N.

24. *Hæc definitio latior praxi respondet: strictius* Euclides *mensuram definit per quantitatem, quæ aliquoties repetita alteri fit æqualis: quam nos in Arithmetica partem aliquotam diximus.*

D E F I N I T I O X.

25. Hinc *Mensura linearum* est linea recta arbitrariæ longitudinis, in partes minores pro lubitu dividenda & subdividenda. Dividitur autem hodie a Geometris in 10 partes æquales, qui *Pedes* vocantur: unde ipsa *Decempeda* appellatur. Pes subdividitur in 10 *Digitos*; digitus in 10 *Lineas* & ita porro.

S C H O L I O N.

26. *Mensuræ longitudo & divisio non eadem est ubivis gentium. Varias differentias præter* Willebrordum Snellium (*a*) *exponunt* Ricciolus (*b*), Malletus (*c*), Cl. Eisenschmidius (*d*) *aliique. Aliquas celebrium mensurarum varietates repræsentat tabula sequens in particulis istiusmodi, qualium pes regius Parisinus est* 1440. *Continet is nempe* 12 *digitos, digitus* 12 *lineolas, lineola* 10 *particulas, adeoque pes integer particulas* 1440.

Pes Regius Parisinus	1440	Constantinopolitanus	3140
Rhenanus	$1391\frac{3}{10}$	Bononiensis	$1682\frac{2}{5}$
Romanus	1320	Argentorat.	$1282\frac{3}{4}$
Londin.	1350	Norimberg.	$1346\frac{3}{4}$
Suecicus	1320	Dantiscanus	$1271\frac{1}{2}$
Danicus	$1403\frac{2}{5}$	Halensis	1320
Venetus	1540		

S C H O L I O N II.

27. *Divisionem mensuræ decimalem primus introduxit* Stevinus, *teste ipsius Geometria practica, dubio procul exemplo* Regiomontani. *Indicem autem decempedarum constituit* 0, *pedum* 1, *digitorum* 2, *linearum* 3 *&c. tanquam denominatorum logarithmos* (*§.* 364 Arithm.) *quos circello inclusos numeris adscribit. Sed commodius* Johannes Bayerus *in Logistica decimali & Stereometria logarithmos characteribus Romanis expressos apicibus numerorum adscribit. E.gr. tres perticæ, quinque pedes, septem digiti & octo lineæ ita scribuntur:* $3^{0}\ 5'\ 7''\ 8'''$. *Commodissimum sæpe accidit, si numeri integra sive decempedas designantes a fractionibus decimalibus, pedibus nempe, digitis, lineis &c. puncto separentur, uti monuimus in Arithmetica* (*§.* 306). *Ita loco* $3^{0}\ 5'\ 7''\ 8'''$ *scribemus* 3. 578. *Admodum R. P.* Franciscus Noël *autor est* (*e*), *divisionem decimalem non modo in mensuris, sed & ponderibus Sinicis adhiberi.*

D E F I N I T I O XI.

28. *Superficies* est magnitudo duabus dimensionibus prædita, seu in longitudinem & latitudinem extensa.

C O R O L L A R I U M.

29. Termini superficiei secundum longitudinem & latitudinem sunt lineæ, secundum profunditatem ipsamet terminus sui existit.

(*a*) In Eratosthene Batavo, lib. 2. c. 1. usque ad 5. p. 121 & seqq.
(*b*) In Geogr. Reform. lib. 2. c. 7. f. 43 & seqq.
(*c*) Geometrie practique, lib. 1. p. 108.
(*d*) In disquisit. nova de ponderibus & mensuris veterum Rom. Græc. & Hebr. Sect. 3. c. 1. p. 93. & seqq.

(*e*) In Observationibus Mathematico-Physicis in India & China factis, c. 7. p. 104 & seqq.

SCHOLION.

30. *Nimirum in longitudine nullum assumi potest punctum, cui non respondeat aliqua linea secundum latitudinem, & contra.*

DEFINITIO XII.

31. Per *Perimetrum* intelligimus continuum, quo aliud continuum terminatur.

DEFINITIO XIII.

32. *Figura* est continuum perimetro terminatum.

SCHOLION.

33. *Dicitur tam de superficiebus, quam de solidis. In priori casu perimetri sunt lineæ; in posteriori superficies.*

DEFINITIO XIV.

34. *Figura rectilinea* est, cujus perimeter ex lineis rectis; *Curvilinea*, cujus perimeter ex curvis; *Mixtilinea*, cujus perimeter partim ex rectis, partim ex curvis constat.

DEFINITIO XV.

35. *Latus* est linea, quæ est pars perimetri figuræ superficialis.

DEFINITIO XVI.

36. *Planum* seu *figura plana* est, si e quovis puncto perimetri ad quodlibet ejusdem rectam in eadem ducere licet.

DEFINITIO XVII.

37. *Circulus* est figura plana, linea in se redeunte terminata, ex cujus singulis punctis ad punctum intermedium C, quod *Centrum* vocari solet, ductæ rectæ sunt inter se æquales. Linea illa *Peripheria* dicitur. Tab. I. *Fig.* 2.

DEFINITIO XVIII.

38. *Chorda* AB est recta a peripheria ad peripheriam ducta.

DEFINITIO XIX.

39. *Diameter* AE est chorda per centrum C transiens. Ejus dimidium AC, sive recta CD ex centro C ad peripheriam ducta dicitur *Semidiameter*, item *Radius*.

COROLLARIUM.

40. Radii ergo unius circuli inter se æquales sunt (§. 37).

DEFINITIO XX.

41. *Arcus* est pars quantalibet peripheriæ AFB: *Gradus* vero est pars ejusdem trecentesima sexagesima. Quilibet gradus in 60 *Minuta prima*; minutum quodlibet in 60 *secunda*; secundum unumquodque in 60 *tertia* &c. subdividitur. *Euclides* arcum quoque *peripheriam* vocat.

COROLLARIUM.

42. Cum peripheria cujuslibet circuli in 360 gradus dividatur; circuli majoris gradus sunt majores gradibus minoris.

SCHOLION.

43. *Scrupula graduum sunt fractiones sexagesimales* (§. 385 Arithm.) *& apicibus suis notantur* (§. 387 Arithm.). *Gradui tanquam integro seu unitati cessit* 0, *minuto primo* 1, *secundo* 2, *tertio* 3 *&c. consequenter gradus cum suis scrupulis eodem modo scribuntur, quo decempeda cum suis* (§. 27). *E. gr.* 3 *gradus*, 25 *minuta*, 16 *secunda ita scribis*: $3^{\circ}\ 25'\ 16''$. *Etsi autem Ægyptii veteres, quibus hanc divisionem acceptam ferunt, hoc artificio computum Astronomicum a fractionibus liberaverint, cum fractiones sexagesimales instar numerorum integrorum tractari possint, nec sine prudenti consilio eundem in finem eum graduum numerum fecerint, qui per* 2. 3. 4. 5. 6. 8. 9. *exacte divi-*

dividitur, nec minus eum fecerint exponentem rationis, juxta quam scrupula decrescunt, quem 2. 3. 4. 5 & 6 metiuntur; non tamen sine ratione suaserunt post Stevinum (*a*), Oughtredus (*b*), Wallisius (*c*) *aliique, ut sepositis fractionibus sexagesimalibus, decimales reciperentur: nulla enim in decimalibus reductione minorum fractionum ad majores, vel majorum ad minores opus est; sexagesimales vero non sine tædio reducuntur. Multiplicatio quoque & divisio decimalium facilior quam sexagesimalium* (§. 364. & seqq. 393. & seqq. Arithm.). *Id consilium secuti sunt* Henricus Briggius *in Canone tri angulorum artificiali apud* Henricum Gellibrand *in Trigometria Britannica,* Johannes Newton *in Astronomia pariter ac Trigonometria Britannica &* Nicolaus Mercator *in Institutionibus Astronomicis.* Stevinus (*d*) *contendit, eandem circuli divisionem antiquitus, in* seculo sapiente, *quod adstruere conatur, obtinuisse.*

DEFINITIO XXI.

Tab. I. Fig. 2. 44. *Circuli concentrici* sunt, qui idem centrum habent: *Excentrici* vero, qui habent diversa.

DEFINITIO XXII.

45. *Segmentum circuli* est pars ipsius AFBA arcu AFB & chorda AB comprehensa. Dicitur *Segmentum majus*, quod semicirculo majus est; *minus* vero, quod minus est.

DEFINITIO XXIII.

46. *Sector circuli* est pars ejus ACD duobus radiis AC & CD atque arcu AD comprehensa.

DEFINITIO XXIV.

Tab. I. Fig. 3. Fig. 5. Fig. 4. 47. Recta HI circulum in L *tangit*, si ipsi ita occurrit, ut producta tota extra circulum cadat. Circulus vero circulum *intus tangit*, si huic occurrens totus intra hunc, *extus vero tangit*, si eidem occurrens totus extra hunc cadit.

(*a*) In præf. ad Tract. de Logistica decimali.
(*b*) Clavis Mathemat. c. 1. p. m. 2.
(*c*) Algebræ c. 9. f. 39. Vol. II. Oper. Math.
(*d*) In Cosmographia lib. 1. def. 6. f. 109. Operum Gallice editorum.

COROLLARIUM I.

48. Recta CL. ex centro C ad contactum L ducta est radius circuli (§. 39).

COROLLARIUM II.

49. Circuli ergo se extus tangentes in L diversa centra C & *c* habent, adeoque eccentrici sunt (§. 44). Fig. 4.

DEFINITIO XXV.

50. Linea AB lineam CD *secat* in E, si eam dirimit in partes CE & ED cis & ultra ipsam sitas. Tab. I. Fig. 6.

COROLLARIUM I.

51. Cum etiam CD ipsam AB dirimat in partes AE & EB cis & ultra CD sitas; si AB secet CD in E, etiam vicissim CD secabit AB in eodem puncto E.

COROLLARIUM II.

52. Si recta MN circulum in O secet, pars ejus ON intra circulum cadit (§. 37). Tab. I. Fig. 7.

COROLLARIUM III.

53. Si circulus circulum secet, cum utriusque peripheria in se redeat (§. 37), pars peripheriæ unius circuli intra alterum cadat necesse est.

DEFINITIO XXVI.

54. *Angulus* est duarum linearum AB & AC in uno puncto A concurrentium mutua inclinatio. Lineæ AB & AC dicuntur *crura*; punctum concursus A *Vertex anguli.* Tab. I. Fig. 9.

SCHOLION.

55. *Angulus hic vel unica littera* A *vertici ejus adscripta, vel ad evitandam in casibus nonnullis confusionem tribus litteris* BAC *indigitatur, ita ut vertici adscripta medio loco ponatur. Sæpe nomen angulo imponit littera minor, veluti* x, *eidem inscripta. Utimur vero angulis ad linearum situm determinandum.*

DEFINITIO XXVII.

56. *Angulus insistere* dicitur lineæ, in qua crura ejus terminantur.

DEFINITIO XXVIII.

Tab. I. Fig. 9. 57. *Mensura anguli* BAC est arcus DE ex vertice A, radio prorsus arbitrario AE, intra crura ejus AC & AB descriptus.

COROLLARIUM.

58. Anguli ergo distinguuntur per rationem arcuum ex vertice intra crura descriptorum ad peripheriam: distinguuntur enim per illos arcus, arcus vero per rationem ad peripheriam distinguere licet (§. 41. *Geom.* & §. 132 *Arithm.*). Et eadem de causa quantitas anguli æstimatur ex ratione arcus istius ad peripheriam.

SCHOLION.

59. *Tot scilicet graduum & scrupulorum dicitur esse angulus, quot graduum & scrupulorum est arcus DE* (§. 41).

DEFINITIO XXIX.

Tab. I. Fig. 10. 60. *Anguli contigui* FGH & HGI sunt, quorum idem est vertex G & crus unum commune GH.

DEFINITIO XXX.

Tab. I. Fig. 6. 61. Rectæ lineæ AE & EB *in directum* sitæ sunt, si ejusdem rectæ AB partes existunt.

DEFINITIO XXXI.

Tab. I. Fig. 6. 62. *Angulus deinceps positus* AEC dicitur, qui oritur, anguli AED latere uno ED in C producto.

COROLLARIUM I.

63. Habent adeo anguli deinceps positi AEC & AED crus unum AE commune & crus alterum unius CE in directum situm est cruri alteri alterius ED (§. 61).

COROLLARIUM II.

64. Hinc anguli deinceps positi sunt contigui, sed non contra (§. 60).

DEFINITIO XXXII.

65. *Angulus rectus* KLM est, cui deinceps positus KLN æqualis est. Tab. I. Fig. 11.

DEFINITIO XXXIII.

66. *Angulus obliquus* AEC est, cui deinceps positus AED inæqualis. *Angulus acutus* AEC est obliquus minor recto. *Angulus obtusus* AED est obliquus recto major. Tab. I. Fig. 6.

DEFINITIO XXXIV.

67. *Anguli verticales* o & x sunt, si crura unius AE & EC in directum jacent cruribus alterius EB & ED. Tab. I. Fig. 6.

DEFINITIO XXXV.

68. Si lineæ ST duæ aliæ OA & RB a diversis plagis in diversis punctis A & B occurrant, *anguli*, quos cum ea efficiunt, x & y dicuntur *alterni*. Tab. I. Fig. 12.

DEFINITIO XXXVI.

69. Si vero lineæ ST duæ aliæ AP & BR itidem in diversis punctis A & B, sed ab eadem plaga occurrant, *anguli*, quos cum ea efficiunt, u & y, item z & y, dicuntur *oppositi*: & quidem u dicitur *oppositus externus*, z vero *oppositus internus* ipsius y.

DEFINITIO XXXVII.

70. *Angulus ad peripheriam* est angulus ABD, cujus vertex B & crura BA atque BD in peripheria terminantur. Dicitur etiam *Angulus in segmento*. Tab. I. Fig. 13.

COROLLARIUM.

71. Intercipitur adeo a duabus chordis AB & BD (§. 38 & 54) atque arcui AD insistit (§. 56).

DEFINITIO XXXVIII.

72. *Angulus ad centrum* est angulus ACD, cujus vertex in centro circuli C est, crura vero AC & CD in peripheria terminantur. Tab. I. Fig. 13.

Co-

COROLLARIUM.

73. Angulus ad centrum a duobus radiis intercipitur (*§*. 39), atque arcui AD insistit (*§*. 41. 56); consequenter arcus AD ejus mensura (*§*. 57).

DEFINITIO XXXIX.

Tab. I. Fig. 14. 74. *Angulus extra centrum* HKI est, cujus vertex K extra centrum est, crura vero HK & IK in peripheria terminantur.

COROLLARIUM.

75. Insistit ergo arcui HI (*§*. 41. 56).

DEFINITIO XL.

Tab. I. Fig. 3. 76. *Angulus contactus* HLM est, quem arcus circuli ML cum tangente HL ad contactum efficit.

DEFINITIO XLI.

77. *Angulus segmenti* MLH vel MLI est, quem chorda ML cum tangente HL vel LI ad contactum L efficit.

DEFINITIO XLII.

Tab. I. Fig. 11. 78. *Linea* KL *perpendicularis* aut *normalis* est ad alteram LM, si cum ea efficit rectum angulum.

COROLLARIUM.

79. Si igitur LK ad NM perpendicularis, anguli ad L deinceps positi æquales sunt (*§*. 65) & contra.

DEFINITIO XLIII.

Tab. I. Fig. 9. 80. *Linea* AB est ad alteram AC *obliqua*, si cum ea efficit angulum obliquum.

DEFINITIO XLIV.

Tab. I. Fig. 12. 81. *Linea* OP *parallela* est alteri QR, si ubique eandem ab ea distantiam servat.

COROLLARIUM.

82. Lineæ ergo parallelæ in infinitum continuatæ non concurrunt.

DEFINITIO XLV.

83. *Lineæ convergentes* TO & VQ sunt, quarum distantia continuo fit minor. Tab. I. Fig. 15.

DEFINITIO XLVI.

84. *Lineæ divergentes* TN & VP sunt, quarum distantia continuo fit major.

DEFINITIO XLVII.

85. *Opponi* dicuntur, e quorum uno ad alterum perpendicularem ducere licet.

SCHOLION.

86. Puncta absolute considerata *dicuntur* punctis opponi, *si fuerint termini ejusdem rectæ. Nimirum cum recta sit brevissima linea inter duos terminos* (*§*. 191), *qualis etiam est perpendicularis inter eas, quæ a puncto ad lineam vel superficiem duci possunt* (*§*. 224); *perpendicularis vicem in eo casu subit, ubi punctum alterutrum extra lineam vel superficiem sumitur.*

DEFINITIO XLVIII.

87. *Triangulum* est figura tribus lineis terminata.

DEFINITIO XLIX.

88. *Triangulum æquilaterum* ABC est, cujus omnia latera inter se æqualia sunt. In genere *Figura æquilatera* dicitur, cujus latera singula inter se æqualia. Tab. I. Fig. 16.

DEFINITIO L.

89. *Triangulum æquicrurum* sive *Isosceles* DEF est, quod duo latera æqualia habet. Tab. I. Fig. 17.

DEFINITIO LI.

90. *Triangulum scalenum* ACB est, cujus nullum latus alteri æquale, seu cujus singula latera sunt inter se inæqualia. Tab. I. Fig. 18.

DEFI-

DEFINITIO LII.

Tab. I. *Fig.*19. 91. *Triangulum rectangulum* KML est, cujus angulus unus K rectus est.

DEFINITIO LIII.

Tab. I. *Fig.*20. 92. *Triangulum obtusangulum* PNO est, cujus angulus unus N est obtusus.

DEFINITIO LIV.

Tab. I. *Fig.*16. 93. *Triangulum acutangulum* ACB est, cujus singuli anguli sunt acuti.

DEFINITIO LV.

94. *Triangulum obliquangulum* est, cujus singuli anguli sunt obliqui.

DEFINITIO LVI.

Tab. I. *Fig.*19. 95. *Hypothenusa* ML est latus, in triangulo rectangulo, angulo recto K oppositum.

DEFINITIO LVII.

96. *Catheti* sunt latera trianguli rectanguli MK & KL angulum rectum K intercipientes.

DEFINITIO LVIII.

97. *Figura quadrilatera* est, cujus perimeter ex quatuor lateribus constat. *Rectangula* dicitur, si anguli ejus singuli fuerint recti; *obliquangula*, si obliqui.

DEFINITIO LIX.

Tab. I. *Fig.*21. 98. *Quadratum* ABDC est figura quadrilatera, æquilatera, rectangula.

DEFINITIO LX.

Tab. I. *Fig.*22. 99. *Rhombus* EFHG est figura quadrilatera, æquilatera, obliquangula.

DEFINITIO LXI.

Tab. I. *Fig.*23. 100. *Rectangulum* sive *oblongum* MLKI est figura quadrilatera, rectangula, latera opposita ML & IK, item IM & LK æqualia habens.

DEFINITIO LXII.

101. *Rhomboides* NOPQ est figura quadrilatera, obliquangula, latera opposita OP & NQ, item ON & PQ, æqualia habens. Tab. I. *Fig.*24.

DEFINITIO LXIII.

102. *Parallelogrammum* est figura quadrilatera, cujus latera opposita sunt parallela.

DEFINITIO LXIV.

103. *Trapezium* RTUS est figura quadrilatera non parallelogramma. Quidam *Trapezium* appellant figuram quadrilateram, cujus duo tantum latera opposita sunt parallela, quæ alias *Trapezium parallelarum basium* dici solet: figura vero, cujus neutrum latus alteri parallelum, *Trapezoides* iisdem dicitur. Tab. I. *Fig.*25.

DEFINITIO LXV.

104. *Figura polygona* seu *multilatera* ABCED vel FGHKI est, cujus perimeter ex pluribus, quam quatuor, lateribus componitur. Quodsi latera fuerint quinque, *Pentagonum*; si sex, *Hexagonum*; si septem, *Heptagonum*; si octo, *Octogonum* &c. dicitur. Tab. I. *Fig.*26, 27.

DEFINITIO LXVI.

105. *Figura æquiangula* est, cujus singuli anguli æquales sunt.

DEFINITIO LXVII.

106. *Figura regularis* est figura æquilatera & æquiangula.

DEFINITIO LXVIII.

107. *Figura irregularis* est, quæ non simul æquilatera & æquiangula.

DEFINITIO LXIX.

108. *Figuræ inter se æquilateræ* dicuntur,

cuntur, si singula latera unius fuerint sigillatim æqualia singulis lateribus homologis alterius.

DEFINITIO LXX.

109. *Figuræ inter se æquiangulæ* sunt, si singuli anguli unius singulis angulis homologis alterius æquales sunt.

DEFINITIO LXXI.

110. Dicuntur vero tam *anguli* quam *latera homologa*, si eundem ordinem a primo in utraque figura servent.

DEFINITIO LXXII.

Tab. I. Fig. 24. 111. *Diagonalis* PN est recta ex vertice anguli unius P in verticem alterius N ducta.

DEFINITIO LXXIII.

Tab. I. Fig. 19. 112. *Basis figuræ* est perimetri pars ima KL.

COROLLARIUM.

113. Cum situs figuræ ipsi non sit essentialis, quamlibet perimetri partem seu latus figuræ quodlibet pro basi assumere licet.

DEFINITIO LXXIV.

Tab. I. Fig. 19. 114. *Vertex figuræ* M est vertex anguli basi KL oppositus.

DEFINITIO LXXV.

115. *Altitudo figuræ* est distantia verticis a basi.

DEFINITIO LXXVI.

116. *Figura* ABCDE dicitur *Circulo inscripta*, si peripheria per vertices singulorum angulorum ipsius transit: tuncque *Circulus* figuræ dicitur circumscriptus. Tab. VI. Fig. 107.

DEFINITIO LXXVII.

117. *Figura* abcde dicitur *Circulo circumscripta*, si singula ejus latera peripheriam tangant, tumque *Circulus* figuræ dicitur *inscriptus*.

DEFINITIO LXXVIII.

118. *Mensura figuræ* est quadratum, cujus latus perticæ æquale, diciturque *pertica quadrata*, & in *pedes quadratos*, sicut pes quadratus in *digitos quadratos* dividitur.

DEFINITIO LXXIX.

119. *Eodem modo determinari* dicuntur, si data, per quæ unum determinatur, fuerint similia datis, per quæ determinatur alterum, & utrobique ex datis similibus per easdem regulas reliqua determinantur.

COROLLARIUM.

120. Quæ itaque eodem modo determinantur, in iis coincidunt ea, per quæ discerni debent, adeoque similia sunt (§. 24. *Arith.*)

CAPUT II.

De Propositionibus quibusdam Fundamentalibus.

PROBLEMA I.

121. *A Dato puncto A ad datum punctum B lineam rectam ducere.*

RESOLUTIO.

I. In charta

Linea recta ducitur juxta regulam EF ad puncta data A & B applicatam Tab. I. Fig. 28.

graphio HI, penna aut plumbagine.

II. In ligno vel ſaxo

Recta delineatur etiam ſine regula, ſi filum creta vel ceruſſa delibutum punctis datis A & B apprimatur &, medio digitis prehenſo, ſurſum trahatur moxque iterum demittatur.

III. In campo

Tab. I. Fig. 29. Recta deſignatur per baculos LK in punctis datis beneficio libellæ M ad horizontem perpendiculariter defixos, quorum ſummitati muccinium aut folium chartæ mundæ alligatur, ſi e longinquo videri debeant.

SCHOLION I.

122. *Cum regulæ orichalceæ & argenteæ chartam facile nigrent; iis præferuntur, quæ ex lignis Indicis parantur, ut ebeninæ. His enim accuratam politiem inducere licet, ne ſordes facile adhæreſcant, nec fibræ exiguæ calami graphiique motum uniformem impediant: quod quernis, nuceis & his ſimilibus familiare vitium.*

SCHOLION II.

Tab. I. Fig. 29. 123. *Pennæ optimæ ſunt, quæ ex corvorum alis evelluntur: propterea quod, anſerinis duriores, lineis ſubtilioribus & purioribus ducendis inſerviunt. Baculi vero LK cuſpide ferrea K muniuntur, ut eo facilius in terra præſertim duriore defigi queant.*

SCHOLION III.

124. *Utendum vero eſt atramento non communi, ſed Sinico; tum quia commune ob corroſivitatem vitrioli, quod ipſum ingreditur, chalybeam graphii cuſpidem arrodit; tum quia Sinicum facilius effluit, etiamſi atrius ſit communi. Accedit, quod Sinico lineæ nitidiores ducantur, quam communi.*

PROBLEMA II.

125. *Duobus baculis in ſolo defixis; tertium vel plures in eadem recta cum iis infigere.*

RESOLUTIO.

Baculus ita infigitur, ut oculo in unum directo ceteri non appareant.

Ratio a luminis rectilinea propagatione petenda, de qua in Opticis.

PROBLEMA III.

126. *Lineam rectam metiri.*

RESOLUTIO.

Ad manus ſit neceſſe eſt menſura (§. 23). Nimirum pro lineis in charta datis abſcindantur ex RT 10 partes æquales longitudinis arbitrariæ, quæ pedes deſignent: intervallum vero 10 pedum RS in reſiduum lineæ transferatur, quoties fieri poteſt (§. 25). In campo vel catena, vel fune cannabino, vel pertica in digitos, pedes & decempedas legitime diviſis utimur. Sufficit autem ultimam decempedam in pedes & pedem ultimum in digitos dividi. Quodſi ergo lineam rectam metiri jubearis. Tab. I. Fig. 30.

I. In charta

1. Ponatur crus circini unum in A & eo uſque aperiatur, donec alterum extremum B attingat.
2. Mox circini crus unum in fine decempedæ alicujus, e. gr. in 10. ponatur & notetur, quemnam pedem menſuræ alterum attingat, e. gr. 5. Erit linea AB 1° 5′.

II. In Campo

1. In utroque lineæ extremo erigantur baculi (§. 121) &, ſi ea menſuræ longitudinem ſuperet, conſtituantur cum iis alii in eadem recta (§. 125).

2. Fu-

2. Funis cannabinus aut catena mensuram largiens ab uno baculo usque ad alterum ita extendatur, ut utrumque ad angulos rectos secet (§.234): quod perpendiculo appenso evidens redditur.
3. Decempedæ, pedes atque digiti inter utrumque intercepti numerentur.

SCHOLION I.

127. *Si catena utrinque in annulos desinat, per quos baculos trajicere licet; lineam metimur, baculis hisce cum ceteris in eadem recta continuo collocatis (§.12). Notandum tamen, dum baculus ex A in B transfertur, non in vestigio baculi B, sed prope ipsum in D eundem infigi atque annulorum crassitiem longitudini mensuræ non accenseri debere. Quodsi tamen hæc sit pars mensuræ eaque subdupla diametri baculi; baculus ex A ablatus in ipso B defigi poterit. Parantur autem catenæ PQ ex filis ferreis pedalibus, earumque longitudo tres decempedas excedere vix debet, ne pondere fiant molestæ: quam ob rationem nec filis ferreis nimium crassis utendum.*

Tab. I. Fig. 31.

Tab. I. Fig. 32.

SCHOLION II.

128 *Si pertica circa alterum sui extremum tanquam centrum per quadrantem circuli elevata & per alterum rursus demissa lineam metitur; crassities ejus longitudini lineæ repertæ toties addenda, quoties ad eam applicata fuit, aut longitudo perticæ particula crassitiei congruente imminuenda. Ceterum quia perticæ, ab inæqualitate extensionis prorsus liberæ, prærogativam quandam præ catenis & funibus habent; earum extremitates annulis ferreis instrui oportet, ut observantibus, quæ in scholio præcedente diximus, tanto minus periculi supersit, ne a recta dimetienda declinetur.*

SCHOLION III.

129. *Funes cannabinos humor contrahit & vires diversæ inæqualiter tendunt.* Schwenterus (*a*) *autor est, cum aliquando exercitiis Geometricis in campo vacaret, longitudinem funis, quæ erat 16 pedum, cadente pruina, horæ unius intervallo, ad pedes 15 rediisse. Ut igitur hi nævi tollantur, funiculi, ex quibus conficiuntur, in gyros contrarios contorquendi; ipse autem funis oleo ad ignem ferventi immittendus & postquam exsiccatus fuerit, per ceram liquefactam trahendus, tandemque cerandus. Nullum longitudinis decrementum notabis, etiamsi funem istiusmodi per diem integrum sub aquis demersum detineas. Ne autem funis humum contingat, sustentaculum Z ipsi supponendum. Perpendiculum, quo ad funem horizontaliter extendendum utimur, ex filio & appenso globo vel pondere plumbeo constat.* Tab. I. Fig. 33.

PROBLEMA IV.

130. *Data longitudine lineæ in mensura e. gr. Parisina, invenire eandem in mensura alia, e. gr. Londinensi, cujus ad priorem nota est ratio.*

RESOLUTIO.

Sit e. gr. linea data 186 pedum Parisinorum, quæritur quot eadem sit pedum Londinensium? Quoniam pes Londinensis est ad Parisinum ut 135 ad 144 (§. 26); inferatur (§. 311. *Arithm.*):

$$135 : 144 = 186 \quad 26784 \left(198\tfrac{54}{135}\right. \text{ped. Londin.}$$

```
  186        135) 135::
  ---             ----
  864             1328:
 1152             1215:
 144              -----
 -----            1134
 26784            1080
                  ----
                    54
```

 PRO-

(*a*) Geometr. pract. lib. 1. Tract. 1. p. 381.

PROBLEMA V.

131. *Ex dato quovis centro C dato radio qu[illegible] [illegible]ue AC Circulum describere.*

RESOLUTIO.

Tab.II. I. In charta

Fig.34. 1. Collocetur circini crus unum in centro dato C & aperiatur intervallo radii dati AC.

2. Moveatur circinus circa centrum C: ita crus alterum peripheriam designabit (§. 37).

II. In solo & quotiescunque circini apertura tanta fieri nequit, quanta requiritur, radii vice fungitur filum, funiculus, aut virga sive lignea, sive ferrea.

SCHOLION I.

Tab.II. Fig.35. 132. *Si fune aut filo utimur, cavendum est, ne stylus FA, quo peripheria designatur, e situ perpendiculari dimoveatur: id quod impedit filum transversum FE, si fuerit AF = 3, AE = 4 & FE = 5. Ratio patet per theorema Pythagoricum infra demonstrandum.* (§. 417).

SCHOLION II.

Tab.II. Fig.37. 133. *Circini, ut instrumenta Geometrica reliqua, ex orichalco parantur ob durabilitatem, tractabilitatem & nitorem hujus metalli. Cuspides tamen crurum ex chalybe fiunt: fert enim ejus durities, ut subtilius exacuantur. Circini, quo ad lineas metiendas & dividendas utimur, crura eadem sunt & invariata. Sed circini, qui peripheriis & arcubus describendis inservit, crus alterum variari potest, ut tam plumbagine, quam atramento Sinico uti detur, prout commodum visum fuerit. Plumbagine nempe utimur, quoties arcus delineantur absoluta operatione rursus delendi. Longitudo vel 3 vel 6 digitorum esse solet.*

COROLLARIUM.

134. Quoniam unius circuli peripheria eodem modo determinatur, quo peripheria alterius cujuscunque (§. 119); omnes peripheriæ sunt inter se similes (§. 120). Eodem modo patet, omnes circulos & semicirculos esse inter se similes.

THEOREMA II.

135. *Diameter AE dividit tam peripheriam, quam circulum ipsum in duas partes æquales.* Tab.I. Fig. 2.

DEMONSTRATIO.

Partes peripheriæ ADE & ABE, itemque circuli ADECA & ABECA determinantur, recta AC circa centrum C mota, donec sibi in directum jaceat (§. 131). Sunt adeo arcus ABE & ADE partes peripheriæ, segmenta ABECA & ADECA partes circuli eodem modo determinatæ, adeoque similes (§. 120). Quamobrem illi ad peripheriam, hæc ad circulum eandem rationem habent (§. 170. *Arithm.*), consequenter tum illi, tum hæc inter se æquantur (§. 177 *Arithm.*). *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

136. Super quavis igitur linea AE (producta, si opus sit, §. 21) ex assumto in ea puncto C describi potest semicirculus.

THEOREMA III.

137. *Si ex centro C duorum circulorum concentricorum ducantur radii CDA & CEB; tum arcus DE & BA ad peripherias, tum sectores DCE & ACB ad areas suorum circulorum eandem rationem habent.* Tab.II. Fig.34.

DEMONSTRATIO.

Cum circuli concentrici *per hypoth.* idem centrum C habeant (§. 44), & arcus

arcus A B atque D E, itemque sectores A C B & D C E describantur, radiis A C & D C a communi termino C D A ad communem terminum C E B motis (§. 131); arcus isti atque sectores eodem modo determinantur (§. 119), consequenter illi peripheriarum, hi circulorum partes similes sunt (§. 120.) adeoque illi ad peripherias, hi ad circulos eandem rationem habent (§. 170. *Arithm.*). *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

Tab. II. Fig. 34. 138. Cum arcus D E & A B intra crura ejusdem anguli A C B ex ejus vertice C descripti sint arcus circulorum concentricorum (§. 44); ad suas quoque peripherias eandem rationem habent, consequenter inter se sunt ut peripheriæ (§. 173 *Arithm.*) Quoniam itaque peripheriæ eundem numerum graduum continent (§. 41); ipsi quoque eundem continere debent.

COROLLARIUM II.

139. Quia anguli quantitas æstimatur per rationem arcus ex vertice intra crura descripti ad totam peripheriam (§. 58); perinde est, quocunque radio arcus iste describatur (§. 137).

COROLLARIUM III.

140. Eadem ergo manet anguli quantitas, sive crura producantur, sive minuantur.

THEOREMA IV.

Tab. II. Fig. 46. 141. *Angulorum æqualium A & a mensuræ BC & de sunt arcus similes, & contra si angulorum A & a mensuræ BC & de similes sunt, anguli æquales sunt.*

DEMONSTRATIO.

Cum anguli cujuscunque A vel *a* quantitas æstimetur per rationem arcus B C vel *de*, ex vertice A vel *a* intra crura descripti, ad integram peripheriam (§. 58); si A=*a*, ratio arcuum B C & *de* ad peripherias suorum circulorum eadem esse debet, consequenter cum sint partes suarum peripheriarum (§. 42), similes sunt (§. 170 *Arithm.*). *Quod erat unum.*

Si arcus B C & *de*, mensuræ angulorum A & *a* (§. 57), fuerint similes; ad peripherias, quarum partes sunt (§. 42), eandem rationem habent (§. 170 *Arithm.*). Quare cum quantitas angulorum A & *a* per eam rationem æstimetur (§. 58), eadem omnino esse debet, hoc est, anguli æquales sunt. *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM.

142. Cum arcus similes eandem rationem habeant ad peripherias, quarum sunt partes (§. 170 *Arithm.*), si fuerint partes æqualium peripheriarum, [illegible]les sunt (§. 177 *Arithm.*). Si ergo mensuræ anglorum æqualium fuerint partes eiusdem peripheriæ vel æqualium peripheriarum, æquales sunt (§. 141), & contra.

THEOREMA V.

143. *Anguli recti K L M mensura est quadrans circuli.* Tab. I. Fig. 11.

DEMONSTRATIO.

Producatur L M in N (§. 21); erit $x=o$ (§. 65). Sed cum ex L super recta N M describi possit semicirculus (§ 136); angulorum x & o mensuræ A C & C B junctim sumtæ conficiunt semicirculum (§. 57). Ergo unius mensura est dimidius semicirculus, hoc est circuli quadrans (§. 142). *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

144. Cum quadrans circuli 90° complectatur (§. 41); angulus rectus est 90° (§. 59).

COROLLARIUM II.

145. Omnes adeo recti sunt inter se æquales (§. 141), & æqualis recto etiam rectus est.

COROLLARIUM III.

146. Acutus igitur minor, obtusus major est quam 90° (§. 66).

THEOREMA VI.

Tab. I. Fig. 6. 147. *Duo anguli deinceps positi* x *&* y, *aut quotcunque ad idem punctum E super eadem recta CD constituti sunt æquales duobus rectis. Et contra si* x *&* y *fuerint duobus rectis æquales, CE sita est in directum ipsi ED.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam in casu priore anguli x & y sunt deinceps positi, *per hypoth.* EC cum ED eandem rectam constituit (§. 62). In casu posteriore omnes anguli constituti sunt super eadem recta CD ad idem punctum E, *per hypoth.* Quare cum ex E super CD describi possit semicirculus (§. 136); in utroque casu mensura omnium angulorum simul est semicirculus (§. 57). Sed idem est mensura duorum rectorum (§. 143). Ergo anguli isti sunt duobus rectis æquales (§. 142). *Quod erat unum.*

Quodsi x & y fuerint duobus rectis æquales, nec tamen CE ponatur ipsi ED in directum sita, recta quædam alia veluti EA ipsi ED in directum jacebit (§. 21), atque hinc $o+y$ & x erunt deinceps positi (§. 62), consequenter duobus rectis æquales, *per demonstrata*, adeoque $o+y+x=y+x$ (§. 87 *Arith.* & §. 145 *Geom.*): quod cum sit absurdum (§. 84 *Arith.*), CE ipsi ED in directum sita. *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM I.

148. Anguli, qui sunt deinceps, x & y, aut plures circa idem punctum ejusdem rectæ constituti, si junctim sumantur, conficiunt 180° (§. 144).

COROLLARIUM II.

149. Angulorum deinceps positorum dato uno, alter itidem datur: relinquitur nimirum, si datus ex 180° subducatur.

COROLLARIUM III.

150. Si in campo angulum inaccessum vel obtusum Quadrante metiri jubemur & eum, qui est deinceps, accedere licet; illius loco hunc metimur: ex 180° enim subductus quæsitum relinquit (§. 149).

COROLLARIUM IV.

151. Certus evades, te omnes figuræ rectilineæ angulos in campo exacte dimensum esse, si finita operatione deinceps positos etiam metiaris & hos singulos illis singulis addas: quodsi enim ubique prodierit summa 180°, operatio rite peracta (§. 148).

PROBLEMA VI.

152. *Angulum metiri.*

RESOLUTIO.

Tab. II Fig. 36

Cum anguli ACB mensura sit arcus DE ex centro C intra crura AC & CB descriptus (§. 57), totum negotium huc redit, ut numerus graduum, qui arcui DE competunt, determinetur: id quod fit ope semicirculi in 180° exactissime divisi. Nimirum

I. In charta

1. centrum Semicirculi ad verticem anguli C applicatur & radius ejus CE cruri BC admovetur,

2. Gra-

2. Gradus in arcu DE inter crura anguli AC & CB intercepto numerantur.

Tab. II. II. In Campo

Fig. 38. 1. Instrumentum goniometricum ita collocatur, ut radius ejus CG uni cruri anguli; centrum vero C vertici ejusdem immineat. Prius obtinetur collineando per dioptras F & G, seu pinnulas immobiles ad diametrum perpendiculariter erectas, versus baculum in extremo cruris defixum; posterius vero perpendiculum ad centrum instrumenti applicando.

2. Regula HI circa centrum mobilis versus crus anguli alterum promovetur, donec per pinnulas ipsi affixas baculus in extremo ejus defixus collineanti occurrat.

3. Gradus, quem regula instrumento indicat notatur.

SCHOLION I.

153. *Semicirculus minor, quo in charta utimur,* Instrumentum transportatorium *vulgo appellatur. In campo quidam circulo integro, quidam nonnisi quadrante utuntur.*

SCHOLION II.

154. *Diameter transportatorii est trium fere digitorum Rhenanorum; majorum vero instrumentorum goniometricorum unius pedis aut ad summum unius cum dimidio. Divisio accurata fieri debet. In transportatoriis gradus dimidii satisfaciunt; in majoribus dena prima. Angulos in campo instrumento majore captos, quantum fieri potest, accuratissime in charta designaturi, diametrum transportatorio non multo minorem diametro ejus instrumenti, quo in campo usi sunt, & regulam circa centrum mobilem indulgent.*

PROBLEMA VII.

155. *Data quantitate anguli, ipsum describere.* Tab. II. *Fig.* 36.

RESOLUTIO.

I. In charta

1. Ducatur recta CB &

2. Super alterum ejus extremum C ponatur centrum instrumenti transportatorii, ita ut radius ejus cum recta CB coincidat.

3. Numerentur gradus dati ab E versus D & ad gradum ultimum notetur punctum D.

4. Ducatur recta CA. per C & C. Erit ACB angulus quaesitus (§. 141).

II. In campo Tab. II.

1. Collocetur instrumentum goniometricum ut in probl. praec. (§. 152). *Fig.* 38.

2. Regula HI circa centrum C ad gradum datum promoveatur.

3. Baculus ita erigi jubeatur, ut per dioptras collineanti occurrat.

THEOREMA VII.

156. *Si recta AB alteram CD secet in E, anguli verticales* x *&* o, *item* y *&* E, *sunt aequales.* Tab. I. *Fig.* 6.

DEMONSTRATIO.

$$\left.\begin{aligned} x+y &= 180^\circ \\ y+o &= 180^\circ \end{aligned}\right\} \text{(§. 148)}$$

Ergo $x+y=y+o$ (§. 87 *Arithm.*) adeoque $x=o$ (§. 91 *Arithm.*). Eodem modo ostenditur esse $y=$ E. *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

157. Quodsi in campo aut alio in casu angulum inaccessum x metiri jubeamur; accessum vero non neget verticalis o: hunc ejus loco metiri licet.

SCHO-

SCHOLION.

158. *Cum tyrones sub initium studii Mathematici sensibus atque imaginationi nimis adhuc indulgeant ratiociniis ex assumtis deductis minus adsueti; figuras per data ex hypothesibus theorematum assumta construere ac reliquarum linearum & angulorum per constructionem determinatorum quantitatem explorare* (§.126.152) *juvat: ita sensus & veritas propositionis elucescit, & animus ad demonstrationes genuinas percipiendas excitatur: cum enim sit scire avidus, rationes veritatis nosse desiderat. In demonstratione magis acquiescunt tyrones, examine ratiocinationis legitimæ sic facto, non secus ac theoriæ physicæ magis satisfaciunt, ubi factis experimentis decretoriis consonæ deprehenduntur.*

THEOREMA VIII.

Tab. I. Fig. 6. 159. *Omnes anguli* x, y, o, E *&c. circa punctum aliquod E constituti sunt æquales quatuor rectis.*

DEMONSTRATIO.

Describatur ex puncto E vertice communi angulorum *x*, *y*, *o*, E &c. (§. 45) intervallo quocunque E*a* circulus (§. 131); evidens est mensuras omnium angulorum simul sumtas *db*, *bc*, *ca*, *ad* &c. conficere integram circuli peripheriam (§. 143). Mensura ergo angulorum *x*, *y*, *o*, E &c. junctim sumtorum est circulus integer (§. 55). Sed circulus est mensura quatuor rectorum (§. 143). Ergo omnes isti anguli æquales sunt quatuor rectis (§. 141). *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

160. Omnes itaque anguli circa idem punctum constituti junctim 360^{0} conficiunt (§. 144).

THEOREMA IX.

161. *Quæ sibi mutuo congruunt, ea & æqualia, & similia sunt.*

DEMONSTRATIO.

Quæ sibi mutuo congruunt, eorum iidem esse possunt termini (§. 3). Ergo unum in locum alterius salva quantitate substituere licet: consequenter æqualia sunt (§. 15. *Arith.*). *Quod erat unum.*

Porro quoniam, quæ sibi mutuo congruunt, eosdem terminos habere possunt (§. 3): quin eodem modo determinari queant dubitandum non est. Sunt igitur similia (§. 120. *Quod erat alterum.*

THEOREMA X.

162. *Quæ æqualia & similia sunt, ea sibi mutuo congruunt.*

DEMONSTRATIO.

Similia differre nequeunt, nisi quantitate (§. 26 *Arithm*). Quamobrem si æqualia fuerint, prorsus non differunt (§. 15 *Arithm.*). Jam si sibi mutuo superimposita non iisdem terminis continerentur, diversitate terminorum differrent: quod cum sit absurdum *per demonstrata*, iisdem terminis contineri debent, consequenter sibi mutuo congruunt (§. 3). *Q. e. d.*

THEOREMA XI.

163. *Si linea lineæ congruit, singula puncta unius singulis punctis alterius congruere debent.*

DEMONSTRATIO.

Linearum enim, quæ sibi mutuo congruunt, iidem termini esse possunt (§. 3.). Sed termini linearum secundum longitudinem sunt duo puncta; secundum latitudinem & profunditatem ipsæmet sui termini existunt (§. 11). Ergo si lineæ congruunt, non modo puncta extrema,

trema, sed etiam omnia intermedia congruere debent. *Q. e. d.*

Corollarium I.

164. Si centra & radii duorum circulorum congruunt; etiam peripheriæ, in quibus radii terminantur (*§.* 39), consequenter circuli ipsi congruere debent (*§.* 3).

Corollarium II.

165. Ex uno itaque puncto eodem radio circulus nonnisi unicus describi potest.

Theorema XII.

Tab.II. Fig. 39. 166. *Si fuerint duo anguli* BAC *&* bac *æquales, & vertex unius* a *ponatur super verticem alterius* A; *præterea crus illius* ac *super crus hujus* AC: *etiam crus alterum* ab *super alterum* AB *cadet.*

Demonstratio.

Si negas, necesse est ut *ab* vel intra angulum BAC, vel extra eum cadat. Ducatur ex A, radio AD, arcus D*f* (§.131): erit DE mensura anguli BAC, *De* vel *Df* mensura anguli *bac* (§. 39); Ergo in casu priore *De* mensura anguli *bac* minor; in posteriore eadem mensura *Df* major foret mensura anguli BAC (§.20. *Arithm.*). Quod utrumque cum sit absurdum (§ 142); crus *ab* super AB cadit. *Q. e. d.*

Theorema XIII.

Tab. I. Fig. 9. 167. *Si vertex & crura anguli unius* DAE *supra verticem & crura alterius* BAC *cadant; angulus unus* DAE *alteri* BAC *æqualis est.*

Demonstratio.

Describatur enim ex communi vertice A, intra crura AD & AE, arcus DE (*§.* 131): erit is mensura anguli DAE (§. 57). Sed quoniam crura DA & DE supra crura alterius anguli AB & AC cadunt, *per hypoth.* idem arcus DE inter crura AB & AC intercipitur. Est igitur & mensura anguli BAC (§. *cit.*), consequenter DAE = BAC (§. 142). *Q. e. d.*

Theorema XIV.

168. *Lineæ rectæ æquales sibi mutuo congruunt.* Tab.II. Fig.40.

Demonstratio.

Est *ab*=AB, *per hypoth.* Est vero etiam recta *ab* similis rectæ AB (§.17). Ergo *ab* ipsi AB congruit (§. 162). *Q. e. d.*

Corollarium I.

169. Ergo si recta *ab* alteri æquali AB ita applicetur, ut punctum *a* supra A & *ab* supra AB cadat; etiam *b* supra B cadet (*§.* 3. 11).

Corollarium II.

170. Si rectarum extrema coincidunt; singula puncta unius erunt in recta altera (*§.* 162), atque hinc inter duo puncta nonnisi unica recta cadit.

Corollarium III.

171. Cum radii circulorum sint lineæ rectæ (*§.* 39), ubi æquales fuerint, sibi mutuo congruunt (*§.* 168), consequenter etiam circuli congruere debent (*§.* 164); atque adeo circuli æquales sunt, quorum æquales sunt radii (*§.* 161).

Corollarium IV.

172. Quoniam non absimili modo patet; circulum, cujus minor est radius, congruere parti circuli radium majorem habenti; minor est circulus, cujus minor radius; major vero, cujus radius major (*§.* 20 *Arithm.*).

Tab. I. Fig. 2.

Theorema XV.

173. *Si centro circuli C applicetur lineæ rectæ C D, radio A C æqualis, extremum unum; alterum peripheriam attinget.*

Demonstratio.

Quoniam recta C D radio æqualis *per hypoth.* ipsi congruet (§. 168), adeoque eosdem cum eo terminos habere debet (§. 3). Sed radius ex centro eductus in peripheria terminatur (§. 39). Ergo & recta C D ipsi æqualis, si alterum extremum in C hæreat, altero peripheriam attinget. *Q. e. d.*

Theorema XVI.

174. *Anguli similes sunt etiam æquales.*

Demonstratio.

In angulis similibus ea coincidunt, per quæ a se invicem discerni debent (§. 24. *Arithm.*). Quare cum anguli distinguantur per rationem arcuum ex vertice intra crura descriptorum ad peripheriam (§. 58), si anguli sunt similes, arcus isti ad suas peripherias eandem rationem habere, hoc est, & ipsi similes esse debent (§. 141 *Geom.* & §. 170. *Arith.*). Sunt igitur anguli æquales (141). *Q. e. d.*

Theorema XVII.

175. *In figuris similibus anguli homologi sunt æquales & latera homologa proportionalia.*

Demonstratio.

In figuris similibus ea coincidunt, per quæ a se invicem discerni debent (§. 24 *Arith.*). Quare cum figuræ nequeant distingui nisi per angulos & latera; illi æquales (§. 174), hæc proportionalia esse debent (§. 154 *Arith.*). *Q. e. d.*

Scholion.

176. *Sermo nobis tantum est de figuris rectilineis, quarum latera in se spectata omnia inter se similia sunt. Alias addendum foret, latera homologa debere esse insuper inter se similia & similiter posita, e. gr. arcus circulorum similes convexitatem centro figuræ obvertentes.*

Theorema XVIII.

177. *Figurarum sibi mutuo congruentium* R T U S & r t u s *anguli & latera homologa inter se æqualia sunt.* Tab. I. Fig. 25

Demonstratio.

Quoniam figuræ R T U S & *rtus* sibi mutuo congruunt, *per hypoth.* iidem utriusque termini esse possunt (§. 3). Quare cum termini earum sint perimetri (§. 31); una *rtus* supra alreram R T U S ita poni potest, ut *tu* ipsi TU, *tr* ipsi TR, *rs* ipsi R S &c. congruat. Ergo latera homologa sunt inter se æqualia (§. 161). *Quod erat unum.*

Sunt vero T & t, R & *r*, S & *s* &c. vertices; TU, TR, RS, SU & *tu*, *tr*, *rs*, *su* crura angulorum homologorum (§. 54). Quamobrem & anguli homologi æquales sunt (§. 167). *Quod erat alterum.*

Scholion.

178. *Patet ex scholio præcedente, quomodo idem theorema ad figuras quoque non rectilineas extendatur.*

CAPUT

CAPUT III.

De Linearum Rectarum & Triangulorum Symptomatis.

THEOREMA XIX.

Tab.II. Fig.41. 179. S*I in duobus triangulis* ABC *&* abc *fuerit* A=a, AB=ab, AC=ac; *erit etiam* BC=bc, C=c, B=b *totaque triangula æqualia & similia erunt.*

DEMONSTRATIO.

Concipiamus triangulum *a b c* ita poni ſuper alterum ABC, ut punctum *a* ſuper A & recta *a b* ſuper AB cadat. Quoniam *a b*= AB, *a*=A & *a c*=AC, *per hypoth.* punctum *b* ſuper B (§. 168), recta *a c* ſuper AC (§. 166) & punctum *c* ſuper C (§. 169), conſequenter *bc* ſuper BC (§. 170) cadit, adeoque △ *abc* alteri ABC congruit (§. 3), conſequenter *b c*=BC (§. 161), *c*=C & *b*=B (§. 167), totaque triangula æqualia & ſimilia ſunt (§. 161). *Q. e. d.*

PROBLEMA VIII.

Tab.II. Fig.41. 180. *Datis duobus lateribus* AB & AC *cum angulo intercepto* A *triangulum conſtruere.*

RESOLUTIO.

1. Aſſumto AB pro baſi, in A conſtituatur angulus datus (§. 155).
2. In crus ejus alterum transferatur altera datarum AC.
3. Tandem ducatur recta BC.

Erit ABC triangulum deſideratum (§. 179).

SCHOLION.

181. *Tyrones latera & angulos datos in numeris aſſumant: quod in aliquibus caſibus ad demonſtrationes empiricas diſtinctius percipiendas proderit, quas ſupra (§. 158) commendavimus.*

COROLLARIUM I.

182. Determinatis adeo duobus lateribus cum angulo intercepto, tota triangula determinantur.

COROLLARIUM II.

183. Quare ſi in duobus triangulis ACB & *a c b* fiat *a* ⫫ A & *a b* : *ac* ⫫ AB AC; triangula eodem modo determinantur (§. 119), adeoque ſimilia ſunt (§. 120), conſequenter etiam *c* ⫫ C & *b* ⫫ B, *ab* : *bc* ⫫ AB : BC &c. (§. 175).

THEOREMA XX.

184. *In triangulo æquicruro DFE* 1°. *anguli ad baſin* y *&* u *ſunt æquales*, 2°. *recta FG, quæ angulum DFE bifariam ſecat, baſin quoque DE, &* 3°. *triangulum ipſum bifariam ſecat: immo* 4°. *FG ad baſin DE perpendicularis.* Tab.II. Fig.44.

DEMONSTRATIO.

Nam *o*=*x*, *per hypoth.* DF=FE (§. 89) & FG=FG (§. 81 *Arithm*). Ergo 1°. *y*=*u*, 2°. DG=GE, 3°. △ DFG= △ GFE (§. 179). Et quia etiam anguli ad G æquales, (*per §. cit.*) 4°. FG ad DE normalis eſt (§. 79) *Q. e. d.*

 Co-

COROLLARIUM.

185. Cum triangulum æquilaterum sit etiam æquicrurum (§. 88. 89.); theorema præsens de æquilatero itidem verum est.

THEOREMA XXI.

Tab. I. Fig. 16. 186. *In triangulo æquilatero ABC omnes anguli sunt inter se æquales.*

DEMONSTRATIO.

Est enim AC=CB (§. 88). Ergo A=B (§. 184). Est vero etiam AC=AB (§. 88). Ergo C=B (§. 184). Quare A=C (§. 87 *Arithm.*) *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

187. Triangulum itaque æquilaterum est etiam æquiangulum (§. 105).

THEOREMA XXII.

Tab. III. Fig. 55. 188. *Si trianguli ABC latus unum AC continuetur in D; erit angulus externus DAB major quolibet interno opposito B vel C.*

DEMONSTRATIO.

Concipiatur AB, bifariam divisa in F ductaque recta CF producenda in G (§. 21), donec fiat FG=FC. Quoniam GC secat AB in F (§. 50), erit $z=y$ (§. 156), consequenter $o=x$ (§. 179). Sed DAB > o (§. 84 *Arithm.*). Ergo & DAB > x (§. 89 *Arithm.*). Eodem modo ostenditur esse DAB, aut, quod perinde est (§. 156), ejus verticalem HAC > ACB. *Q. e. d.*

THEOREMA XXIII.

Tab. III. Fig. 57. 189. *In omni triangulo ABC latus majus AC opponitur majori angulo B; minus AB minori C, & contra.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam AB < AC, *per hypoth.* parti hujus AD æqualis est (§. 20. *Arithm.*). Ducatur recta BD (§. 121): erit BAD triangulum æquicrurum (§. 89), adeoque $o=x$ (§. 184). Sed o > C (§. 188). Ergo x > C (§. 89 *Arithm.*), consequenter multo magis B > C. *Quod erat unum.*

Sit B > C, *per hypoth.* Si non sit AC > AB, erit vel AC=AB, vel AC < AB, adeoque in casu primo B=C (§. 184), in altero B < C, *per demonst.* Sed cum utrumque hypothesin evertat, absurdum est; consequenter si angulus B > C, etiam AC > AB. *Quod erat alterum.*

THEOREMA XXIV.

190. *In omni triangulo ABD duo latera AD & BD simul sumta sunt tertio AB majora.* Tab. III. Fig. 57.

DEMONSTRATIO.

Producatur AD in C (§. 21), donec fiat BD=DC, adeoque AC=AD+DB (§. 88. *Arithm.*): erit △BDC æquicrurum (§. 89) & hinc y=C (§. 184), consequenter C < $x+y$ (§. 48. *Arithm.*). Quare AC seu AD+DB > AB (§. 189.). *Q. e. d.*

THEOREMA XXV.

191. *Linea recta AB est brevissima omnium, quæ intra eosdem terminos A & B continentur.* Tab. I. Fig. 1.

DEMONSTRATIO.

Sit curva quæcunque ACB. Ducantur rectæ AC & CB: erit AC + CB > AB (§. 190). Ducantur porro rectæ AD & DC, item CE & EB: erit AD + DC > AC & CE + EB > CB (§. *cit.*), consequenter AD + DC + CE + EB > AC + CB (§. 90 *Arithm.*), adeoque multo magis AD + DC + CE

CE + EB > AB. Quodsi plures ducas subtensas; erit earum aggregatum denuo majus ipsa AB. Quare cum illæ subtensæ cum curva tandem coincidant, erit ea major recta AB intra eosdem terminos contenta. Est ergo recta AB minor curva quacunque intra eosdem terminos contenta, hoc est omnium linearum brevissima, quæ ab A usque ab B duci possunt. *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

192. Distantia ergo puncti A a puncta B in plano est linea recta (§. 15. 36): cumque inter duo puncta nonnisi unica linea recta contineri possit (§. 170); via in plano brevissima est numero unica.

COROLLARIUM II.

193. Singula itaque peripheriæ puncto a centro circuli æqualiter distant (§. 37).

PROBLEMA IX.

194. *Metiri distantiam duorum locorum A & B ex eodem tertio C accessorum.*

RESOLUTIO.

Tab.II. Fig.42. 1. In loco C ad arbitrium electo defigatur baculus.

2. Linea AC transferatur ope funis & catenæ ex C in a, ita ut baculus in a defigendus sit cum C & A in eadem recta (§. 125).

3. Eadem ratione ex C in b transferatur linea CB.

4. Investigetur longitudo rectæ ab (§. 126). Dico, ab esse æqualem distantiæ quæsitæ.

DEMONSTRATIO.

Cum loca A & B punctorum instar in eodem plano sitorum considerentur, eorum distantia est recta AB (§. 192). Quoniam vero Aa & Bb sunt lineæ rectæ *per constr.* & se mutuo secant in C (§. 50).

erit $x = y$ (§. 156).

Præterea $a\text{C} = \text{CA}$, $b\text{C} = \text{CB}$ } *per constr.*

Ergo $ba = \text{AB}$ (§. 179). *Q. e. d.*

Aliter.

1. Collocato instrumento goniometrico in C investigetur quantitas anguli x (§. 152). Tab.II. Fig.42.
2. Quæratur porro longitudo rectarum AC & BC (§. 126).
3. Ex datis cruribus AC & CB cum angulo intercepto x construatur juxta scalam geometricam modicam triangulum acb (§. 180).
4. Inveniatur in eadem mensura longitudo basis ab (§. 126).

Iidem numeri indicabunt distantiam AB in ea mensura, qua in campo usus es.

DEMONSTRATIO.

Est enim $x = x$ & $ac : cb = \text{AC} : \text{CB}$, *per constr.* consequenter $cb : ab = \text{CB} : \text{AB}$ (§. 183). Ergo iidem numeri, qui respondent rectis cb & ab in mensura modica, etiam rectis CB & AB in majore respondent (§. 155. *Arithm.*) *Q. e. d.*

Aliter.

1. In mensula Geometrica in D horizontaliter collocata assumatur punctum c, & in eo acicula defigatur, ad quam Tab.II. Fig.43.
2. applicata regula cum dioptris tam diu huc illucque moveatur, donec per ea prospicienti punctum B occurrat, ducaturque in hoc regulæ situ recta cb.

3. Similiter collineatio fiat in punctum A ducaturque *c a*.
4. Investigetur longitudo rectarum *c* A & *c* B (§. 126) &
5. Ex mensura modica transferantur lineæ istis proportionales ex *c* in *a* & *b*.
6. Tandem in eadem mensura inveniatur longitudo ipsius *a b* (§. 126).

Iidem numeri indicabunt distantiam AB in mensura majore, qua in campo usus es.

DEMONSTRATIO.

Coincidit cum proxime præcedente.

SCHOLION I.

Tab. II. Fig. 24. 195. *Quodsi angustia spatii non permittit, ut integræ AC & BC in a & b transferantur; poterunt* a C *&* b C *fieri* $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{3}$, $\frac{1}{4}$ *&c. ipsarum AC & BC: quo in casu eodem modo ut in resolutione secunda demonstrabitur, esse* ab $= \frac{1}{2}$, *vel* $\frac{1}{3}$, *vel* $\frac{1}{4}$ *&c. ipsius AB.*

SCHOLION II.

196. *Notent tyrones artificium, quo demonstrationes Geometricas non modo ad facillimam intelligentiam reducere, sed & proprio Marte invenire possunt. Nimirum quicquid vel ex constructione problematis aut hypothesi theorematis, vel ex conspectu figuræ utramque repræsentantis, distincte cognoscitur, per characteres distincte exprimatur, veluti in demonstratione prima præsentis, quod* x = y *aC* = AC *& bC* = BC. *Quo facto dispiciatur, cujusnam theorematum antecedentium hypothesis in iis contineatur: thesis enim illius theorematis ostendit, quid ex iis consequatur, veluti in nostro exemplo, quod ab* = AB. *Cum vero maxima demonstrationum pars ex paucis de congruentia & similitudine triangulorum theorematis derivetur; eorundem recordatio tandem familiarissima evadat opus est.*

THEOREMA XXVI.

197. *Si ex punctis extremis C & O rectæ alicujus radiis CP & PO, qui junctim sumti recta CO majores sunt, describantur circuli; ii se mutuo secabunt.* Tab. I. Fig. 8.

DEMONSTRATIO.

Sit CP < CO; erit parti hujus veluti CN æqualis (§. 20 *Arithm.*), adeoque ipsi congruit (§. 168). Quare si ex centro C radio CP circulus PNQP describatur (§. 131); erit punctum N in peripheria ipsius (§. 173). Eodem modo ostenditur, si ex centro O radio OP describatur circulus; fore punctum M in peripheria ipsius. Cum ergo CN + NO < CP + PO, *per hypoth.* & CP = CN (§. 40); erit NO < PO (§. 92 *Arithm.*). Sed PO = MO (§. 40 & *per demonst.*). Ergo NO < MO (§. 89. *Arithm.*). Quare punctum N peripheriæ circuli PNQP cadit intra circulum PMRP, consequenter circuli se mutuo secant (§. 52). *Quod erat unum.*

Nec absimili modo idem ostenditur, si fuerit CP > CO, vel CP = CO. *Quod erat alterum.*

PROBLEMA X.

198. *Super data recta AB triangulum æquilaterum construere.* Tab. I. Fig. 16.

RESOLUTIO.

1. Ex A tanquam centro intervallo ipsius AB describatur arcus *y*, &
2. Ex B eodem intervallo alius *x* (§. 131), qui priorem in C intersecabit (§. 197).
3. Ducantur rectæ AC & CB: erit ACB triangulum æquilaterum.

DE-

DEMONSTRATIO.

Etenim AC = AB & BC = AB (§. 40). Ergo AC = BC (§. 87 *Arithm.*). Quare triangulum ABC est æquilaterum (§. 88). *Q. e. d.*

PROBLEMA XI.

199. *Data basi DE & crure DF, quod illa dimidia majus sit, triangulum æquicrurum construere.*

RESOLUTIO.

Tab. I. Fig. 17.

1. Ex uno basis extremo D intervallo cruris dati DF describatur arcus, &
2. ex altero extremo E eodem intervallo arcus alius (§. 131), qui ob DF + EF > DE *per hypoth. & constr.* priorem in F intersecabit (§. 197).
3. Ducantur rectæ DF & EF (§. 121).

Dico, DFE esse triangulum æquicrurum.

DEMONSTRATIO.

DF = FE, *per constr.* Ergo EDF est triangulum æquicrurum (§. 89). *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

200. Determinatis ergo basi DE & crure DF totum triangulum æquicrurum determinatur.

COROLLARIUM II.

201. Duo igitur triangula æquicrura DFE & *dfe* eodem modo determinantur, si fiat DF : DE = *df* : *de* (§. 119), consequenter similia (§. 120), adeoque sibi mutuo æquiangula sunt (§. 175 & 109).

THEOREMA XXVII.

Tab. II. Fig. 45. 202. *Duo semicirculi CLE & DGF nonnisi in puncto unico G se mutuo secare possunt.*

DEMONSTRATIO.

Secent enim, si fieri possit; præterea se etiam in L. Ducantur ex centris A & B ad puncta intersectionum L & G rectæ AL, AG, BL, BG; puncta item intersectionum connectantur recta GL (§. 121). Quoniam BL = BG (§. 40); erit BGL = BLG (§. 184). Sed BGL > AGL (§. 84. *Arithm.*): ergo BLG > AGL (§. 89 *Arithm.*). Porro quia AL = AG (§. 40); AGL = ALG (§. 184). Quare BLG > ALG (§. 89 *Arithm.*): quod cum sit absurdum (§. 84 *Arithm.*); duo semicirculi nonnisi unico in puncto se mutuo secare possunt. *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

203. Ergo duo integri circuli non nisi duobus in punctis se mutuo secare possunt.

THEOREMA XXVIII.

204. *Si in duobus triangulis* ACB *&* acb *fuerit* AC = ac, AB = ab, BA = bc; *etiam* A = a, B = b, C = c, *totaque triangula æqualia sunt & similia.* Tab. II. Fig. 41.

DEMONSTRATIO.

Ex centro A radio AC, descriptus concipiatur arcus *y* &, ex centro B radio BC, alius *x* (§. 131). Concipiamus porro △ *acb* ita poni supra △ ACB, ut punctum *a* super A & recta *ab* super AB, cadat. Quoniam *ab* = AB, *per hypoth.* punctum *b* super B cadet (§. 169). Et quia *ac* = AC & *bc* = BC, *per hypoth.* recta *ac* in arcu *y* & *bc* in arcu *x* terminabitur (§. 173), consequenter punctum *c* super C cadet (§. 202) & rectæ *ac*, *bc* rectis AC, BC congruent (§. 170). Quare *a* = A, *b* = B,

$b=B$, $c=C$ (§.167); cumque △ acb alteri ACB congruat (§. 3), △ acb = & ∽ △ ACB (§.161). *Q. e. d.*

PROBLEMA XII.

Tab. I. Fig. 18. 205. *Datis tribus lateribus AB, BC, CA, quorum duo simul sumta AC & BC tertio AB majora sunt, triangulum construere.*

RESOLUTIO.

1. Assumta AB pro basi ex A intervallo ipsius AC describatur arcus y &
2. ex B intervallo ipsius BC arcus alius x (§. 131), qui ob AC + BC > AB *per hypoth.* priorem in C secabit (§. 197).
3. Ducantur rectæ AC & BC (§. 121). Ita factum est, quod petebatur.

COROLLARIUM I.

206. Cum ex tribus datis rectis nonnisi unicum triangulum construi possit (§. 204); determinatis tribus lateribus, totum triangulum determinatur.

COROLLARIUM II.

207. Quare si in duobus triangulis ACB & acb fiat AC : AB = $ac : ab$, AC : BC = $ac : bc$; triangula eodem modo determinantur (§. 119), consequenter similia (§. 120), adeoque sibi mutuo æquiangula sunt (§. 175. 109).

PROBLEMA XIII.

Tab. II. Fig. 46. 208. *Angulo dato DAE æqualem* b a c *constituere.*

RESOLUTIO

I. In charta

1. Ex A intervallo AC describatur arcus BC, erit AB = AC (§. 40).
2. Ducatur recta ac = AC & ex a intervallo ipsius AB describatur arcus x, item
3. Ex c intervallo ipsius CB alius y, qui ob AB + BC > AC (§. 190); seu $ab + bc$ > ac (§. 190), priorem in b intersecabit (§. 197).
4. Ducatur recta ab (§. 121).

Dico esse a = A.

II. In Solo

1. Defigatur baculus in C cum A & E, itemque alius in B cum A & D in eadem recta (§. 125).
2. In a & c defigantur baculi ea lege, ut sit ac = AC.
3. Ad eos funis vel catena ita applicetur, ut pars ipsius ab = AB & altera cb = CB fiat.
4. In b defigatur baculus.

Dico esse bac = BAC.

Interdum etiam in solo uti licet modo priore.

DEMONSTRATIO.

In utroque casu ac = AC, ab = AB, cb = CB, *per construct.* Ergo bac = BAC (§. 204). *Q. e. d.*

PROBLEMA XIV.

209. *Angulum datum HIK in duas partes æquales dividere.* Tab. II. Fig. 47.

RESOLUTIO.

1. Ex centro I ducatur radio quocunque arcus LM (§. 131).
2. Ex L & M, intervallo dimidia LM majore, ducantur arcus se mutuo secantes in N (§. 197).
3. Ducatur recta IN (§. 121).

Dico esse HIN = NIK.

DEMONSTRATIO.

Est enim IL = IM (§. 40), LN = MN, *per constr.* IN = IN. Ergo HIN = NIK (§. 204). *Q. e. d.*

PRO-

PROBLEMA XV.

Tab.II. Fig.50. 210. *Lineam rectam AB in duas partes æquales dividere & in medio ejus perpendicularem erigere.*

RESOLUTIO.

I. In charta

1. Ex A & B, intervallo dimidia AB majore, ducantur arcus se mutuo in C secantes (§. 197).
2. Fiat similis intersectio infra lineam in D (§. *cit.*).
3. Ducatur recta DC (§. 121). Dico esse AE=EB.

DEMONSTRATIO.

△ACB est æquicrurum (§. 198) & recta CED dividit angulum ACB bifariam (§. 209). Ergo eadem recta CD dividit AB bifariam in E & ad AB in E perpendicularis (§. 184). *Q. e. d.*

Aliter.

Tab.II. Fig.51.

1. Ponatur circinus in A & eo usque aperiatur, donec medium lineæ attingere videatur in D.
2. Intervallum AD transferatur ex B in E: quo facto
3. Non difficile erit determinatu punctum medium F.

II. In Solo.

1. Filum longitudini lineæ AB æquale complicetur, ut punctum medium inveniatur.
2. Hoc acicula infixa notetur & filum lineæ datæ rursus coextendatur.
3. Ad punctum medium baculus in terra defigatur.

Sic factum est, quod petebatur.

SCHOLION.

211. *Duo modi posteriores equidem secandi rectam bifariam mechanici dicuntur, non geometrici, quia tentando res peragitur: illorum tamen in praxi egregius est usus.*

PROBLEMA XVI.

212. *Ex puncto G in recta ML dato perpendicularem GI excitare.*

RESOLUTIO.

I. In charta.

1. Posito circino in G, arbitrario intervallo resecentur utrinque partes æquales GK & GH. Tab.II. Fig.49.
2. Ex punctis K & H, intervallo dimidia KH majore, fiat intersectio in I (§. 197).
3. Ducatur recta GI (§. 121), quæ erit ad ML perpendicularis.

DEMONSTRATIO.

Nam KG=GH & KI=IH, *per construct.* IG=IG. Ergo anguli ad G sunt æquales (§. 204), consequenter IG ad ML perpendicularis (§. 79). *Q. e. d.*

Aliter.

1. Normæ, hoc est, instrumenti ex duabus regulis ad angulum rectum junctis compositi crus unum ita applicetur ad rectam ML, ut anguli vertex supra punctum datum G cadat. Tab.II. Fig.52.
2. Ducatur juxta crus alterum recta IG (§. 121), quæ erit ad ML perpendicularis.

DEMONSTRATIO.

Angulus normæ est rectus, *per hypoth.* sed ipsi æqualis est IGL (§. 167): ergo IGL est itidem rectus (§. 145), adeoque IG ad ML perpendicularis (§. 78).

Tab. II. Fig. 52. II. In solo.

Norma utimur majore & juxta crus GI filum extenditur. Aut

Tab. II. Fig. 49. 1. Filum KIH in duas partes æquales in I divisum ex punctis KIH extenditur &

2. In I baculus defigitur, tandemque

3. KH bifariam secatur in G (§. 210). Dico esse GI ad KH perpendicularem.

DEMONSTRATIO.

Cum KI = HI, & KG = GH, *per construct.* GI = GI. Anguli ad G deinceps positi sunt æquales (§. 204), consequenter IG ad ML normalis (§. 79). *Q. e. d.*

THEOREMA XXIX.

Tab. III. Fig. 53. 213. *Ex uno puncto D super eadem recta AB nonnisi perpendicularis unica CD erigi potest in eodem plano.*

DEMONSTRATIO.

Si fieri potest, sit præterea DE ad idem punctum D perpendicularis, quæ intra crura anguli ADC cadat: erit ADE angulus rectus (§. 78). Et quoniam CD perpendicularis ad AD, *per hypoth.* ADC similiter rectus est (§. *cit.*), consequenter ADE = ADC (§. 145): quod cum sit absurdum (§. 84 *Arithm.*), ED ad AB perpendicularis esse nequit. *Q. e. d.*

THEOREMA XXX.

214. *Si recta CD perpendicularis ad DB continuetur in F, erit etiam DF ad DB perpendicularis.*

Tab. III. Fig. 53.

DEMONSTRATIO.

Quoniam CD perpendicularis ad DB *per hypoth.* angulus x rectus est (78). Ergo y similiter rectus est (§. 65), consequenter DF perpendicularis ad DB (§. 78). *Q. e. d.*

THEOREMA XXXI.

215. *Si duo puncta H & Q alicujus rectæ HI a duobus punctis K & L alterius rectæ MN utrinque æqualiter distent; erit HI ad MN perpendicularis.* Tab. III. Fig. 54.

DEMONSTRATIO.

Quoniam puncta H & Q utrinque a punctis K & L æqualiter distant, *per hypoth.* HK = HL & QK = QL (§. 192). Est vero etiam QH = QH. Ergo $o = x$ (§. 204), consequenter cum HI = HI, anguli ad I æquales (§. 179), adeoque HI ad MN perpendicularis (§. 79). *Q. e. d.*

PROBLEMA XVII.

216. *A dato puncto H ad rectam MN perpendicularem HI demittere.* Tab. III. Fig. 54.

RESOLUTIO.

I. In charta.

1. Posito circino in H intervallo arbitrario, eodem tamen, intersecetur MN in K & L.
2. Ex K & L fiat intersectio in Q (§. 197).
3. Ducatur per Q recta HI (§. 121).

Hæc erit ad MN perpendicularis.

DEMONSTRATIO.

Quoniam KH = LH & KQ = LQ *per construct.* puncta H & Q a punctis K & L utrinque æqualiter distant (§. 192). Ergo HI ad MN perpendicularis (§. 215). *Q. e. d.*

Aliter.

Aliter.

Tab. II. Fig. 52. 1. Applicetur norma ad lineam datam ML; ita ut crus unum eandem ſtringat, alterum vero punctum datum I attingat.

2. Ducatur recta GI (§. 121), quæ ad ML perpendicularis erit.

DEMONSTRATIO.

Eadem eſt quæ in caſu ſimili problematis 16. (§. 212).

II. In ſolo

Tab. III. Fig. 54. Aut utimur norma majore, ut in probl. 16. aut

1. Fune ex H extenſo deſignantur puncta K & L & in iis baculi defiguntur.

2. Intervallum KL dividitur bifariam in I (§. 210).

Dico, baculos in H & I defixos perpendicularem HI deſignare.

DEMONSTRATIO.

Quoniam KH=LH & KI=LI, *per conſtruct.* HI=HI; anguli ad I ſunt æquales (§. 204), adeoque HI ad MN perpendicularis (§. 79). *Q. e. d.*

THEOREMA XXXII.

Tab. III. Fig. 56. 217. *Ab uno puncto H ad eandem rectam LM non niſi unica perpendicularis HI duci poteſt.*

DEMONSTRATIO.

Ducatur, ſi fieri poteſt, adhuc alia HK ad LM itidem perpendicularis, erit o rectus (§. 78). Quia HI ad LM perpendicularis, *per hypoth.* erit x quoque rectus (§. *cit.*). Eſt vero $o > x$ (§. 188), adeoque unus rectus altero recto major: quod cum ſit abſurdum (§. 145), a puncto H ad LM nonniſi unica perpendicularis duci poteſt. *Q. e. d.*

THEOREMA XXXIII.

218. *In omni triangulo rectangulo HIK angulus nonniſi x rectus eſt; reliqui H & K ſunt acuti.* Tab. III. Fig. 56.

DEMONSTRATIO.

Angulus y rectus eſt (§. 79). Sed $y > m$, item $y > H$ (§. 188). Ergo K & H ſunt recto minores, adeoque acuti (§. 66). *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

219. Angulorum igitur maximus in triangulo rectangulo eſt rectus.

COROLLARIUM II.

220. In triangulo rectangulo latus maximum eſt hypothenuſa (§. 95. 189.).

THEOREMA XXXIV.

221. *In triangulo obtuſangulo PNO angulus obtuſus nonniſi unicus eſt, reliqui P & O ſunt acuti.* Tab. I. Fig. 20.

DEMONSTRATIO.

$y + x = 2$ rectis (§. 147.) Sed y, utpote obtuſus *per hypoth.* major recto (§. 66). Ergo x recto minor. Quoniam vero $x > O$, item $x > P$ (§. 188); erunt O & P multo magis recto minores, adeoque acuti (§. 66). *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

222. In triangulo obtuſangulo angulorum maximus eſt obtuſus.

COROLLARIUM II.

223. Ergo latus maximum, quod obtuſo opponitur (§. 189).

THEOREMA XXXV.

224. *Linea perpendicularis HI eſt breviſſima omnium, quæ a puncto H ad eandem rectam LM duci poſſunt.* Tab. III. Fig. 56.

DEMONSTRATIO.

Quoniam HI perpendicularis ad LM *per hypoth.* angulus x rectus est (§.78), adeoque HK hypothenusa, consequenter HK > HI (§.220). *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

225. Ergo distantia puncti a linea vel plano est recta ab illo puncto ad lineam vel planum perpendicularis (§. 15).

COROLLARIUM II.

Tab. III. Fig. 58. 226. Quare si linea HI fuerit ipsi KL parallela, erunt perpendicula quævis ex illa in hanc demissa GE, AB, CD inter se æqualia & contra (§. 81).

COROLLARIUM III.

227. Altitudo figuræ est perpendiculum ex vertice in basin demissum (§. 115).

COROLLARIUM IV.

Tab. I. Fig. 19. 228. In triangulo rectangulo angulus K rectus (§. 91) & hinc cathetus unus MK ad alterum KL perpendicularis (§. 78). Ergo si KL sumatur pro basi, erit M vertex (§. 114), adeoque MK altitudo (§. 227).

COROLLARIUM V.

Tab. I. Fig. 21. 23. 229. Similiter in quadrato & oblongo latus unum cum altero efficit rectum C vel K (§. 98. 100), adeoque unum ad alterum perpendiculare (§. 78). Quod si ergo latus unum CD vel IK sumatur pro basi; erit A vel L vertex (§. 114), consequenter AC vel LK altitudo (§. 227).

THEOREMA XXXVI.

Tab. III. Fig. 58. 230. *Si* HI *fuerit parallela &* BA *perpendicularis ad* KL; *erit eadem* AB *etiam perpendicularis ad* HI.

DEMONSTRATIO.

Fiat EB=BD & erigantur ex E & D perpendiculares EG & DC (§. 212); erit GE = CD (§. 225) & E = D (§. 78. 145), consequenter BG=BC & $y = u$ (§. 179). Sed quoniam AB perpendicularis ad KL, *per hypoth.* ideo $u+x=o+y$ (§. 79). Ergo & $x=o$ (§. 91. *Arithm.*). Quare cum porro sit AB=AB; erit & $m=n$ (§. 179), adeoque BA ad HI perpendicularis (§. 79). *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

231. Sunt ergo EG, AB, CD distantiæ tum rectæ KL a recta HI, tum rectæ HI a recta KL (§. 225), adeoque si HI parallela ipsi KL, etiam KL parallela est ipsi HI (§. 81).

THEOREMA XXXVII.

232. *Parallelæ* AB *&* EF *eidem tertiæ* CD *sunt etiam parallelæ inter se, & parallelis parallelæ sunt inter se parallelæ.* Tab. III. Fig. 59.

DEMONSTRATIO.

Ducantur GI & KM perpendiculares ad CD (§. 216): erunt eædem perpendiculares ad AB & EF (§. 214. 230). Ergo GH=KL & HI=LM (§. 226), consequenter GH+HI = KL+LM (§. 88. *Arithm.*) hoc est, GI=KM (§. 86. 87 *Arithm.*) adeoque AB parallela ipsi EF (§. 225. 81). *Quod erat unum.*

Posterius patet per prius.

THEOREMA XXXVIII.

233. *Si duas parallelas* AB *&* CD *secet transversa* EF *in* G *&* H, *erunt* 1°. *anguli alterni* y *&* u *æquales*; 2°. *angulus externus* x *æquatur interno opposito* u; 3°. *duo interni oppositi* o *&* u *sunt æquales duobus rectis.* Tab. III. Fig. 60.

DEMONSTRATIO.

Si recta EF secet parallelas AB & CD

CD ad angulos rectos, omnia manifesta sunt per Theorema 36 (§. 230). Si vero oblique secet; ducantur perpendiculares GI & HK (§. 212). Producatur GI in M & HK in L (§. 21), donec fiat IM=GI & KL=HK.

1°. Quoniam GI perpendicularis ad CD *per construct.* erunt anguli ad I æquales (§. 79). Porro GI=IM *per constr.* & HI=IH. Ergo HG=HM & $u=z$ (§. 179). Eodem modo ostenditur esse HG=GL & $y=t$. Quamobrem & GL=HM (§. 87. *Arithm.*). Est vero etiam HK=GI (§. 226) & hinc HK+KL=GI+IM (§. 88. *Arithm.*), hoc est, HL=GM (§. 86 *Arithm.*) & GH=GH: Unde $t+y=u+z$ (§. 204). Cum itaque $t=y$ & $u=z$ *per demonstrata*: erit $y+y=u+u$ (§. 15 *Arithm.*), hoc est $2y=2u$, consequenter $y=u$ (§. 94 *Arithm.*). *Quod erat primum.*

2°. $x=y$ (§. 156) & $u=y$ (*per n.* 1.). Ergo $x=u$ (§. 87 *Arithm.*). *Quod erat alterum.*

3°. $x+o=180°$ (§. 148). Sed $x=u$ (*per num.* 2.). Ergo $u+o=180°$ (§. 15. *Arithm.*). *Quod erat tertium.*

PROBLEMA XVIII.

Tab. II. Fig. 41. 234. *Datis duobus lateribus AB & BC cum angulo A uni eorum BC opposito, triangulum ABC construere.*

RESOLUTIO.

1. Ducta recta AB, in puncto A excitetur angulus dato æqualis (§. 208), factaque AB uni datorum laterum æquali,
2. Ex B intervallo alterius lateris dati BC crus anguli AC intersecetur in C.
3. Puncta B & C connectantur recta (§. 121). *Si factum est, quod petebatur.*

COROLLARIUM I.

235. Cum ex duobus lateribus atque angulo uni eorum opposito triangulum construi possit; iis datis, trianguli reliqui anguli & crus reliquum una determinatur. Quare si in duobus triangulis ABC & *abc* fuerit AB ≍ *ab*, BC ≍ *bc* & A ≍ *a*; erit etiam AC ≍ *ac*, B ≍ *b*, C ≍ *c*, & △ ABC ≍ △ *abc*: nulla enim subest ratio, cur triangula ex æqualibus datis constructa inæqualia forent.

SCHOLION.

236. *In genere liquet, æqualia esse, quæ per æqualia determinantur, seu, quod perinde est, figuras esse æquales, quæ ex æqualibus datis eodem modo construuntur. Unde non solum triangulorum, verum etiam reliquarum figurarum congruentia ex hoc principio demonstrari potest.*

COROLLARIUM II.

237. Quodsi in duobus triangulis ABC & *abc* fuerit A ≍ *a* & AB: BC ≍ *ab*: *bc*, triangula eodem modo determinantur (§. 119), adeoque similia sunt (§. 120), consequenter etiam B ≍ *b*, C ≍ *c*, BC: CA ≍ *bc* : *ca* & CA: AB ≍ *ca*: *ab* (§. 175).

THEOREMA XXXIX.

238. *Perpendicula KH & GI æquales parallelarum partes KG & HI intercipiunt.* Tab. III. Fig. 60.

DEMONSTRATIO.

KH=GI (§. 230. 226), $u=y$ (§. 233) & GH=GH. Ergo KG=HI (§. 235). *Q. e. d.*

THEOREMA XL.

Tab. III. Fig. 61. 239. *Si trianguli cujuscunque* ACB *latus unum* AC *continuetur in* D; *erit angulus externus* DCA *æqualis duobus internis oppositis* y *&* z *simul sumtis.*

DEMONSTRATIO.

Ducatur CE basi AB parallela, erit $x = y$ & $o = z$ (§. 233), consequenter DCA $= x + o = y + z$ (§. 88 *Arithm.*). *Q. e. d.*

THEOREMA XLI.

240. *In quovis triangulo ACB tres anguli* y, u, z *junctim sumti sunt æquales duobus rectis seu* 180°.

Tab. III. Fig. 61.

DEMONSTRATIO.

Nam $o + x = y + z$ (§. 239). Ergo $o + x + u = y + z + u$ (§. 88. *Arithm.*). Sed $o + x + u = 180°$ (§. 147): ergo $y + z + u = 180°$ (§. 87 *Arithm.*). *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

Tab. I. Fig. 19. 241. In triangulo igitur rectangulo MKL duo anguli obliqui M & L junctim sumti efficiunt rectum seu 90°, adeoque semirecti sunt, si triangulum fuerit æquicrurum (§. 184).

COROLLARIUM II.

242. Si unus angulus est obtusus, duo reliqui simul sumti sunt recto minores (§. 66).

COROLLARIUM III.

Tab. I. Fig. 16. 243. In triangulo æquilatero ACB quilibet angulus est 60°, nimirum 180 : 3. (§. 186).

COROLLARIUM IV.

244. Cum itaque in triangulo rectangulo necessario angulus unus sit rectus (§. 91); triangulum rectangulum æquilaterum esse nequit.

COROLLARIUM V.

245. Si unus trianguli angulus ex 180° subtrahitur, summa duorum reliquorum relinquitur; &, si summa duorum ex 180° aufertur, residuus fit tertius.

COROLLARIUM VI.

246. Si duo anguli unius trianguli æquentur duobus alterius sive sigillatim, sive junctim; etiam tertius unius æqualis est tertio alterius (§. 91 *Arith.*).

COROLLARIUM VII.

247. In quovis triangulo anguli ad basin y & z junctim sumti sunt duobus rectis minores. Tab. III. Fig. 61.

COROLLARIUM VIII.

248. Quoniam in triangulo æquicruro DFE anguli ad basin y & u æquales sunt (§. 184), si angulus ad verticem F subtrahitur a 180° & residuum bisecatur, unus angulorum æqualium y vel u prodit. Similiter si duplum anguli unius ad basin y a 180° subtrahitur, angulus ad verticem F relinquitur. Tab. I. Fig. 17.

PROBLEMA XIX.

249. *In extremitate F lineæ FG perpendicularem FH excitare.* Tab. III. Fig. 62.

RESOLUTIO.

1. Super FG construatur △ æquilaterum FIG (§. 189).
2. Producatur GI in H (§. 121), donec fiat HI = GI.
3. Ducatur recta HF (§. 121): quæ erit ad FG perpendicularis.

DEMONSTRATIO.

Quoniam △ FIG est æquilaterum, *per constr.* $o = 60°$ & $u = 60°$ (§. 243). Ergo $y = 120°$ (§. 234), consequenter ob FI = HI *per constr.* $x = 30°$ (§. 248). Cum adeo $x + o = 90°$; angulus ad F rectus (§. 144) & HF ad FG perpendicularis est (§. 78). *Q. e. d.*

THEO-

THEOREMA XLII.

Tab. III. Fig. 63. 250. *Si recta DE secet rectam AB in C; non alibi eandem denuo secabit.*

DEMONSTRATIO.

Occurrat enim, si fieri potest, recta DE alteri AB in alio adhuc puncto, e. gr. in A: erunt rectæ ADCE puncta duo A & C in recta altera AB, consequenter recta ADCE tota supra AB cadit (§. 170) atque adeo eam non secat (§. 50): quod cum hypothesi repugnet, DE non alibi, quam in C, ipsam AB secare potest. *Q. e. d.*

THEOREMA XLIII.

Tab. II. Fig. 41. 251. *Si in duobus triangulis* ABC *&* abc *fuerit* AB=ab, A=a *&* B=b; *erit etiam* AC=ac, BC=bc, C=c *&* △ ACB=*&* ∽ △ acb.

DEMONSTRATIO.

Concipiamus △ *abc* poni supra alterum ABC, ita ut punctum *a* super A & recta *ab* super AB cadat. Quoniam *ab*=AB, *a*=A & *b*=B, *per hypoth.* punctum *b* super B (§. 169), recta *ac* super AC & *bc* super BC (§. 167), consequenter *c* super C (§. 250) cadit. Cum adeo △ *abc* alteri ABC congruat (§. 3); erit *ac*=AC, *bc*=BC, *c*=C (§. 177) & △ *abc*=*&* ∽ △ ABC (§. 161). *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

252. Si in duobus triangulis ACB & *acb* fuerit A=*a*, B=*b* & BC=*bc*; erit etiam C=*c* (§. 246), consequenter AC=*ac*, AB=*ab* & △ ACB=△ *acb* (§. 251).

THEOREMA XLIV.

253. *Si in triangulo DFE anguli ad basin u & y æquales; triangulum est æquicrurum.*

DEMONSTRATIO.

Secet FG angulum F bifariam (§. 209); erit DF=FE (§. 252). Est ergo △. DFE æquicrurum (§. 89). *Q. e. d.* Tab. II. Fig. 44.

COROLLARIUM.

254. Si ergo tres anguli fuerint æquales; æquilaterum est (§. 88).

THEOREMA XLV.

255. *Si duas lineas AB & CD secet transversa EF in G & H, ita ut vel* 1°. y=u; *vel* 2°. x=u; *vel* 3°. o+u=180°; *erunt lineæ istæ inter se parallelæ.* Tab. III. Fig. 60.

DEMONSTRATIO.

1. Demittantur ex H & G perpendiculares HK & GI (§. 212); erit K=I (§. 78. 145). Est vero & *y*=*u*, *per hypoth.* & HG=HG. Quare HK=GI (§. 252), consequenter cum HK & GI sint distantiæ linearum AB & CD (§. 225); lineæ AB & CD sunt inter se parallelæ (§. 81). *Quod erat primum.*

2. *x*=*u per hypoth. x*=*y* (§. 156). Ergo *y*=*u* (§. 87 *Arithm.*), consequenter AB & CD sunt inter se parallelæ, *per num.* 1. *Quod erat secundum.*

3. *o*+*u*=180°, *per hypoth.* Sed *o*+*x*=180° (§. 147). Ergo *u*=*x* (§. 87 *Arithm.*), consequenter AB & CD sunt inter se parallelæ, *per num.* 2. *Quod erat tertium.*

THEOREMA XLVI.

156. *Si duæ lineæ EG & AB fuerint perpendiculares ad eandem tertiam HI; erunt inter se parallelæ.* Tab. III. Fig. 58.

DE-

DEMONSTRATIO.

Fiat AB=EG ducaturque recta KL; erit HI ipsi KL parallela (§. 81), consequenter EB=GA (§. 238). Quare cum etiam sit GB= GB; erit $y=u$ (§. 204), consequenter EG ipsi AB parallela (§. 255). *Q. e. d.*

THEOREMA XLVII.

Tab. III. Fig. 64. 257. *Parallelæ DF & GA inter easdem parallelas FA & DG sunt æquales. Et contra, si DF & GA fuerint parallelæ & æquales; erit etiam FA ipsi DG parallela & æqualis.*

DEMONSTRATIO.

Ducatur recta DA (§. 121): erit $x=y$ & $o=u$ (§. 233). Quare cum AD=AD, erit DF=GA (§. 251). *Quod erat unum.*

DF=AG, *per hypoth.* & cum eædem lineæ sint parallelæ *per hypoth.* $o=u$ (§. 233). Quare cum etiam sit DA =DA, erit $x=y$ (§. 179), consequenter FA ipsi DG parallela (§. 255), adeoque etiam æqualis *per num.* 1. *Quod erat alterum.*

PROBLEMA XX.

Tab. III. Fig. 65. 258. *Per datum punctum V parallelam rectæ RS ducere.*

RESOLUTIO.

I. In charta

1. Ex V demittatur perpendicularis VK (§. 216).
2. Ex puncto quolibet T erigatur perpendicularis TA=KV (§. 212).
3. Per V & A ducatur recta MN, quæ erit ipsi RS parallela (§. 81).

Aliter.

1. Regula ad rectam RS applicetur & circinus intervallo VK aperiatur.
2. Crus unum circini juxta ductum regulæ ab R versus S promoveatur.

Ita crus alterum per V parallelam ipsi RS describet (§. 81).

Aliter.

1. Per datum punctum V ducatur utcunque recta RG.
2. In V fiat $o=x$ (§. 208).

Erit VN seu MN parallela ipsi RS (§. 255).

Aliter.

Ex modo præcedente enatus est sequens. Tab. III. Fig. 66.

1. Triangulum rectangulum AVN ex ligno ebenino aut alio Indico paratum ita applicetur ad rectam RS, ut basis ejus VN parti ipsius congruat.
2. Hypothenusæ ejusdem Trianguli AV applicetur regula RG, quæ altera manu in hoc situ immota detineatur.
3. Triangulum AVN juxta ductum regulæ promoveatur, donec basis punctum V attingat.

Erit enim in quovis situ, basis VN, ob $y=x$, ipsi RS parallela (§. 255). *Q. e. d.*

Aliter.

Utimur interdum *Parallelismo*, ex duabus regulis ligneis potius, quam orichalceis (§. 122) AB & CD composito, quæ ejusdem ubique latitudinis retinaculis EF & GH inter se æqualibus ita conjunguntur, ut retinacula intervallis æqualibus EG & EH a se invicem distent, ipsæ autem regulæ variis intervallis diduci queant. Nimirum Tab. III. Fig. 67.

1. Re-

1. Regula una debite applicetur ad rectam RS.
2. Altera ad datum punctum V adducatur &
3. Juxta hujus ductum recta AB per V ducatur: quæ erit ipsi RS parallela.

DEMONSTRATIO.

Ducatur obliqua linea EH (§. 121). Quoniam EG = FH, EF = GH *per constr.* & EH = EH, erit $o = x$ (§. 204) adeoque FH parallela ipsi EG (§. 255). Sed AB ipsi EG & RS ipsi FH parallela, *per constr.* Ergo AB parallela ipsi RS (§. 232). *Q. e. d.*

II. In campo

Tab. III. Fig. 68. Commode utimur modo primo antecedentium, vel

1. In puncto quolibet K defigatur baculus cum aliis in R & S defixis in eadem recta (§. 125).
2. Ad V fiat $o = x$ (§. 208).

Erit MV, quæ facile produci potest in N (§. 125), ipsi RS parallela (§. 255).

Aliter.

Tab. III. Fig. 68.

1. In punctis K & T defigantur baculi cum aliis in R & S defixis in eadem recta (§. 125).
2. Fiat $u = x$ (§. 208) & TA = VK.
3. In M & N defigantur baculi cum aliis in V & A defixis in eadem recta (§. 125).

Erit MN parallela ipsi RS.

DEMONSTRATIO.

Quoniam $x = u$ *per constr.* erit TA parallela ipsi KV (§. 255), consequenter $z = y$ (§. 233). Est vero etiam TA = KV, *per construct.* & TV = TV. Ergo $m = n$ (§. 179), consequenter MN parallela ipsi RS (§. 255). *Q. e. d.*

SCHOLION.

259. *Si parallelismis crebro utaris, retinacula continuo affrictu nimis efforantur & a rectitudine cito recedunt ipsi parallelismi. Huic malo præsens remedium attulit* Jacobus Leupoldus, *artifex insignis, qui retinacula ex geminis lamellis orichalceis elasticis, in medio firmiter connexis, & capita clavorum, quibus regulis affiguntur, conica parare solet. Notum vero est, orichalcum ad elasticitatem usque vehementi contusione indurari.*

THEOREMA XLVIII.

260. *Per idem punctum C eidem rectæ DE parallela nonnisi unica AB duci potest.* Tab. III. Fig. 69.

DEMONSTRATIO.

Ducatur enim, si fieri potest, adhuc alia HG, priorem secans in C, cujus adeo pars GC efficit cum parte alterius CB angulum BCG. Ex I erigatur perpendicularis IL (§. 212); erit tum IK ad CG, tum IL ad CB perpendicularis (§. 230), consequenter anguli CKL (§. 214) & CLK recti (§. 78): quod cum sit absurdum (§. 218), per C nonnisi AB ipsi DE parallela duci potest. *Q. e. d.*

Aliter.

Angulus NCH = NQD & NCA = NQD (§. 233). Ergo NCH = NCA (§. 87 *Arithm.*): quod cum sit absurdum (§. 84 *Arithm.*), HG & AB non sunt simul ipsi DE parallelæ. *Q. e. d.*

THEOREMA XLIX.

261. *Si recta NO secet duas rectas alias HG & DE in C & Q ita ut* Tab. III. Fig. 69.

R *duo*

duo anguli interni oppositi HCO & DQN fuerint simul sumti duobus rectis majores; lineæ GH & ED versus eam plagam divergunt.

DEMONSTRATIO.

Ducatur ACB parallela ipsi DE per C (§. 258); tum angulus ACO cum angulo DQN efficiet duos rectos (§. 233). Sed HCO & DQN simul sunt duobus rectis majores, *per hypoth.* Ergo HCO > ACO (§. 90 *Arithm.*), consequenter AC intra spatium HCQD cadit. Erigatur perpendicularis PS (§. 212): erit PR = CF (§. 226), consequenter PS > PR (§. 84 *Arithm.*) > CF (§. 89 *Arithm.*). Distantiæ igitur rectarum CH & QD versus H & D crescunt (§. 225), adeoque lineæ CH & QD versus eam plagam divergunt (§. 84). *Q. e. d.*

THEOREMA L.

Tab. III. Fig. 69. 262. *Si duas rectas HG & DE secet transversa NO in C & Q, ita ut Anguli GCO & EQN simul sumti sint duobus rectis minores; lineæ CG & QE versus eam plagam convergunt.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam CG ipsi QE parallela esse nequit (§. 233), ducatur AB parallela ipsi DE per C (§. 258): tum angulus BCQ cum angulo EQN efficiet duos rectos (§. 233). Sed GCO & EQN simul sumti sunt duobus rectis minores *per hypoth.* Ergo GCO < BCQ, (§. 90 *Arithm.*), consequenter CB extra spatium GCQE cadit. Demittantur perpendiculares LI & CF (§. 216); erit CF = IL (§. 226), consequenter IK < IL (§. 84 *Arithm.*) < CF (§. 89 *Arith.*). Distantiæ igitur rectarum CG & QE decrescunt versus G & E (§. 225), adeoque lineæ CG & QE versus eam plagam convergunt (§. 83). *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

263. Si anguli GCQ & EQC simul sumti fuerint duobus rectis minores; erunt ipsi deinceps positi duobus rectis majores (§. 147). Quare lineæ, quæ versus unam plagam convergunt (§. 262), versus oppositam divergunt (§. 261).

PROBLEMA XXI.

264. *Datis recta AB & angulis adjacentibus, A & B, qui junctum sumti duobus rectis minores sunt, triangulum ABC describere.* Tab. I. Fig. 18.

DEMONSTRATIO.

1. Ad datam rectam AB excitentur anguli dati A & B (§. 155).
2. Crura AC & BC continuentur, donec sibi mutuo occurrant in C (§. 250. 262). ABC triangulum erit desideratum.

COROLLARIUM I.

265. Data ergo linea una datisque duobus angulis, triangulum determinatur.

COROLLARIUM II.

266. Quare si in duobus triangulis fiat A ≍ a & B ≍ b; triangula eodem modo determinantur (§. 119), adeoque similia sunt (§. 120). Tab. II. Fig. 41.

COROLLARIUM III.

267. Si in duobus triangulis fuerit A ≍ a & B ≍ b; consequenter in rectangulis unus obliquorum in uno æqualis uni in altero (§. 145); erit etiam C ≍ c (§. 246), hoc est, △△ ACB & acb sibi mutuo æquiangula (§. 109).

(§. 109). Quare △△ sibi mutuo æquiangula similia sunt (§. 296) & hinc latera homologa seu æqualibus angulis opposita proportionalia habent (§. 175).

THEOREMA LI.

Tab. III. Fig. 70. 268. *Si in Triangulo ABC recta DE basi AC parallela ducatur, segmenta crurum cruribus proportionalia sunt, hoc est, BA : BC = BD : BE = AD : EC & BA : AC = BD : DE, atque BDE ∽ △ BAC.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam DE parallela ipsi AC, erit $x = y$ & $o = u$ (§. 233), adeoque △ BDE ∽ △ BAC & BA : BC = BD : BE & BA : AC = BD : DE (§. 267). Ergo & BA : BD = BC : BE (§. 173 *Arithm.*) consequenter AD : BD = EC : BE (§. 193 *Arithm.*) seu BD : AD = BE : EC (§. 169. *Arithm.*), vel denique BD : BE = AD : EC (§. 173 *Arithm.*). *Q. e. d.*

THEOREMA LII.

Tab. III. Fig. 71. 269. *Recta FH angulum GFE bifariam secans basin GE cruribus adjacentibus EF & GF proportionaliter secat.*

DEMONSTRATIO.

Producatur EF in I (§. 21.), donec fiat FI = GF, erit $o + x = y + u$ (§. 239). Sed $o = x$ *per hypoth.* & $y = u$ (§. 184), adeoque $2y = 2o$ (§. 15. *Arithm.*). Ergo $o = y$ (§. 94 *Arithm.*); consequenter HF ipsi GI parallela (§. 255). Quare EF : EH = FI : GH (§. 268) = GF : GH (§. 168 *Arithm.*). *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

270. Est ergo & EF : GF = EH : GH (§. 173 *Arithm.*), consequenter EF + FG : EF = GE : EH (§. 190 *Arithm.*); seu EF + FG : GE = EF : EH (§. 173 *Arithm.*) hoc est, ut summa crurum ad basin integram, ita crus unum ad segmentum hujus adjacens. *Q. e. d.*

PROBLEMA XXII.

271. *Datis tribus lineis* AB, AC & BD, *invenire quartam proportionalem.* Tab. III. Fig. 72.

RESOLUTIO.

1. Ducatur angulus non nimis acutus FAG pro arbitrio.
2. Ex A in B transferatur linearum datarum prima; ex A in C altera; ex B in D tertia.
3. Ducatur recta BC (§. 121).
4. In D constituatur angulus ipsi ABC æqualis (§. 208).

Dico, esse AB : AC = BD : CE.

DEMONSTRATIO.

Quoniam $o = x$, *per constr.* erit BC ipsi DE parallela (§. 255). Quamobrem AB : AC = BD : CE (§. 268). *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

272. Quodsi duabus lineis AB & AC datis tertia inveniri debet; etiam BD ipsi AC æqualis fieri, hoc est, AC bis poni debet. Erit nimirum AB : AC = AC : CE.

COROLLARIUM II.

273. Si DB sumatur pro unitate; respondebit CE exponenti rationis AC : AB (§. 140 *Arithm.*).

PROBLEMA XXIII.

274. *Datam rectam* AB *in quotcunque partes æquales dividere.* Tab. IV. Fig. 73.

RESOLUTIO.

1. Ex recta CD pro arbitrio assumta resecentur tot partes æquales, in quot data AB dividenda, e. gr. 5.

 2. Super

2. Super harum partium intervallo construatur triangulum æquilaterum CED (§. 198).
3. Ex E in a transferatur recta AB, itidemque ex E in b.
4. Ducatur recta ab: ducantur itidem aliæ ex E in 1. 2. 3. &c.

Dico esse $ab = AB$, $a\,1 = \frac{1}{5} AB$, $a\,2 = \frac{2}{5} AB$ &c.

DEMONSTRATIO.

Quoniam $Ea = Eb$ & $EC = ED$, *per construct.* erit $Ea : Eb = EC : ED$. (§. 168 *Arithm.*). Quare cum angulus E utrique triangulo ECD & Eab communis sit: erit $EC : CD = Ea : ab$ & $o = x$ (§. 183.). Sed $EC = CD$ *per construct.* Ergo $Ea = AB = ab$ (§. 151. *Arithm.*). *Quod erat unum.*

Quoniam $o = x$ *per demonstr.* erit $a\,1$ parallela ipsi C 1 (§. 255), consequenter $EC : C1 = Ea : a1$ (§. 268), hoc est, ob $EC = CD$, *per construct.* & $Ea = ab$, *per demonstr.* $CD : C1 = ab : a1$ (§. 168 *Arithm.*). Sed $C1 = \frac{1}{5} CD$, *per construct.* Ergo $a1 = \frac{1}{5} ab$ (§. 151 *Arithm.*). *Quod erat alterum.*

Eodem modo ostenditur, esse $a\,2 = \frac{2}{5} AB$, consequenter $1\,2 = \frac{1}{5} AB$, & ita porro.

COROLLARIUM.

Tab. IV. Fig. 74. 275. Quodsi ergo CD fuerit utcunque divisa in 1 & 2; eodem modo recta ab secabitur in eadem ratione. Est nempe $CD : C1 = ab : a1$; $CD : C2 = ab : a2$ &c. (§. 274).

SCHOLION.

276. *Corollarii hujus usus amplissimus est in Architectura tam civili, quam militari, præsertim ubi Ichnographiæ vel ampliandæ, vel contrahendæ.*

PROBLEMA XXIV.

277. *Scalam Geometricam construere.* Tab. IV. Fig. 75.

RESOLUTIO.

1. Ducatur recta AF & in eam transferantur partes 10 æquales B1, 12, 23, 34 &c. intervallum vero 10 partium AB totidem ex B in E, ex E in F &c. quoties libuerit.
2. In A excitetur perpendicularis AC arbitrariæ longitudinis, in partes 10 æquales divisa (§. 249).
3. Per puncta divisionum 1. 2. 3. 4. 5 &c. agantur parallelæ cum AF (§. 258).
4. In ultimam CD transferantur partes 10 partibus ipsius AB æquales.
5. Tandem puncta 10 & 9, 9 & 8, 8 & 7 &c. lineis transversis connectantur (§. 121).

Dico, si AB fuerit decempeda, fore B1, 12, 23, 34 &c. pedes, 99 digitum unum, 88 digitos duos, 77 tres, 66 quatuor &c.

DEMONSTRATIO.

$B1 = 12 = 23$ &c. $= \frac{1}{10} AB$, *per construct.* Sed pes est decempedæ pars decima (§. 25). Ergo cum AB sit decempeda, *per hypoth.* erunt B1, 12, 23 &c. pedes. *Quod erat unum.*

Porro quia 99 est parallela ipsi A 9, *per construct.* $C9 : CA = 99 : A9$, (§. 268). Sed $C9 = \frac{1}{10} CA$, *per construct.* Ergo $99 = \frac{1}{10} A9$ (§. 151 *Arithm*). Quare cum A 9 sit pes, *per demonstr.* erit 99 digitus (§. 25). Eodem modo ostenditur esse 88 duos, 77 tres &c. digitos. *Quod erat alterum.*

SCHO-

SCHOLION.

278. *Quemadmodum hic linea exigua A 9. in 10 partes æquales dividitur; ita eadem in quotcunque alias eodem artificio dividi potest. Neque opus est, ut angulus A sit rectus; sed idem obliquus esse potest.*

COROLLARIUM.

279. Quodsi ergo circini crus unum collocatur in I & alterum in K, erit intervallum IK = 1° 4′ 5″ & ita porro.

PROBLEMA XXV.

Tab. IV. Fig. 76. 280. *Invenire distantiam duorum locorum AB, quorum unus B tantum accedi potest.*

RESOLUTIO.

1. Baculo ad arbitrium in E defixo, recta BE transferatur ex E in C, ita ut baculus in C defixus sit cum E & B in eadem recta (§. 125).
2. In C constituatur angulus ECF ipsi B æqualis (§. 208).
3. Tandem ex C progrediendum versus D, donec baculus in D defixus sit cum F & C, itemque cum E & A in eadem recta (§. 125).

Dico esse DC=BA.

DEMONSTRATIO.

Nam BE=EC, $o=x$, *per construct.* & $y=u$ (§. 156). Ergo AB=DC (§. 251). *Q. e. d.*

Aliter.

Tab. IV. Fig. 77.

1. Defigatur baculus in I cum B & A in eadem recta (§. 125), itidemque alius utcunque in K.
2. Ex K in L transferatur IK, in M vero KB.
3. Denique ex K progrediendum in N, donec baculus ibi defixus sit cum M & L, itidemque cum K & A in eadem recta (§. 125).

Dico esse MN=BA.

DEMONSTRATIO.

BK=KM & IK=KL, *per construct.* $o=u$, (§. 156). Ergo IB=ML & $y=x$ (§. 179). Quare cum sit $o+m=u+n$ (§. 156), & IK=KL *per constr.* erit IA = NL (§. 251), consequenter AB=NM (§. 91. *Arith.*) *Q. e. d.*

Aliter.

Tab. IV. Fig. 78.

1. Mensula Geometrica in C collocata, per dioptras collineetur in A & B, ducanturque rectæ *ac* & *cb*.
2. Quæratur distantia stationis a loco accesso AC (§. 126). &
3. Ex Scala Geometrica in *a c* transferatur (§. 277).
4. Translocetur mensula in A, ita ut punctum *a* ipsi A immineat & per dioptras regulæ ad *a c* applicatæ baculus in prima statione C defixus conspiciatur.
5. Mox collineatio in B fiat, ducaturque *a b*.
6. Denique in Scala Geometrica capiatur intervallum ipsius *ab* (§. 277).

Ita distantia quæsita AB innotescet.

DEMONSTRATIO.

Quoniam $c=C$ & $a=A$ (*per construct.* & §. 167), erit $ac : ab = AC : AB$ (§. 267), hoc est, iidem numeri rationes $ac : ab$ & $AC : AB$ indigitant (§. 149. *Arithm.*). *Q. e. d.*

Aliter.

Tab. IV. Fig. 78.

1. Baculo in C defixo investigetur quantitas angulorum A & C (§. 152), itemque longitudo ipsius AC (§. 126).
2. Ope instrumenti transportatorii & scalæ Geometricæ construatur triangulum *a c b* (§. 264).

3. Ad ſcalam Geometricam applicetur recta *a b* (§. 277).

Ita diſtantia AB innoteſcet.

DEMONSTRATIO.

Eadem eſt, quæ proxime præcedens.

PROBLEMA XXVI.

281. *Metiri diſtantiam duorum locorum inacceſſorum* AB.

RESOLUTIO.

Tab. IV. Fig. 76. Sine inſtrumentis tædioſior eſt problematis reſolutio, quam ut commendari poſſit. Cui tamen volupe fuerit eandem experiri, is

1. Statione in E aſſumta rectas BE & AE inveniat (§. 280).
2. His datis reperiet DC ipſi BA æqualem (§. 194).

Aliter.

Tab. IV. Fig. 79.

1. Duabus ſtationibus in C & D electis in prima C collocetur menſula & per dioptras collineetur in D, B & A, ducanturque juxta regulæ, cui affiguntur, ductum rectæ *c d*, *c b*, *c a*.
2. Quæratur diſtantia ſtationum CD (§. 126) &
3. Ex ſcala Geometrica transferatur in *c d* (§. 279).
4. Baculo in C defixo menſula collocetur in D ea lege, ut punctum *d* ipſi D, hoc eſt puncto, in quo defigebatur ante baculus, immineat & per dioptras regulæ ad *c d* applicatæ reſpicienti baculus in C occurrat.
5. Hinc porro collineatio fiat in A & B ducanturque rectæ *d a* & *d b*.
6. Tandem diſtantia punctorum *a* & *b* inveſtigetur in ſcala Geometrica (§. 279).

Dico eſſe *cd* : *ab* = CD : AB.

DEMONSTRATIO.

Eſt enim *c d b* = CDB & *b c d* = BCD (*per conſtruct.* & §. 167). Ergo *d c* : *c b* = DC : CB (§. 267). Similiter cum ſit *a c d* = ACD & *adc* = ADC (*per conſtruct.* & §. 167), erit *dc* : *ac* = DC : AC, adeoque *bc* : *ac* = BC : AC (§. 196 *Arithm.*), conſequenter ob *acb* = ACB (*per conſtruct.* & §. 167) *ac* : *ab* = AC : AB (§. 183) & ob *dc* : *ac* = DC : AC *per demonſtr.* *dc* : *ab* = DC : AB (§. 197 *Arithm.*). *Q. e. d.*

Aliter.

Tab. IV. Fig. 80.

1. Electis duabus ſtationibus C & D inveſtigetur quantitas angulorum *y* & *x*, item *z* & *w* (§. 152), quorum ſummæ dant angulos C & D (§. 86 *Arithm.*).
2. Quæratur porro diſtantia ſtationum CD (§. 126) &
3. Ducatur in charta linea recta, in quam ex ſcala Geometrica transferatur recta *cd* ipſi CD reſpondens (§. 279).
4. Super ea ope angulorum *x* & D conſtruatur triangulum *b c d* & ope angulorum *z* & C alterum *a c d* (§. 264).
5. Tandem in ſcala Geometrica inveſtigetur diſtantia punctorum *a* & *b* (§. 279).

Dico eſſe *ab* : *cd* AB : CD.

DEMONSTRATIO.

Eadem eſt cum proxime præcedente.

SCHO-

SCHOLION I.

282. *Levi attentione patet, non absimili methodo ex duabus stationibus reperiri distantias plurium locorum.*

SCHOLION II.

Tab. IV. Fig. 81. 283. *Nec minus manifestum est, mensulæ situm in istiusmodi operationibus horizontalem esse debere: id quod obtinetur ope perpendiculi. Q.*

PROBLEMA XXVII.

284. *Altitudinem accessam* AB *metiri.*

RESOLUTIO.

Tab. V. Fig. 82. 1. Baculus DE tantæ longitudinis sumatur, ut terræ perpendiculariter infixus altitudinem oculi adæquet.

2. Humi prostratus baculum ad calces pedum perpendiculariter terræ infigi cura (§. 121).

3. Quodsi contingat, ut E & B sint cum oculo C in eadem recta; erit CA=AB; sin punctum inferius F cum E & oculo in eadem recta fuerit, propius cum baculo ad altitudinem AB provolvaris opus est; sin punctum superius, procul recedendum, donec prædicta conditio adimpleatur.

4. Tandem distantiam oculi C ab altitudine AB metiaris necesse est (§. 126).

Dico esse CA=AB.

DEMONSTRATIO.

Quoniam enim AB (§. 227) & ED *per construct.* ad AC perpendiculares; inter se parallelæ sunt (§. 256), adeoque CD : DE = CA : AB (§. 268). Sed CD=DE, *per hypoth.* Ergo CA=AB (§. 149 *Arithm.*). *Q. e. d.*

Aliter.

1. In distantia plurium e. gr. 30, 40 & amplius pedum defigatur perpendiculariter baculus DE & aliquo hinc intervallo in C alius minor, ita ut cum oculo in F constituto E & B sint in eadem recta. Tab. V. Fig. 83.

2. Investigetur distantia baculorum GF & baculi minoris ab altitudine quæsita HF, itemque differentia altitudinum baculorum GE (§. 126).

3. Quæratur ad GF, GE & HF quarta proportionalis BH (§. 302 *Arithm.*).

4. Huic addatur altitudo baculi minoris FC vel pars AH.

Dico summam esse altitudinem AB.

E. gr. Sit HF=48′, GF=20′, GE=16′, FC=5″.

20—16—48		5)	192 ($38\frac{2}{5}$=BH
5, 4	4		15	5=FC
	192		42	$43\frac{2}{5}$=AB
			40	
			2	

DEMONSTRATIO.

Cum HF ipsi AC parallela supponatur, sintque BA (§. 227) & ED *per construct.* ad AC perpendiculares; erunt eædem perpendiculares ad HF (§. 230) adeoque GE & BH parallelæ (§. 256), consequenter GF : GE = HF : AB (§. 268). *Quod erat unum.*

Porro cum HA & FC sint perpendiculares inter easdem parallelas HF &

& AC (*per conſtr.* & §. 227); erit FC $=$HA (§. 226). Quare BH$+$FC$=$ BH$+$HA (§. 88 *Arithm.*). $=$BA (§. 86 *Arithm.*). *Q. e. d.*

Aliter.

Tab. V. Fig. 84. 1. Menſula in D verticaliter erigatur, ita ut latus ipſius FE ſit horizonti parallelum: id quod obtinetur ope perpendiculi Q.

Tab. IV. Fig. 81. 2. Ducatur recta *e f* lateri menſulæ parallela, & regula cum dioptris ad hanc applicata vertamur menſula, donec collineatio in altitudinem quæſitam fiat.

3. Circa punctum *e* vertatur regula, donec oculo per dioptras tranſpicienti apex altitudinis A occurrat, ducaturque recta *e b*.

4. Quæratur diſtantia ſtationis ab altitudine *e* C (§. 126) &

5. Ex Scala Geometrica minore transferatur ex *e* in *c* (§. 279):

6. Ex *c* erigatur perpendiculum *bc* (§. 212), quod

7. Ad Scalam Geometricam applicatum (§. 279) partem altitudinis AC manifeſtat.

8. Addatur altitudo BC.

Dico, ſummam eſſe altitudinem AB.

DEMONSTRATIO.

Quoniam AC perpendicularis ad BD (§. 227) & C*e* ipſi BD parallela *per conſtr.* erit eadem AC perpendicularis, ad CE (§. 230). Sed ad eandem etiam *b c* perpendicularis, *per conſtr.* Ergo *b c* ipſi AC parallela (§. 256), conſequenter *e c* : *c b*$=$EC : CA (§. 268).

Aliter.

1. Inveſtigetur quantitas anguli *e* (§. 152) & diſtantia ſtationis *e* C (§. 126).

2. Super *e c* in Scala Geometrica minore aſſumta (§. 279) conſtruatur triangulum ad *c* rectangulum *c b e* (§. 264).

3. Reliqua fiant ut ante.

DEMONSTRATIO.

Eſt enim *c*$=$C & *e*$=$E, *per conſtr.* Ergo *e c* : *c b*$=$ EC : CB (§. 267). *Q. e. d.*

SCHOLION.

285. *In omnibus iſtis reſolutionibus ſupponitur planities perfecte horizontalis: quæ cum rariſſime in praxi occurrat, ſi notabilis fuerit declivitas, non tam inſtrumenti altitudo, quam ipſa CB addenda, in altitudine acceſſa facile inveſtiganda. Neceſſe etiam eſt, ut baculi, quantum fieri poteſt, exactiſſime ad horizontem perpendiculariter infigantur & in inſtrumentis præſcripta ratione collocandis cura maxima adhibeatur: immo altitudo BC eodem modo inveſtigari poteſt, quo ipſam AC invenimus.*

PROBLEMA XXVIII.

286. *Altitudinem inacceſſam AB metiri.* Tab. V. Fig. 83.

RESOLUTIO.

Sine inſtrumentis prolixa eſt operatio. Nimirum

1. Diſtantia ſtationis CA vel FH quæritur per problema 25 (§. 280).

2. Reliqua fiunt, ut in problemate præcedente (§. 284).

Aliter.

1. Statione in D electa menſula collocetur ut in problemate præcedente (§. 234). Tab. V. Fig. 85. n. 1.

2.

2. Ducantur ut ibidem rectæ *cf* & *af*.
3. Baculi in G defixi, ut sit in recta *f*C, quæratur distantia a puncto *f* (§. 126) &
4. Ex scala Geometrica transferatur in *fe* (§. 279).
5. Sub puncto *f* in D defigatur baculus & mensula ita collocetur in G, ut punctum *e* ipsi G immineat & per dioptras regulæ ad *ef* applicatæ respicienti baculus in D occurrat.
6. Vertatur regula circa punctum *e*, donec per dioptras prospiciens apicem A videat, ducaturque recta *ea*.
7. Ex puncto *a* demittatur *ac* ad *fc* perpendicularis (§. 216): quæ
8. Ad Scalam Geometricam (§. 279) applicata prodit altitudinem AC.
9. Quodsi puncta B, E, D fuerint in eadem recta, addatur altitudo puncti *f* ut habeatur AB; sin minus, regula circa *e* vertatur, donec per dioptras despiciens videat B, ducatur *eb*, perpendiculum *ac* continuetur, donec ipsi *eb* in *b* occurrat. Etenim *ab* in Scalam Geometricam translata manifestabit AB. Tab. V. *Fig.* 85. n. 2.

DEMONSTRATIO.

In ΔΔ enim *fea* & F*e*A est angulus *afe* = AFC & *aef*=A*e*F *per construct.* Ergo *fe*: *ea*=F*e*: *e*A (§. 267). Porro AC & *ac* perpendiculares ad FC (per §. 227 & *constr.*) adeoque inter se parallelæ (§. 256). Quare *ac*: *ac*=A*c*: AC (§. 268), consequenter *fe*: *ac*=F*e*: AC (§. 194 *Arithm.*). *Quod erat unum.*

Quoniam *ab* parallela ipsi AB *per demonstrata*: erit *ae*: *ab*=A*e*: AB (§. 268), consequenter *fe*: *ab*=F*e*: AB (*per demonst.* & §. 194 *Arithm.*). *Quod erat alterum.*

Aliter.

1. Investigetur quantitas anguli AFC in D & anguli A*e*C in G, itemque C*e*B in eadem statione G (§. 152). Tab. V. *Fig.* 85.
2. Quæratur distantia F*e* (§. 126).
3. Construatur ex his datis juxta Scalam modicam triangulum *aef* (§. 279).
4. Demittatur ex vertice *a* in basin continuatam perpendicularis *ac* (§. 216) indefinite producenda.
5. Fiat angulus *ceb* ipsi C*e*B æqualis (§. 208) & producatur crus *eb*, donec perpendiculari *ab* in *b* occurrat (§. 21).

Dico esse *fc*: *ab*=FC: AB.

DEMONSTRATIO.

Coincidit cum præcedente.

CAPUT IV.

De Circuli Symptomatis.

THEOREMA LIII.

Tab. I. Fig. 5. 287. *Circuli se intus tangentes sunt eccentrici.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam circulus unus alterum intus tangit, *per hypoth.* ille totus intra hujus peripheriam continetur (§. 47). Quare si ex centro ejus C ducatur in peripheriam majoris recta CN (§. 121); ea peripheriam minoris in M secabit (§. 50), eritque adeo radius minoris CM pars ipsius CN (§. 9 *Arithm.*). Quodsi jam C ponatur centrum commune circulorum; erit CL=CM & CL=CN (§. 40), adeoque CM=CN (§. 87 *Arithm.*), quod cum sit absurdum (*per demonstr.* & §.84 *Arithm.*); circuli idem centrum habere nequeunt. Sunt ergo eccentrici (§.44). *Q. e. d.*

THEOREMA LIV.

Tab.V. Fig.86. 288. *Duo circuli se mutuo secantes sunt eccentrici.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam circulus X alterum Z secat, *per hypoth.* pars illius intra hunc cadit (§. 53). Ducatur itaque ex C centro circuli X radius CB, qui continuatus ad peripheriam circuli Z secabit peripheriam illius in E (§. 50) eritque CB pars ipsius CE (§. 9 *Arithm.*). Quodsi C ponatur centrum etiam circuli Z; erit CB=AC & CE=AC (§. 40), adeoque CB=CE (§. 87 *Arith.*). Quod cum sit absurdum (*per demonstr.* & §. 84 *Arithm.*); circuli X & Z idem centrum habere nequeunt. Sunt ergo eccentrici (§.44). *Q. e. d.*

THEOREMA LV.

289. *In eodem vel in æqualibus circulis chordæ æquales AB & DE æquales arcus subtendunt: & contra.* Tab.V. Fig.87.

DEMONSTRATIO.

Quoniam AB=DE *per hypoth.* BC=CE & AC=CD (§. 40); angulus ACB=DCE (§.204), consequenter arcus AB & DE, mensuræ angulorum ACB & DCE (§. 57), æquales sunt (§.142). *Quod erat primum.*

Arcus AB & DE æquales sunt *per hypoth.* Sunt vero etiam iidem mensuræ angulorum ACB & DCE (§. 57): anguli igitur isti æquales sunt (§. 142). Quoniam porro BC=CE & AC=CD (§. 40); erit quoque AB=DE (§. 179). *Quod erat alterum.*

THEOREMA LVI.

290. *Si in circulis inæqualibus arcus AB & ab fuerint similes, chordæ cognomines ad suos radios AC & ac eandem rationem habent.* Tab.V. Fig.87.

DEMONSTRATIO.

Quoniam arcus AB & *ab* similes sunt, *per hypoth.* iidemque mensuræ angulorum ACB & *acb* (§. 57); erit ACB=*acb* §. 142). Est vro AC:BC=*ac*:*bc* (§.40 *Geom.* & §.149 *Arithm.*). Ergo AB:BC=*ab*:*bc* (§.183). *Q. e. d.*

THEO-

THEOREMA LVII.

Tab.V. Fig.88. 291. *Radius CE, chordam BA bifariam secans in D, etiam arcum bifariam secat in E & ad chordam BA perpendicularis: & contra.*

DEMONSTRATIO.

AD=DB, *per hypoth.* AC=CB (§. 40) & DC=DC. Ergo $o=x$ & $y=u$ (§. 204), consequenter CE ad AB perpendicularis in D (§. 79) & arcus AE atque EB, æqualium angulorum u & y mensuræ (§. 57), æquales sunt (§. 142): *Quod erat primum.*

Sint arcus AE & EB æquales *per hypoth.* cum iidem sint mensuræ angulorum u & y (§. 57); erit $y=u$ (§. 142). Est vero etiam AC=CB (§. 40) & DC=DC. Ergo AD=DB & $o=x$ (§. 179), consequenter CD ad AB perpendicularis (§. 79). *Quod erat secundum.*

Sit denique radius CE perpendicularis ad chordam AB in D *per hypoth.* erit $o=x$ (§. 79). Est vero etiam AC=CB (§. 40) & hinc $m=n$ (§. 184), consequenter $y=u$ (§. 246). Quare arcus AE & EB, æqualium angulorum u & y mensuræ (§. 57), æquales sunt (§. 142) & AD=DB (§. 251.) *Quod erat tertium.*

THEOREMA LVIII.

Tab.V. Fig.88. 292. *Si recta NE chordam AB bifariam secet & ad eam perpendicularis fuerit; per centrum transit & tam arcum AEB, quam ANB bifariam secat.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam ND perpendicularis ad AB, *per hypoth.* erit $o=x$ (§. 79). Est vero etiam AD=DB *per hypoth.* & ND=ND. Ergo AN=NB (§. 179), consequenter arcus cognomines æquales sunt (§. 289). Eodem modo ostenditur, arcus AE & EB æquales esse. *Quod erat unum.*

Arcus AN=NB & AE=EB, *per demonstr.* Ergo NA+AE = NB+BE (§. 88 *Arithm.*) consequenter NE diameter circuli (§. 135), adeoque per centrum transit (§. 39). *Quod erat alterum.*

PROBLEMA XXIX.

293. *Datum arcum AB in duas partes æquales dividere.*

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

Ducatur ad punctum medium E chordæ AB perpendicularis NE (§. 210), hæc arcum AB bifariam secabit (§. 292). *Q. e. f. & d.* Tab.V. Fig.88.

PROBLEMA XXX.

294. *Per data tria puncta non in directum jacentia A, B & C circulum describere.* Tab.V. Fig.89.

RESOLUTIO.

1. Ex A & C fiant intersectiones in D & E, itemque aliæ duæ G & H ex C & B.
2. Ducantur rectæ DE & HG (§. 121). Dico I esse centrum circuli per A, C & B describendi (§. 131).

DEMONSTRATIO.

Puncta A, C & B sunt in peripheria alicujus circuli, *per hypoth.* atque adeo rectæ AC & CB chordæ (§. 38). Sed ED ad AC, GH ad BC perpendicularis & ED ipsam AC, GH vero

BC bifariam secat (§. 210). Ergo utraque per centrum transit (§. 292). Quare cum DE & GH tantum in I se mutuo secent (§. 250); erit I centrum circuli per puncta data A, C & B transeuntis. *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

295. Assumtis in peripheria vel arcu circuli tribus punctis, centrum inveniri datusque arcus perfici potest.

COROLLARIUM II.

296. Si tria puncta unius peripheriæ tribus punctis alterius congruant; peripheriæ totæ congruunt: atque adeo circuli æquales sunt (§. 161).

COROLLARIUM III.

297. Omne triangulum est circulo inscriptibile (§. 116).

THEOREMA LIX.

Tab.V. Fig.87. 298. *In eodem vel æqualibus circulis chordæ æquales AB & DE a centro C æqualiter distant: & contra.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam FC & CG sunt distantiæ chordarum AB & DE a centro C, *per hypoth.* erunt ad chordas perpendiculares (§. 225): & hinc *o* & *x* recti (§. 78), adeoque æquales (§. 145). Porro cum AB=DE *per hypoth.* & CF ad AB perpendicularis, *per demonstrata*, ipsam AB; CG vero perpendicularis ad DE, *per demonstrata*, ipsam DE bisecet (§. 291); erit FA=DG (§. 177 *Arithm.*). Quare cum etiam sit AC=CD (§. 40); erit CF=CG (§. 235). *Quod erat unum.*

Quodsi distantiæ FC & CG fuerint æquales, *per hypoth.* cum sit $o=x$ *per demonstr.* & AC=CD (§. 40); erit AF=DG (§. 235). Sed AF=$\frac{1}{2}$AB & DG=$\frac{1}{2}$DE (§. 291). Ergo AB=DE (§. 177 *Arithm.*). *Quod erat alterum.*

THEOREMA LX.

299. *Chordarum maxima est diameter AB.* Tab. I. Fig. 7.

DEMONSTRATIO.

Est enim CO=BC & CN=CA (§. 40). Sed CO+CN > ON (§. 190). Ergo BC+CA, hoc est, BA > ON (§. 89 *Arithm.*). *Q. e. d.*

THEOREMA LXI.

300. *Si intra triangulum ACB supra ejusdem basi AB construatur triangulum ADB; erunt crura interioris AD & DB simul sumta minora cruribus exterioris AC & CB simul sumtis; angulus vero ad verticem interioris D major angulo ad verticem exterioris C.* Tab.V. Fig.90.

DEMONSTRATIO.

Quia AE < AC+CE (§. 190); AE+EB < AC+CE+EB (§. 90. *Arithm.*), hoc est, AD+DE+EB < AC+CB (§. 86. 89 *Arithm.*). Sed DB < DE+EB (§. 190). Ergo multo magis AD+DB < AC+CB. *Quod erat unum.*

Quoniam $o > x$ & $u > m$ (§. 188); erit $o+u > x+m$ (§. 90 *Arithm.*) *Quod erat alterum.*

THEOREMA LXII.

301. *Chorda arcus majoris AB major est, chorda minoris AD minor.* Tab.V. Fig.91.

DEMONSTRATIO.

EB+EC > BC (§. 190), hoc est, quia DE+EC=BC (§. 40), EB

+EC

+EC $>$ DE+EC (§. 89. *Arithm.*) consequenter EB $>$ DE (§. 92. *Arithm.*). Est vero AE+DE $>$ DA (§. 190.). Ergo multo magis AE+EB $>$ DA, hoc est, AB $>$ DA (§. 86. 89. *Arithm.*) *Q. e. d.*

THEOREMA LXIII.

Tab. I. Fig. 7. 302. *Secantium MA, MN, ME ex eodem puncto M ductarum maxima est MA, quæ per centrum transit; reliquæ sunt tanto minores, quo a centro remotiores. Contra earundem portiones extra circulum MD, MO, MB sunt tanto majores, quo magis a centro distant; minima est MB secantis MA per centrum transeuntis.*

DEMONSTRATIO.

1. NC+MC $>$ MN (§. 190). Sed NC=CA (§. 40). Ergo CA+CM= NC+MC (§. 88 *Arithm.*) = MA (§. 86. *Arithm.*), $>$ MN (§. 89. *Arithm*). *Quod erat primum.*

2. MO+EO $>$ ME (§. 190). Sed ON $>$ EO (§. 286). Ergo multo magis MO+ON, hoc est, MN (§. 86 *Arithm.*) $>$ ME. *Quod erat secundum.*

3. CO+OM $>$ MC (§. 190). Sed CO=CB (§. 40). Ergo OM $>$ MB (§. 90 *Arithm.*). *Quod erat tertium.*

4. CD+DM $>$ CO+OM (§. 300). Sed CD=CO (§. 40). Ergo DM $>$ OM (§. 90 *Arithm.*). *Quod erat quartum.*

THEOREMA LXIV.

Tab. V. Fig. 92. 303. *Si ex puncto E intra circulum assumto ducantur in peripheriam rectæ EF, EB, EG &c. item EA, ED, EH &c. maxima erit EF, quæ per centrum C transit, reliquæ EB, EG &c. tanto majores, quo maximæ propiores. Contra minima est EA, quæ continuata per centrum transit: reliquæ ED, EH &c. sunt tanto majores, quo ab ea remotiores.*

DEMONSTRATIO.

1. EC+BC $>$ EB (§. 190). Sed BC =FC (§. 40). Ergo EC+BC=EC+FC (§. 88 *Arithm.*) hoc est, EF (§. 86 *Arithm.*) $>$ EB (§. 89 *Arithm.*). *Quod erat primum.*

2. EI+GI $>$ GE & IB+IC $>$ BC (§. 190), hoc est, ob BC= GI+IC (§. 40), IB+IC $>$ GI+IC (§. 89 *Arithm.*), adeoque IB $>$ GI (§. 92 *Arithm.*). Quare EI+IB $>$ EI+GI (§. 90 *Arithm.*) adeoque EI+IB, hoc est, EB (§. 86 *Arithm.*) $>$ GE. *Quod erat alterum.*

3. EC+ED $>$ DC (§. 190), Sed CD= EC+EA (§. 40). Ergo EC+ED $>$ EC+EA (§. 89 *Arithm*), consequenter ED $>$ EA (§. 92. *Arithm.*). *Quod erat tertium.*

4. EK+KD $>$ ED & KH+KC $>$ CH (§. 190), hoc est, ob CH=CK+KD (§. 40), KH+KC $>$ KC+KD (§. 98 *Arithm.*), adeoque KH $>$ KD (§. 92 *Arith.*). Quare EK+KH $>$ EK+KD (§. 90 *Arithm.*), adeoque EK+KH, hoc est, EH (§. 86 *Arithm.*), $>$ ED. *Quod erat quartum.*

THEOREMA LXV.

304. *Recta IL radio CL perpendiculariter,*

lariter insistens tangit circulum in unico puncto L: nec inter tangentem HL & circulum alia recta duci potest.

DEMONSTRATIO.

Tab. I. Fig. 3. Ducatur enim quælibet alia CK (§. 121). Quoniam IL perpendicularis ad CL *per hypoth.* adeoque L est rectus (§. 78); K erit acutus (§. 218). Ergo CK > CL (§. 220), consequenter quodlibet punctum K a L diversum, hoc est tota linea LI seu HI extra circulum cadit (§. 40), & ideo circulum tangit in unico puncto L (§. 47). *Quod erat unum.*

Ducatur deinde, si fieri potest, inter tangentem HL & circulum recta ML. Demittatur in eam ex centro C perpendicularis CD (§. 216); erit D rectus (§. 78) adeoque CL > CD (§. 220). Cadit itaque D intra circulum (§. 40): quod cum hypothesi repugnet (§. 47), inter tangentem & circulum per contactum transiens recta alia duci nequit. *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM I.

305. Angulus igitur contactus, tangente HL & arcu ML interceptus, est quovis rectilineo minor: angulus vero semicirculi, inter radium CL & arcum ML interceptus, est quovis rectilineo acuto major.

SCHOLION.

306. *Hoc paradoxum* Euclidis *exercuit Mathematicorum ingenia. Agitata est de eo controversia inter* Jacobum Peletarium *Cenomani in Gallia Matheseos Professorem &* Christophorum Clavium *Jesuitam Bambergensem: quorum* (a) *hic angulum contactus rectilineo heterogeneum* (§. 30 Arithm.) *agnovit, quemadmodum linea est superficiei heterogenea; ille vero e numero angulorum sustulit & pro non quanto declaravit. Peculiarem de angulo contactus & semicirculi Tractatum A. 1656. conscripsit* Wallisius, *qui legitur Operum Vol. II. f. 605 & seqq. ubi, cum* Peletario, *angulum contactus omni assignabili minorem adeoque nullius magnitudinis esse defendit.*

(a) In Schol. ad 16. Elem. III. f. 117. & seqq. Tom. I. Oper.

COROLLARIUM II.

307. Circulum in eodem puncto L nonnisi unica recta HI tangere potest.

THEOREMA LXVI.

308. *Omnis recta HI circulum tangens radio CL ad punctum contactus ducto perpendicularis est.*

DEMONSTRATIO.

Ponamus IL non esse ipsi CL perpendicularem. Ergo ex C duci poterit KC ad HI perpendicularis (§. 216.) hæcque utpote tangens *per hypoth.* extra circulum cadet (§. 47), consequenter CK > CN (§. 84 *Arithm.*) > CL (§. 40 *Geom.* & §. 89 *Arithm.*). Est vero etiam CK < CL (§. 220): quod cum sit absurdum, tangens IL radio CL ad contactum perpendicularis. *Q. e. d.* Tab. I. Fig. 3.

COROLLARIUM I.

309. Tangens IL efficit cum radio CL in puncto contactus rectum (§. 78).

COROLLARIUM II.

310. Si HI circulum tangit & ex centro C ad eam perpendicularis CL demittatur (§. 216), punctum contactus L determinatur.

PROBLEMA XXXI.

311. *Ducere rectam HI circulum in dato puncto L tangentem.* Tab. I. Fig. 3.

RE-

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

1. Ex centro circuli C ad punctum contractus L ducatur radius CL.
2. In L excitetur perpendicularis LH (§. 249), quæ circulum in L tanget (§. 308). *Q. e. f. & d.*

THEOREMA LXVII.

Tab. V. Fig. 91. 312. *Arcus FG & HI inter chordas parallelas intercepti sunt æquales.*

DEMONSTRATIO.

Demittatur CK ex centro C perpendicularis ad FH (§. 216): erit eadem perpendicularis ad GI (§. 230), ob FH & GI *per hypoth.* parallelas; dividetque adeo tam arcum FKH, quam GKI bifariam in K (§. 291). Quare KF — KG = KH — KI, hoc est, FG = HI (§. 91 *Arithm.*). *Q. e. d.*

THEOREMA LXVIII.

Tab. I. Fig. 13. 313. *Angulus ad centrum ACD est duplus anguli ad peripheriam ABD, eidem arcui AD insistentis.*

DEMONSTRATIO.

I. Ducatur EF per centrum C ipsi BD parallela (§. 258), erit EB = DF (§. 312), adeoque $o = x$ (§. 142). Sed $o = y$ (§. 156). Ergo $x = y$ (§. 87 *Arithm.*) $= \frac{1}{2}$ ACD. Porro $o = u$ (§. 233). Ergo $u = y = \frac{1}{2}$ ACD (§. 87 *Arithm.*). *Quod erat primum.*

Tab. V. Fig. 93. II. In casu altero $o = 2y$ & $u = 2x$ *per cas.* 1. Ergo $u + o = 2x + 2y$ (§. 88 *Arithm.*) hoc est, ABD $= \frac{1}{2}$ ACD (§. 94 *Arithm.*). *Quod erat secundum.*

Fig. 94. III. In casu tertio $o + u = 2y + 2x$ *per cas.* 1. & $o = 2y$ *per cas.* 1. Ergo $u = 2x$ (§. 91 *Arithm.*) hoc est, $\frac{1}{2}$ ACD = ABD (§. 94 *Arithm.*). *Quod erat tertium.*

THEOREMA LXIX.

314. *Anguli ad peripheriam ABD mensura est arcus dimidius AD, cui insistit.* Tab. I. Fig. 13.

DEMONSTRATIO.

I. Sit ABD angulus in majore segmento: insistet ergo arcui minori AD quam semicirculo (§. 70. 56), adeoque ipsi respondet angulus ad centrum ACD (§. 72. 135). Sed anguli ACD mensura est arcus AD (§. 73). Ergo ipsius ABD mensura dimidius arcus AD (§. 313. 142). *Quod erat unum.*

II. Sit ACB angulus in semicirculo. Ducatur utcunque recta CD: erit arcus dimidius AD mensura anguli ACD & $\frac{1}{2}$ DB mensura ipsius DCB *per cas.* 1. Ergo $\frac{1}{2}$ ADB mensura anguli ACB. *Quod erat secundum.* Tab. V. Fig. 95.

III. Sit denique HIK angulus in minore segmento. Ducatur utcunque recta IL: erit ut ante $\frac{1}{2}$ HL mensura anguli HIL & $\frac{1}{2}$ LK mensura anguli LIK *per cas.* 1. Ergo denuo $\frac{1}{2}$ HLK mensura anguli HIK. *Quod erat tertium.* Tab. V. Fig. 96.

COROLLARIUM I.

315. Duo vel plures anguli HLI & HMI eidem arcui HI vel æqualibus arcubus insistentes æquales sunt (§. 142). Tab. I. Fig. 14.

COROLLARIUM II.

316. Quare cum porro sit $o = x + u$ (§. 239); erit anguli extra centrum mensura dimidium arcuum HI & LM, quibus ipse & ejus verticalis K insistunt (§. 314). Tab. I. Fig. 14.

COROL-

COROLLARIUM III.

Tab.V. Fig.95. 317. Cum angulus in semicirculo ACB semicirculo insistat *per hypoth.* mensura ejus est circuli quadrans (§. 314), adeoque ipse rectus est (§. 143).

COROLLARIUM IV.

Tab.V. Fig.96. 318. Cum angulus in majore segmento DIF arcui minori DF, quam est semicirculus, insistat (§. 70); mensura ejus est semiquadrante minor (§. 314), adeoque ipse recto minor (§. 143), consequenter acutus §. 66).

COROLLARIUM V.

Tab.V. Fig.96. 319. Non absimili ratione liquet, angulum in minore segmento HIK esse obtusum.

COROLLARIUM VI.

Tab. VI. Fig.97. 320. Quoniam $o = x + y$ (§. 239) & anguli o mensura est $\frac{1}{2}$ LM, anguli y vero $\frac{1}{2}$ NO (§. 314); anguli extra peripheriam G mensura est differentia inter dimidium arcum concavum LM, cui insistit, & dimidium convexum NO inter crura interceptum.

PROBLEMA XXXII.

Tab. VI. Fig.98. 321. *Normam examinare, utrum exacta sit nec ne.*

RESOLUTIO.

1. Describatur intervallo arbitrario semicirculus AEF &
2. Ducantur in eo ex diametri utroque extremo A & F ad punctum E in peripheria arbitrario assumtum rectæ AE & FE.
3. Cruribus anguli AEF ita applicetur norma, ut ejus vertex super E cadat. Hoc enim si fieri potest; erit norma exacta.

DEMONSTRATIO.

Tum enim angulus normæ LEM æqualis est angulo AEF (§. 167), adeoque rectus (§. 317), consequenter norma exacta (§. 212). *Q. e. d.*

THEOREMA LXX.

Tab. VI. Fig.99. 322. *Mensura anguli minoris segmenti ATB est dimidium arcus TDB; anguli vero majoris segmenti BTH dimidium arcus majoris BGT.*

DEMONSTRATIO.

Ducatur ex puncto contactus T diameter TE; erit ATE rectus (§. 308). Cum adeo ejus mensura sit arcus dimidius EBT (§. 135. 143), anguli vero BTE dimidius arcus EB (§. 314); erit anguli ATB mensura dimidius arcus BDT *Quod erat unum.*

Eodem modo patet, cum dimidius semicirculus EGT sit mensura anguli ETH (§. 135. 143) & dimidius arcus EB mensura anguli BTE (§. 314), esse dimidium arcum BGT mensuram anguli BTH. *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM I.

323. Cum anguli G mensura etiam sit dimidius arcus BDT, ipsius D vero arcus dimidius BGT (§. 314); angulus in majore segmento G æqualis est angulo minoris segmenti ATB & angulus in minore segmento D æqualis est angulo majoris segmenti BTH (§. 142).

COROLLARIUM II.

324. Si chorda GT ultra circulum continuetur in F; erit anguli BTF mensura semisumma arcuum TB & TG a chordis cognominibus subtensorum. Nam A T F = GTH (§. 156). Ergo ejus mensura dimidius arcus TG (§. 322). Est vero anguli ATB mensura arcus dimidius TB (§. *cit.*). Quare semisumma eorundem arcuum est mensura anguli BTF.

COROL-

COROLLARIUM III.

Tab. VI. *Fig.* 100. 325. Si LM & MN sint tangentes ex eodem puncto ductæ; erit angulorum MLN & MNL mensura arcus dimidius LN (§. 322), consequenter anguli ipsi sunt æquales (§. 142) & ideo LM = MN (§. 253).

COROLLARIUM IV.

326. Quia angulorum L, M & N mensura est semicirculus (§. 140. 243), angulorum vero L & N junctim sumtorum arcus LN (§. 322); erit anguli M a duabus tangentibus LM & NM intercepti mensura differentia arcus intercepti LN a semicirculo.

PROBLEMA XXXIII.

Tab. VI. *Fig.* 101. 327. *Inter duas lineas AB & BE mediam proportionalem BD invenire.*

RESOLUTIO.

1. Jungantur lineæ datæ AB & BE in directum, dividaturque AE bifariam in C (§. 210).
2. Ex C intervallo ipsius AC describatur semicirculus ADE (§. 136).
3. Ex B erigatur perpendicularis BD (§. 212).

Dico esse AB : BD = BD : BE.

DEMONSTRATIO.

Quoniam BD perpendicularis ad AE, *per construct.* m & n sunt anguli recti (§. 78). Sed $o+x$ est itidem rectus (§. 317) & y utrique triangulo ABD & ADE communis. Ergo $o=z$ (§. 246), consequenter $y=x$ (§. *cit.*), & tunc AB : BD = BD : BE (§. 267). *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

328. Cum sit AB : BD = BD : BE; ex data sagitta AB & dimidia chorda BD invenitur diameter (§. 302 *Arithm.*). Sit e. gr. AB = 80''', BD = 300'''; erit BE = 1125''', adeoque AB + BE = AE 1205''' seu fere 12'.

COROLLARIUM II.

329. Ex demonstratione una liquet, Δ rectangulum ADE per lineam perpendicularem DB ex angulo recto D in hypothenusam AE demissam resolvi in duo triangula ABD & BDE inter se & toti ADE similia (§. 267).

COROLLARIUM III.

330. Cum adeo etiam sit AB : AD = AD : AE (§. *cit.*); si lineæ fuerint majores, una datarum ex A in B, altera ex A in E transfertur, factisque reliquis ut in resolutione problematis erit AD media proportionalis quæsita.

COROLLARIUM IV.

331. Si ergo AB sit unitas, erit BD radix ipsius BE, aut AD ipsius AE (§. 247. *Arithm.*).

THEOREMA LXXI.

332. *Si duæ chordæ HM & LI se mutuo secent in K; erit HK : LK = KI : KM.* Tab. I. Fig. 14.

DEMONSTRATIO.

Quoniam enim $x=x$ & $u=u$ (§. 315): ideo HK : LK = KI : KM (§. 267). *Q. e. d.*

THEOREMA LXXII.

333. *Si fuerint duæ secantes GL & GM ex eodem puncto G ductæ; erit GM : GL = GN : GO.* Tab. VI. Fig. 97.

DEMONSTRATIO.

Angulus x est utrique triangulo GNO & GLM communis. Anguli GNO mensura est semisumma arcuum NL & NO (§. 324). Sed anguli GML mensura est semisumma eorundem arcuum (§. 314). Quare GNO = GML (§. 142), consequenter GM : GL = GN : GO (§. 267). *Q. e. d.*

THEOREMA LXXIII.

Tab. VI. Fig. 102. 334. *Si ex eodem puncto A ducantur duæ rectæ AD & AB, quarum altera circulum tangit, altera secat; erit tangens AD media proportionalis inter totam secantem AB & ejus portionem extra circulum AC.*

DEMONSTRATIO.

Angulus A est utrique triangulo ACD & ABD communis. Anguli ADC & ABD æquales sunt (§. 323). Ergo AC : AD = AD : AB (§. 267). *Q. e. d.*

CAPUT V.

De Figurarum descriptione.

THEOREMA LXXIV.

Tab. VI. Fig. 103. 335. *In parallelogrammis latera opposita sunt æqualia, & si in figura quadrilatera latera opposita fuerint æqualia, erunt eædem parallelogramma.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam OPQN parallelogrammum *per hypoth.* erit OP parallela ipsi NQ & ON parallela ipsi PQ (§. 102), consequenter ducta diagonali PN erit $x = o$ & $n = m$ (§. 233), adeoque OP = NQ & ON = PQ (§. 251). *Quod erat unum.*

Quodsi OP = NQ & ON = PQ *per hypoth.* cum etiam sit NP = NP; erit $x = o$ & $n = m$ (§. 204). *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM.

336. Cum in Quadrato, Oblongo, Rhombo & Rhomboide latera opposita æqualia sint (§. 98. 99. 100. 101.); erunt Quadratum, Oblongum, Rhombus & Rhomboides parallelogramma (§. 335).

THEOREMA LXXV.

Tab. VI. Fig. 103. 337. *Diagonalis dividit parallelogramma in duas partes æquales, anguli in iis diagonaliter oppositi sunt æquales, anguli vero ad idem latus oppositi duobus rectis æquantur & duo latera simul sumta sunt diagonali majora.*

DEMONSTRATIO.

In Parallelogrammis ON = PQ & PO = QN (§. 335). Sed PN = PN. Ergo Δ NOP = Δ NQP (§. 204). *Quod erat unum.*

Quoniam in parallelogrammis OP ipsi NQ & ON ipsi PQ parallela (§. 103): anguli O & N, N & Q, Q & P, P & O simul sumti æquantur duobus rectis (§. 233). *Quod erat secundum.*

Quoniam angulus O + N = N + Q *per demonstrata*; erit O = Q (§. 91 *Arithm.*). Similiter quoniam Q + P = Q + N *per demonstrata*; erit P = N (§. 91 *Arithm.*). *Quod erat tertium.*

Denique NO + PO > NP & PQ + QN > PN (§. 190). *Quod erat quartum.*

PRO-

Tab. VI. Fig. 104.

PROBLEMA XXXIV.

338. *Super data recta CD quadratum construere.*

RESOLUTIO.

1. In C erigatur perpendicularis AC (§. 249) = CD.
2. Ex D & A intervallo ipsius CD fiat intersectio in B (§. 197).
3. Ducantur AB & DB.

DEMONSTRATIO.

AC = CD = AB = BD, *per constr.* Ducta ergo diagonali AD, patet esse C = B (§. 204). Sed C rectus est *per constr.* Ergo B etiam rectus (§. 145), consequenter o & x, item y & m semirecti (§. 241), adeoque $o+x$ & $x+m$ itidem recti. Quare figura est quadratum (§. 98). *Q. e. d.*

Aliter.

1. In C & D erigantur perpendiculares CA & DB ipsi CD æquales (§. 249).
2. Ducatur recta AB.

DEMONSTRATIO.

Est enim CA = DB = CD, *per constr.* & quoniam AC & BD perpendiculares ad CD *per constr.* anguli ad D & C sunt recti (§. 78) adeoque BA parallela ipsi DC (§. 226), consequenter anguli A & B sunt recti (§. 233) & ob parallelas AC & BD (§. 256) AB = CD (§. 238). Est igitur ABCD Quadratum (§. 98). *Q. e. d.*

PROBLEMA XXXV.

339. *Datis duabus rectis MI & IK rectangulum parallelogrammum seu oblongum construere.*

RESOLUTIO.

1. Jungantur MI & IK ad angulos rectos (§. 249). Tab. VI. Fig. 105.
2. Ex M intervallo ML = IK describatur arcus & ex K intervallo KL = IM alius priorem intersecans in L (§. 197).
3. Ducantur rectæ ML & KL.

DEMONSTRATIO.

MI = KL & ML = IK, *per construct.* Est ergo MIKL parallelogrammum, (§. 335) consequenter I = L, & I + M ac I + K = duobus rectis (§. 337). Sed I est rectus, *per constr.* Ergo & L (§. 145), itemque M & K recti sunt. Est ergo figura constructa oblongum (§. 100). *Q. e. d.*

PROBLEMA XXXVI.

340. *Data recta GH una cum angulo obliquo G rhombum construere.* Tab. VI. Fig. 106.

RESOLUTIO.

1. Ad rectam datam GH constituatur in G angulus dato æqualis (§. 208).
2. Fiat GE = GH & reliqua peragantur ut in probl. 34. (§. 338).

DEMONSTRATIO.

EG = EF = FH = HG, *per construct.* Est ergo EFHG parallelogrammum (§. 335), consequenter G = F & G + H ac G + F = duobus rectis (§. 337). Sed G est angulus obliquus *ex hypothesi:* Ergo & F, consequenter etiam E & H sunt obliqui. Adeoque figura constructa rhombus est (§. 99). *Q. e. d.*

PROBLEMA XXXVII.

Tab. VI. Fig. 103. 341. *Datis duabus rectis ON & OP una cum angulo intercipiendo O rhomboidem construere.*

RESOLUTIO.

1. Jungantur rectæ ON & OP sub angulo dato (§. 208).
2. Reliqua peragantur ut in probl. 35. (§. 339).

DEMONSTRATIO.

Eadem est, quæ problematis præcedentis.

THEOREMA LXXVI.

Tab. VI. Fig. 107. 342. *Si peripheria circuli dividatur in partes quotcunque æquales ducanturque subtensæ AB, BC, CD &c. figura circulo inscripta regularis est.*

DEMONSTRATIO.

Cum enim arcus AB, BC, CD &c. sint æquales, *per hypoth.* etiam chordæ cognomines æquales sunt (§. 289) cumque anguli A, B, C &c. æqualibus arcubus BCDE, CDEA, DEAB &c. insistant, ipsi quoque æquales sunt (§. 315). Figura igitur circulo inscripta regularis est (§. 106). *Q. e. d.*

PROBLEEMA XXXVIII.

343. *Invenire summam omnium angulorum in quocunque polygono.*

RESOLUTIO.

1. Multiplicentur 180° per numerum laterum.
2. A producto subtrahantur 360°: residuum est summa quæsita.

	Pentag.	Hexag.
E. gr.	180	180
	5	6
	900	1080
	360	360
	540	720

DEMONSTRATIO.

Quælibet figura ex assumto in ea puncto F in tot triangula AFB, BFC, CFD &c. resolvitur, quot habet latera AB, BC, CD &c. Si ergo 180° per numerum laterum multiplices, prodit summa omnium angulorum in dictis triangulis (§. 240). Sed anguli circa punctum F, qui non pertinent ad angulos polygoni, semper efficiunt 360° (§. 159). Quodsi ergo a facto supra invento subtrahantur 360°, summa angulorum polygoni relinquitur. *Q. e. d.* Tab. VI. Fig. 108.

Aliter.

Cum numerus triangulorum ABC, CAD & DAE, in quæ resolvitur figura polygona per diagonales AC & AD ex puncto A ductas, a numero laterum AB, BC, CD, DE, EA constanter binario differat; si 180° multiplicentur per numerum laterum binario mulctatum, prodit summa omnium angulorum A, B, C, D & E (§. 240). *Q. e. i. & d.* Tab. VI. Fig. 111.

	Pentag.	Hexag.
E. gr. pro	180	180
	3	4
	540	720

COROLLARIUM I.

344. Quodsi summa inventa per numerum laterum dividatur; quotus est angulus polygoni regularis (§. 106).

SCHOLION.

345. *En tibi tabulam, in qua summa angulorum in figuris rectilineis quibuscunque & quantitas unius in regularibus a trigono usque ad dodecagonum exhibetur (§. 343). Construitur columna secunda continua additione 180; tertia vero numeris in columna per numerum angulorum sive laterum*

terum divisis (*§.* 344). *Utimur hac tabula tum in figuris regularibus describendis; tum in angulorum quantitate examinanda, utrum scilicet instrumento rite explorata fuerit, nec ne: Aberratum enim esse intelligimus, ubi eorum summa minor vel major deprehenditur ea, quæ in tabula definitur, e. gr. si in heptagono superet* 900.

Num. Lat.	Sum. Ang.	Ang. Fig. regul.	Num. Lat.	Sum. Ang.	Ang. Fig. reg.
III	180	60	VIII	1080	135
IV	360	90	IX	1260	140
V	540	108	X	1440	144
VI	720	120	XI	1620	$147\frac{3}{11}$
VII	900	$128\frac{4}{7}$	XII	1800	150

COROLLARIUM II.

Tab. VI. *Fig.* 108. 346. Si latera figuræ polygonæ cujuscunque continuentur, anguli externi 1, 2, 3, 4 &c. cum angulis figuræ internis efficiunt bis tot rectos, quot sunt latera (*§.* 147). Sed interni soli efficiunt bis tot rectos quot sunt latera, demtis quatuor (*§.* 343). Ergo externi in omni casu conficiunt 4 rectos seu 360°.

PROBLEMA XXXIX.

Tab. VI. *Fig.* 107. 347. *Dato polygono regulari cuicunque ABCDE circulum circumscribere.*

RESOLUTIO.

1. Duo ejus anguli E & D dividantur bifariam rectis EF & DF (§. 209) ob angulos FED & FDE duobus rectis minores concursuris in F (§. 262).
2. Ex puncto concursus F describatur radio EF circulus (§. 131).

DEMONSTRATIO.

Quoniam *o* & *u* sunt angulorum polygoni dimidii, *per construct.* erit $o = u$ (*§.* 106 *Geom.* & §. 94. *Arithm.*), consequenter EF = FD (§. 253). Circulus adeo transiens per E transit etiam per D (§. 40). Ducatur jam ex F in A recta FA (§. 121). Quoniam $o = x$, *per constr.* ED = EA (§. 106) & EF = EF; erit AF = FD (§. 179). Ergo circulus transiens per D & E transit etiam per A (§. 40). Porro quia AF = EF, *per demonstr.* erit $m = x$ (§. 184). Sed x dimidius angulus polygoni, *per constr.* Ergo & m (§. 87 *Arithm.*), consequenter etiam y. Quare si ducatur FB (§. 121); erit ut ante FB = FE, adeoque radius circuli. Eodem modo ostenditur FC, & si quæ plures fuerint rectæ istiusmodi, esse radios circuli, adeoque circulum transire per omnes angulos polygoni, hoc est, eidem circumscribi (§. 116). *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

348. Omnis ergo figura regularis est circulo inscriptibilis (*§.* 216).

PROBLEMA XLIX.

349. *Invenire angulum in dato polygono regulari.*

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

Concipiatur polygonum regulare ABCDE circulo inscriptum (§. 348.) Quoniam arcus dimidius BCDE est mensura anguli quæsiti A (§. 314); arcus vero AB, qui ipsius EAB dimidius, habetur, circuli peripheriam per numerum laterum dividendo (*§.* 289); angulus polygoni A relinquitur, si arcum AB a semicirculo subtraxeris. *Q. e. i. & d.*

E. gr. Quæratur angulus pentagoni. Dividatur 360 per 5, quotus 72 est arcus AB, qui ex 180 subductus relinquit 108 angulum pentagoni quæsitum.

THEOREMA LXXVII.

Tab. VI. Fig. 109. 350. *Quadrilateri circulo inscripti GHIK anguli bini oppositi H & K, item G & I conficiunt duos rectos.*

DEMONSTRATIO.

Insistunt enim junctim sumti integro circulo, e. gr. K arcui GHI & H complemento ejus ad circulum GKI (§. 56), adeoque ipsorum mensura est semicirculus (§. 314). Sunt ergo duobus rectis æquales (§. 143). *Q. e. d.*

PROBLEMA XLI.

Tab. VI. Fig.* 351. *Circulo quadratum circumscribere.*

RESOLUTIO.

1. Ducantur diametri AB & DE se mutuo in centro C ad angulos rectos secantes (§. 210).
2. Ex A, E, B, D, intervallo radii, fiant intersectiones in F, G, H, I.
3. Ducantur rectæ FG, GH, IH & IF.

Erit FGHI quadratum circulo circumscriptum.

DEMONSTRATIO.

Anguli ad A, E, B, D sunt recti (§. 338) adeoque FG, GH, HI & IF circulum tangunt (§. 304). Sunt vero anguli G, F, I, H recti (§. 338) & FG = GH = HI = FI = 2 AC *per constr.* Ergo FGIH est quadratum (§. 98) idque circulo circumscriptum (§. 117). *Q. e. d.*

PROBLEMA XLII.

352. *Super data recta ED polygonum regulare quodcunque describere.*

RESOLUTIO.

Tab. VI. Fig. 107.

1. Quæratur angulus polygoni (§. 344. 349).
2. Fiat in E ipsi æqualis (§. 155) & EA = ED.
3. Per puncta A, E, D describatur circuli peripheria (§. 294).
4. In ea applicetur data recta ED, quoties fieri potest.

Ita describetur figura quæsita (§. 342. 348).

Aliter.

1. In E & D fiant anguli dimidio angulo polygoni sigillatim æquales (§. 155), quorum crura EF & DF se mutuo secabunt in F (§. 262).
2. Ex F tanquam centro, radio EF, describatur circulus, qui erit circulus polygono circumscriptus (§. 347).
3. Reliqua absolvantur ut ante.

PROBLEMA XLIII.

353. *Circulo dato polygonum regulare quodcunque inscribere.*

RESOLUTIO.

1. Dividantur 360 per numerum laterum, ut innotescat quantitas anguli EFD (§. 59). Tab. VI. Fig. 107.
2. Construatur is ad centrum (§. 155).
3. Chorda ED ad peripheriam toties applicetur, quoties fieri potest.

Ita figura regularis erit circulo inscripta (§. 342. 117). *Q. e. f. & d.*

SCHOLION.

354. *Resolutio problematis præsentis & præcedentis mechanica quidem est, cum ad constructionem instrumento transportatorio utamur (§. 155): non tamen ideo contem-*

nenda,

nenda, tum quia universalis & facilis, tum quia constructionis rite peractæ indicium præbet. Pentagoni, Decagoni & Quindecagoni constructionem tradunt Euclides (a) & Ptolemæus (b): *de qua in Analysi. Equidem & heptagoni, enneagoni & hendecagoni constructiones Geometricæ passim apud Autores, practicos inprimis, occurrunt: sed a rigore demonstrationum abhorrent.* Joh. Carolus Renaldinus (c) *omnium polygonorum describendorum regulam catholicam præscribit, passim Geometriis practicis insertam: sed quantum fallat,* Cl. Wagnerus, Mathemat. in Academia Helmstad. Professor *ostendit* (d) & *nos inferius in Analysi ostendemus.*

PROBLEMA XLIV.

355. *Polygonum regulare quodcunque circulo circumscribere.*

RESOLUTIO.

Tab. VI. Fig. 107.

1. Inscribatur figura regularis similis circulo dato, v. gr. pentagonum ABCDE, si pentagonum *abcde* circumscribendum (§. 353).
2. Chorda AB bifariam secetur in H per rectam F *h* ad eandem in H normalem (§. 210), quæ arcum cognominem in *h* secat.
3. Per A & B producantur radii FA & FB.
4. Per *h* ducatur ipsi AB parallela radiis continuatis in *a* & *b* occurrens: erit *ab* latus unum polygoni circumscripti.
5. Producantur radii FE, FD, FC, donec fiat F*e* = F*d* = F*c* = F*a* & puncta *a*, *e*, *d*, *c*, *b* connectantur rectis *ae*, *ed*, *dc*, *cb*: erit *abcde* polygonum circulo circumscriptum. *Q. e. f.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam *ab* parallela ipsi AB *per construct.* erit angulus F*ha* = FHA (§. 233). Sed ob FH ad AB perpendicularem *per construct.* FHA rectus est (§. 78). Ergo etiam F*ha* rectus (§. 145), consequenter *ab* circulum in *h* tangit (§. 78. 304). Est vero etiam angulus F*ab* = FAB (§. 233), adeoque dimidius angulus polygoni (§. 347). Porro quoniam AB = AE *per construct.* & FA = FE = FB (§. 40); erit angulus *b*F*a* = *a*F*e* (§. 204). Quare cum etiam sit F*a* = F*e per construct.* &, ob F*ab* = F*ba per demonstrata*, rectos ad *h* & latus F*h* utrique triangulo F*ah* & F*hb* commune, F*b* = F*a* (§. 252); erit *ae* = *ab* & F*ae* = F*ab* (§. 179), consequenter *a* angulus polygoni, e. gr. in nostro casu pentagoni. Eodem modo ostenditur, angulos quoque *e*, *d*, *c*, *b* esse angulos polygoni circumscribendi & *ed* = *dc* = *cb* = *ab*. Quod vero etiam *ae* circulum in *g* tangat, ita demonstratur. Demittatur ex F perpendicularis ad *ae* (§. 216); erit angulus ad *g* rectus (§. 78). Quoniam porro F*ah* = F*ag per demonstrata*, & F*a* = F*a*; erit F*h* = F*g* (§. 252). Quare cum F*h* sit radius circuli *per construct.* erit etiam F*g* radius circuli (§. 40), atque adeo *ae* circulum in *g* tangit.

(a) Elem. 4. prop. 11. 16. & Elem. 13. prop. 10.

(b) Almag. lib. 1. c. 9. f. m. 8. conf. Joannes Regiomontanus in epitome hujus Almag. lib. 1. prop. 1.

(c) Lib. 2 de Resolut. & composit. Mathem. f. 367.

(d) In peculiari Dissertatione Helmstadii 1700 habita.

tangit (§. 304). Idem eodem modo oſtenditur de rectis *ed*, *dc*, *bc*: Polygonum itaque *abcde* circulo eſt circumſcriptum (§. 117). *Q. e. d.*

THEOREMA LXXVIII.

Tab. VI. Fig. 110. 356. *Latus hexagoni AB æquatur radio circuli circumſcripti AC.*

DEMONSTRATIO.

Angulus C=60° (§. 57). Ergo A+B=120° (§. 245), conſequenter ob AC=BC (§. 40) A=B=60° (§. 184). Quare △ ACB æquilaterum (§. 254), conſequenter AB=AC (§. 88). *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

357. Hexagonum regulare circulo inſcribitur, ſi radius ad peripheriam ſexies applicetur.

COROLLARIUM II.

358. Si ſuper linea data AB hexagonum deſcribendum; triangulum æquilaterum ACB conſtruitur (§. 198): eſt enim vertex C centrum circuli hexagono quæſito circumſcribendi (§. 356).

PROBLEMA XLV.

Tab. VI. Fig. 111. 359. *Datis omnibus lateribus figuræ cujuscunque & tot diagonalibus, quot ſunt latera, demtis tribus; figuram conſtruere.*

RESOLUTIO.

Cum figura quælibet ABCDE per diagonales AC & AD in tot triangula BAC, CAD, DAE reſolvatur, quot ſunt latera, demtis tribus; non alia re opus eſt, quam ut unum triangulum ſuper altero excitetur (§. 205).

PROBLEMA XLVI.

Tab. VI. Fig. 112. 360. *Datis omnibus lateribus figuræ & tot angulis, quot ſunt latera, demtis tribus; figuram conſtruere.*

RESOLUTIO.

1. Ducatur recta AB uni datorum laterum æqualis.
2. Ad A & B excitentur anguli eidem adjacentes (§. 155) & latera AE & BC per data debite determinentur.
3. Fiat porro in C angulus conveniens (§. 155) & determinetur latus DC &c.
4. Tandem ex E & D fiat interſectio in F intervallo laterum EF & DF.

Ductis enim DF & EF, figura terminabitur eritque æqualis quæſitæ (§. 161. 177).

Eodem modo conſtrui poſſunt figuræ regulares ex latere & angulo dato (§. 106).

COROLLARIUM.

361. Si omnes anguli præter unum F dentur, duo latera DF & FE ut dentur opus non eſt.

SCHOLION.

362. *Tyrones ut ſe exerceant in figuris irregularibus deſcribendis, lineas pro arbitrio in pedibus ac digitis, quantitates angulorum in gradibus, aſſumere debent. Quodſi contingat figuram non terminari, id indicio erit, caſum eſſe impoſſibilem, adeoque vel in angulorum, vel in linearum quantitate quædam erunt immutanda.*

PROBLEMA XLVII.

363. *Areæ cujuſdam campeſtris rectilineæ* abcde *libere permeabilis Ichnographiam perficere, hoc eſt, figuram areæ campeſtri ſimilem deſcribere.* Tab. VI. Fig. 111.

RESO-

RESOLUTIO.

1. Investigetur longitudo singulorum laterum *ab*, *bc*, *cd*, *de*, *ea*, itemque diagonalium *ac* & *ad* (§. 126).
2. Construatur figura ABCDEA (§. 359) juxta scalam geometricam mi norem (§. 279).

Dico figuram ABCDE esse figuræ campi *abcde* similem.

DEMONSTRATIO.

Est enim AB: BC=*ab*: *bc*, BC: CD =*bc* : *cd*, CD : DE=*cd* : *de* &c. Etenim e. gr. *ab*, 6; & *bc*, 7 pedum in campo existentibus, etiam AB=6 & BC =7 in charta *per constr.* Quare cum porro sit AC : AB =*ac* : *ab*, AC : AD =*ac* : *ad*, AD : AE =*ad* : *ae* &c. *per constr.* erit $o=o$, $x=x$, $y=y$, $n=n$, $m=m$, $r=r$, $u=u$, $s=s$, $t=t$ (§. 207); consequenter $x+m+r=x+m+r$, $y+n=y+n$, $u+s=u+s$ (§. 88 *Arithm.*). Quamobrem figura ABCDE est figuræ campi *abcde* similis (§. 175.). *Q. e. d.*

Aliter.

Tab. VI. *Fig.* 113.

1. Posita mensula ita in uno figuræ angulo ut punctum *a* vertici ejus immineat, per dioptras regulæ affixas collineatio fiat in baculos in singulis angulis B, C, D, E defixos ducanturque lineæ indefinitæ *ab*, *ac*, *ad*, *ae*.
2. Investigetur longitudo rectarum *a*B, *a*C, *a*D, *a*E (§. 126) &
3. Exinde juxta scalam modicam (§. 279) determinentur *ab*, *ac*, *ad*, *ae*.
4. Ducantur *bc*, *cd*, *de*.

Dico *abcde* esse similem figuræ ABCDE.

DEMONSTRATIO.

Quoniam in △△ *abc* & *a*BC angulus *a* communis & *ab* : *ac*=*a*B : *a*C *per constr.* erit angulus *abc*=*a*BC & *acb*=*a*CB, nec non *ab* : *bc* = AB : BC & *ac* : *bc* = AC : BC (§. 237). Similiter quoniam in △△ *acd* & *a*CD angulus *a* communis & *ac* : *ad*=*a*C : *a*D, atque in △△ *dae* & D*a*E angulus *a* itidem communis & *ad* : *ae*=*a*D : *a*E *per construct.* erit angulus *acd*=*a*CD & *adc* =*a*DC, nec non *ac* : *cd*=*a*C : *c*D & *ad* : *cd*=*a*D : *c*D, itemque angulus *ade*=*a*DE & *aed*=*a*ED, nec non *ad* : *de*=*a*D : DE & *ae* : *ed*=*a*E : ED (§. 237). Quoniam itaque $a=a$, $b=$B, $acb+acd=a$CB$+a$CD, h. e. $c=$C, $adc+ade=a$DC$+a$DE, h. e. $d=$D & denique $e=$E *per demonstrata*, figuræ *abcde* & *a*BCDE inter se æquiangulæ sunt (§. 109). Porro cum sit *ac* : *bc* = *a*C : BC & *ac* : *cd*=*a*C : CD *per demonstr.* erit etiam *bc* : *cd*=BC : CD (§. 196 *Arithm.*) & cum sit *ad* : *dc*=*a*D : DC & *ad* : *de*=*a*D : DE *per demonstr.* erit denuo *dc* : *de* = DC : DE. Quamobrem cum quoque sit *ab* : *bc* = *a*B : BC & *ae* : *ed* = *a*E : ED *per demonstrata*; latera æquales angulos comprehendentia proportionalia sunt. Sunt itaque figuræ *abcde* & *a*BCDE similes (§. 175). *Q. e. d.*

Aliter.

1. Mensula intra figuram posita eligatur punctum f, ex quo per dioptras regulæ affixas ut ante collineatio fiat in baculos in A, B, C, D & E Tab. VI. *Fig.* 114

defixos ducanturque rectæ indefinitæ *fa*, *fb*, *fc*, &c.

2. Investigetur longitudo rectarum *f*A, *f*B, *f*C, *f*D, *f*E (§. 126).
3. Inde determinetur longitudo rectarum *fa*, *fb*, *fc* &c. juxta scalam modicam (§. 279).
4. Tandem ducantur *ab*, *bc*, *cd*, &c.

Dico *abcdeg* esse figuræ ABCDEG similem.

D E M O N S T R A T I O.

Angulus *f* utrique △ *fab* & *f*AB communis, estque *fa* : *fb* = *f*A : *f*B *per constr.* Ergo anguli ad *a* & A, item ad *b* & B æquales sunt atque *fa* : *ab* = *f*A : AB (§. 237). Eodem modo ostenditur esse in △△ *fga* & *f*GA angulos ad *a* & A æquales, atque *fa* : *ag* = *f*A : AG, consequenter *ab* : *ag* = AB : AG (§. 196. *Arithm.*) & angulus *bag* = BAG (§. 86. *Arithm.*). Quare cum eadem ratione demonstretur, esse *g* = G, *e* = E, *d* = D, *c* = C, *b* = B & *ag* : *ge* = AG : GE, *ge* : *ed* = GE : ED, *ed* : *dc* = ED : DC, *dc* : *cb* = DC : CB & *cb* : *ba* = CB : BA, figura *abcdeg* est majori ABCDEG similis (§. 175). *Q. e. d.*

Aliter.

Tab. VI. Fig. III.

1. Collocato instrumento Goniometrico in *a* investigetur quantitas angulorum *x*, *m*, *r* (§. 152) & longitudo rectarum *ab*, *ac*, *ad* & *ae* (§. 126).
2. Construantur juxta scalam modicam △△ ABC, ACD & ADE (§. 180).

Dico ABCDE esse similem figuræ *abcde*.

D E M O N S T R A T I O.

Coincidit cum secunda problematis præsentis.

Aliter.

1. Collocato instrumento Goniometrico in *f*, investigetur quantitas angulorum A*f*B, B*f*C, C*f*D, D*f*E, E*f*G, G*f*A, (§. 152) & longitudo rectarum *f*A, *f*B, *f*C, *f*D, *f*E, *f*G (§. 126). Tab. VI. Fig. 114.
2. Construantur ut ante juxta scalam modicam △△ *bfa*, *afg*, *gfe*, *efd*, *dfc* & *cfb* (§. 180).

Dico *abcdeg* esse similem figuræ ABCDEG.

D E M O N S T R A T I O.

Coincidit cum tertia problematis præsentis.

Aliter.

1. Pyxis cum acu magnetica, cujus margo in 360 gradus divisa & quæ in cardine meridiei ac septentrionis dioptris instructa, ita collocetur in *a*, ut ejus centrum ipsi *a* immineat & per dioptras collineanti baculus in *b* defixus occurrat, noteturque angulus declinationis acus a linea meridiana pyxidis ipsi *ab* imminente versus ortum vel occasum. Tab. VI. Fig. III.
2. Pyxidis dioptræ convertantur successive ad baculos in *c*, *d* & *e* defixos, notenturque ut ante in singulis casibus anguli declinationis.
3. Investigetur longitudo rectarum *ab*, *ac*, *ad*, *ae* (§. 126).
4. Ducatur in charta recta LM & assumto in ea puncto A applicetur centrum instrumenti transportatorii

&

& fiant anguli i, x, m, r angulis declinationum, rectarum ab, ac, ad, ae æquales (§. 155) atque ex harum longitudine per scalam modicam determinetur longitudo ipsarum AB, AC, AD, AE, (§.279). Dico figuram ABCDE esse alteri $abcde$ similem.

DEMONSTRATIO.

In campo acus magnetica semper eidem lineæ respondet in plano horizontali imaginario mundi, quod immobile est, etsi diversis in pyxide successive immineat. Lineam istam designet in charta recta LM & punctum A centrum acus, ex quo descriptus est circulus. Quodsi jam linea meridiana pyxidis admovetur lateri AB, erit principium numerationis in g & acus indicabit in f quantitatem anguli i. In instrumento transportatorio initium numerandi fit in f, & si arcus fg declinationi in campo observatæ æqualis assumitur, angulus i idem erit, qui ante, situsque lineæ AB rite determinatur. Arcus enim fg perinde metitur declinationem ipsius AB a linea meridiana, quam monstrat acus, sive numerandi principium in f, sive in g fiat. Eodem modo liquet, arcus fh, fk, fl determinare situm rectarum AC, AD, AE respectu lineæ LM, consequenter anguli x, m, r in figura ABCDE erunt æquales totidem cognominibus in altera $abcde$. His suppositis reliqua demonstrantur ut supra in demonstratione secunda.

Aliter.

Quodsi pyxis cum acu magnetica dioptris non fuerit instructa, sed lignea regula fg ita affixa, ut linea meridiana ejusdem bd, transiens per centrum pyxidis c sit eidem parallela: Tab. XI. *Fig.* 174.

1. Regula fg ad latus figuræ AB applicetur, quo facto AB erit ipsi bd parallela.
2. Notetur gradus, quem indicat acus magneticæ ae circa centrum c libere mobilis cuspis a: dico esse angulum bca ipsi BAL æqualem, si ML ducatur acui magneticæ ae in I productæ parallela.
3. Eodem modo si regula, cui pyxis affixa, applicetur diagonali AE & recta ae designet situm acus, bd autem ipsi AE parallela lineam meridianam pyxidis; erit angulus acb ipsi EAL æqualis. Cetera igitur peraguntur ut ante.

DEMONSTRATIO.

Id tantummodo demonstrari debet, angulum acb esse ipsi BAL & in altero situ pyxidis ipsi EAL æqualem. Quoniam ex resolutione patet, bd esse ipsi BA parallelam, erit angulus IHA ipsi ecd (§. 233), consequenter ejus verticali bca æqualis (§. 156 *Geom.* & §. 87 *Arithm.*). Similiter cum sit ML ipsi Ia parallela, *per construct.* erunt alterni IHA & HAL æquales (§. 233) consequenter HAL $= bca$ (§. 87. *Arithm.*). *Quod erat unum.*

Similiter si pyxis ad diagonalem AE applicatur, cum sit bd ipsi EA parallela *vi solutionis*; erit NKA $= ecd$ (§. 233). Quare cum porro sit $bca = ecd$ (§. 156); erit NKA $= bca$ (§.

(§. 87 *Arithm*). Denique quia acus magnetica pyxide quomodocunque promota ſitum obtinet priori, quem habuerat, parallelum, eſtque adeo Na ipſi Ia parallela; ML vero parallela ipſi Ia *per conſtruct.* erit etiam ML ipſi Na parallela (§. 232), conſequenter NKA = EAL (§. 233), ac ideo EAL = bca (§. 87 *Arith.*). *Quod erat alterum.*

Aliter.

Tab. VII. Fig. 115.

1. Charta ſuper menſula expanſa ex centro o deſcribatur circulus.
2. In eodem defigatur ſtylus, cui inſeratur regula cum dioptris.
3. Collineetur in ſingulos areæ angulos A, B, C &c. notenturque in peripheria circuli puncta diametraliter oppoſita a & a, b & b, c & c &c.

Tab. VII. Fig. 116.

4. Inveſtigetur longitudo rectarum oA, oB; oC &c. (§. 126).
5. Charta a menſula remota alteri mundæ coextendatur in tabula & Parallelismus ad aa applicatus arbitrario intervallo aperiatur, donec in charta munda ipſi parallela AA commode duci poſſit (§. 258.)
6. Idem Parallelismus applicetur ad bb & eo uſque aperiatur, donec recta BB huic parallela ducta alteram AA ipſi aa parallelam in puncto commodo O interſecet.
7. Applicetur porro ſucceſſive ad rectas cc, dd, ee, quæ confuſionis evitandæ gratia in ſchemate non omnes ſunt expreſſæ, & aperiatur uſque ad punctum interſectionis O ipſis aa & bb parallelarum, ducanturque per idem dictis cc, dd, ee parallelæ CC &c.
8. Tandem ex puncto interſectionis O convenienter determinetur longitudo rectarum ipſis oA, oB, oC &c. reſpondentium juxta ſcalam modicam (§. 279). Ita enim ut ſupra Ichnographiam abſolvere licebit.

DEMONSTRATIO.

Coincidit cum tertia probl. præſ. modo demonſtretur, ſi plures lineæ aa, bb, cc &c. ſe interſecent in o & his ducantur totidem aliæ parallelæ AA, BB, CC &c. ſe itidem in O interſecantes; fore $y = m$, $x = n$, $z = l$ &c. Quod facile patet. Continuetur enim BB, donec ipſi aa occurrat in f; continuentur etiam CC & cc, donec ipſis bb & AA occurrant in g & k. Erit, ob parallelas aa & AA, $m = f$ &, ob parallelas bb & BB, $y = f$ (§. 233), adeoque $m = y$ (87 *Arithm.*). Similiter, ob parallelas bb & BB, $n = g$ &, ob parallelas cc & CC, $x = g$ (§. 233), adeoque $n = x$ (§. 87 *Arithm.*). Item, ob parallelas aa & AA, $z = k$ &, ob parallelas cc & CC, $l = k$ (§. 233), adeoque $l = z$ (§. 87 *Arithm.*) *Q. e. d.* Tab. VII. Fig. 116.

SCHOLION I.

364. Ideo commendatur methodus ultima, quod exigua eaque unica charta ingenti tractui dimetiendo ſufficiat. Si enim campus in plures reſolutus fuerit partes, littera initialis in ſingulis nota quadam numerica notanda &, ubi unum alphabetum fuerit abſolutum, aliud litteris aliis uſurpandum.

SCHO-

SCHOLION II.

365. *Etiam ſine parallelismo Ichnographiam facillime conficere datur, ſi puncta* a *&* a, *item* b, c, d &c. *ſubtili acu perforentur & per foramina pulvis carbonum linteo incluſus trajiciatur. Puncta enim* a *&* a *dabunt rectam, qua bifariam diviſa determinatur centrum O: reliqua puncta* b, c, d &c. *ſitum angulorum figuræ reſpectu hujus centri determinant.*

SCHOLION III.

366. *Acus magnetica ex optima chalybe cudenda, nec foraminibus (quod ornatus gratia interdum fieri ſolet ab ignaris) pertundenda, quoniam vis magnetica per lineam rectam diffunditur. Ejus longitudo 6 digitos ne ſuperet, ne ſphæram magnetis excedat; a duobus ne deficiat. Præſtat major minore, ut angulus, quo in uſu a linea meridiana pyxidis declinat, exactius innoteſcat. Communiter utuntur acu duorum vel ad ſummum trium digitorum. Uno magnetis polo cum aliqua mora eam affricari ſufficit: affricanda autem eſt pars acus, quæ ſeptentrionem reſpicere debet, polo auſtrali, nec ductu contrario deſtruendum, quod anteriore communicatum fuerat. In hemiſpherio ſeptentrionali, quod nos inhabitamus, pars acus borealis poſt contactum magnetis ponderoſior evadit & inclinatur: quare levior fieri debet auſtrali. Pyxis ex ligno, ebore vel orichalco; ſtylus, cui capitellum acus ex ære, cupro vel argento intus in conum excavatum imponitur, ex orichalco vel argento paratur. Ut acus tanto exactius libretur, quidam ſtyli apicem chalybeum faciunt.*

PROBLEMA XLVIII.

Tab. VII. Fig. 117. 367. *Ichnographiam areæ ABCDE ex duabus ſtationibus A & B perficere.*

RESOLUTIO.

1. Poſita menſula in A collineatio fiat in ſingulos areæ angulos B, C, D & E ducanturque rectæ verſus eos ex *a*.
2. Quæratur diſtantia ſtationum AB (§. 126) & in menſulam ex ſcala Geometrica (§. 279) transferatur in *ab*.
3. Menſula ex A deferatur in B, ita ut punctum cognomine *b* in ea deſignatum ipſi B reſpondeat, & regula ad lineam *b a* applicata per dioptras collineanti baculus in A defixus occurrat.
4. Ex puncto *b* in ſingulos rurſus figuræ angulos collineatio fiat, & verſus eos rectæ ducantur, quæ priores in *e*, *d*, *c* interſecant.
5. Denique jungantur puncta *a* & *e*, *e* & *d*, *d* & *c*, rectis *a e*, *e d*, *dc*.

Dico, Ichnographiam eſſe abſolutam.

DEMONSTRATIO.

Quoniam 1°. ABC$=$*abc* & CAB$=$*cab* (*per conſtr.*) erit AB : BC$=$*ab* : *bc* & AB : AC$=$*ab* : *ac* (§. 267). Similiter 2°. quia EAB$=$*eab* & EBA$=$*eba* (*per conſtr.*) erit AEB$=$*aeb*, itemque EA : AB$=$*ea* : *ab* & EB : AB$=$*eb* : *ab* (§. *cit.*). Porro 3°. cum ſit DAB$=$*dab* & DBA$=$*dba*; erit etiam DA : AB$=$*da* : *ab* & DB : AB$=$*db* : *ab* (§. *cit.*). 4°. DBC $=$*dbc* (*per conſtr.*) &, quoniam DB : AB$=$*db* : *ab* (*per num.* 3) atque AB : BC$=$*ab* : *bc* (*per num.* 1) DB : BC$=$*db* : *bc* (§. 194 *Arithm.*). Ergo CDB $=$*cdb* atque BCD$=$*bcd* & BC : CD$=$*bc* : *cd*, nec non BD : CD$=$*bd* : *cd* (§. 183). 5°. DB : BC$=$*db* : *bc*

 (*per*

(*per demonstrata n.* 4.) & AB: BC = *ab* : *bc* (*per num.* 1). Ergo DB : AB = *db* : *ab* (*§.* 195 *Arithm.*). Est vero etiam EB : AB = *eb* : *ab* (*per num.* 2). Ergo DB : EB = *db* : *eb* (*§. cit.*). Quare cum etiam sit DBE = *dbe* (*per construct.*). erit BDE = *bde* & DEB = *deb*, nec non DB : DE = *db* : *de* & DE : EB = *de* : *eb* (§. 183). 6°. BD : CD = *bd* : *cd* (*per num.* 4.) & DB : DE = *db* : *de* (*per num.* 5). Ergo CD : DE = *cd* : *de* (*§.* 196 *Arithm.*). 7°. EB : AB = *eb* : *ab* (*per num.* 2) & DE : EB = *de* : *eb* (*per num.* 5). Ergo DE : AB = *de* : *ab* (§. 197 *Arithm.*). Quare cum porro sit EA : AB = *ea* : *ab* (*per num.* 2) erit DE : EA = *de* : *ea* (§. 195 *Arithm.*). 8°. Quia CDB = *cdb* (*per num.* 4) & BDE = *bde* (*per num.* 5) erit CDE = *cde* (§. 86 *Arithm.*). 9°. Similiter quia AEB = *aeb* (*per num.* 2) & DEB = *deb* (*per num.* 5) erit DEA = *dea* (§. 86 *Arithm.*). Cum itaque sit EAB = *eab*, & ABC = *abc* (*per constr.*), BCD = *bcd* (*per num.* 4), CDE = *cde* (*per num.* 8), & DEA = *dea* (*per num.* 9); atque praeterea AB : BC = *ab* : *bc* (*per num.* 1), BC : CD = *bc* : *cd* (*per num.* 4), CD : DE = *cd* : *de* (*per num.* 6), DE : EA = *de* : *ea* (*per num.* 7), tandemque EA : AB = *ea* : *ab* (*per num.* 2); figuræ ABCDE altera *abcde* similis est (§. 175). *Q. e. d.*

Aliter.

Tab. VII. Fig. 117.

1. In A investigetur quantitas angulorum EAD, DAC & CAB, itemque ex B quantitas angulorum ABE, EBD & DBC (§. 152), quæraturque stationum distantia AB (§. 126).
2. Ducta in charta recta *ab* per scalam modicam distantiæ stationum AB convenienter determinetur (§. 279).
3. In *a* constituantur angulis EAD, DAC, CAB æquales *ead*, *dac*, *cab*; in *b* vero ipsis ABE, EBD & DBC æquales *abe*, *ebd* & *dbc* (§. 155).
4. Tandem puncta intersectionum *b*, *c*, *d*, *e*, *a*, rectis connectantur.

Dico *abcde* esse similem areæ ABCDE.

DEMONSTRATIO.

Coincidit cum præcedente.

Aliter.

1. Ope pyxidis magneticæ observentur ut in probl. præc. ex duabus stationibus A & B declinationes linearum AB, AC, AD, AE itemque BC, BD, BE a linea meridiana acus.
2. Quæratur distantia stationum (§. 126).
3. In charta eodem modo, quo in probl. præc. determinetur situs rectarum *ab*, *ac*, *ad* &c. puncta intersectionum *c*, *d*, *e* rectis connectantur.

Ita Ichnographia erit absoluta.

DEMONSTRATIO.

Coincidit cum præcedente, modo una notentur, quæ in demonstratione penultima problematis præcedentis dicta sunt.

PROBLEMA XLIX.

368. *Ichnographiam areæ perficere, cujus integram peripheriam peragrare licet.*

RESO-

RESOLUTIO.

Tab. VII. *Fig.* 117.

1. Mensula in A collocata collineetur in baculos in B & E defixos, ut angulo BAE æqualis *bae* in eadem designari possit.
2. Longitudo utriusque rectæ AB & AE (§. 126) explorata ex scala minore transferatur in mensulam ex *a* in *b* & *e* (§. 279).
3. Mensula in B translocetur, ita ut ipsi B punctum cognomine in eadem respondeat & visus per dioptras collineantis baculum in A attingat. Quo facto,
4. Idem dirigatur per easdem in C, quo sicut ante, angulo ABC æqualis *abc* & rectæ BC proportionalis *bc* in mensula designari possint.
5. Quodsi idem cum reliquis areæ angulis & lateribus fiat; erit figura in mensula delineata areæ propositæ similis.

DEMONSTRATIO.

Singuli enim anguli figuræ in mensula delineatæ sunt æquales singulis angulis areæ & latera illius lateribus hujus homologis proportionalia sunt *per constr.* Figura igitur delineata est areæ similis (§. 175). *Q. e. d.*

Aliter.

Quæratur longitudo omnium laterum (§. 126) & quantitas tot angulorum, quot sunt latera, demtis tribus (§. 152). His enim datis Ichnographia *per probl.* 46. (§. 360), vi demonstrationis præcedentis absolvetur.

Aliter.

Tab. VII. *Fig.* 118. n. 1.

1. Notetur in singulis angulis figuræ A, B, C, D, E, laterum AB, BC, CD, DE, AE declinatio a linea meridiana pyxidis magneticæ ut in probl. 47 (§. 363).
2. Quæratur simul longitudo laterum (§. 126).
3. In charta designetur linea *ab* & in eam transferatur ex scala modica longitudo lateris AB (§. 279). n. 2.
4. Ad rectam *ab* applicetur latus pyxidis lineæ ejusdem meridianæ parallelum, ita tamen ut extremum ipsius septentrionale septentrionem respiciat & charta cum pyxide huc illucque moveatur, donec acus angulum declinationis debitum monstret.
5. Charta immota idem latus pyxidis collocetur in *a* & circa id vertatur, donec angulum declinationis convenientem lateri AE indicet acus: ita enim rectam *ae* ducere & per scalam modicam ipsi AE proportionalem determinare licet.
6. Quodsi hæc operatio continuetur; Ichnographia tandem absolvetur.

DEMONSTRATIO.

Non aliud hic demonstrandum est, quam angulum *bae* ope pyxidis magneticæ in charta sic designatum esse alteri BAE in campo æqualem. Superius usum pyxidis magneticæ nullis dioptris instructæ exponentes demonstravimus, pyxide ad latus figuræ AB in campo ita applicata ut linea meridiana ejusdem sit huic parallela, angulum declinationis

nis acus esse ipsi BAM æqualem, si ML ita ducatur ope pyxidis, ut ejusdem lineæ meridianæ parallela existat (§. 363). Eodem modo ex ibidem demonstratis apparet, pyxide eadem lege ad latus figuræ AE applicata, esse angulum EAL angulo declinationis acus in hoc situ æqualem. His jam datis, si latus pyxidis lineæ meridianæ ejusdem parallelum ad rectam *ab* in charta ductam applicetur & charta cum pyxide vertatur, donec acus, in conveniente situ, angulum declinationis eundem, quem in campo ad latus BA, monstret; erit perinde *ba* K eidem angulo declinationis æqualis. Similiter si eadem lege pyxis applicetur ad punctum *a*, donec acus angulum declinationi lateris AE convenientem monstret & juxta ejus latus ducatur *ae*; erit angulus *ea* I angulo declinationis æqualis. Supponimus nempe rectam KI per *a* ea lege esse ductam, ut lineæ meridianæ pyxidis in plano mundi imaginario immobili respondeat, centro in *a* collocato. Est igitur 1 = I & 6 = VI (*per construct.*) Sed 1 + 7 + 6 = 180° & I + VII + VI = 180° (§. 147), consequenter 1 + 7 + 6 = I + VII + VI (§. 87 *Arithm.*). Quare 7 = VII (§. 91 *Arithm.*). *Q. e. d.*

Vel:

Tab. VII. *Fig.* 118. n. 2.

1. In charta ducantur lineæ quotcunque parallelæ.
2. Instrumentum transportatorium parallelismo instructum ad extimam parallelarum ita applicetur, ut centrum sit in *a*, radius vero ipsi *a* K respondeat, noteturque punctum *z*, indicans in peripheria instrumenti gradum declinationis acus a linea meridiana pyxidis in campo ad punctum A.
3. Ab *a* per *z* ducatur recta & ex *a* in *b* transferatur ex scala modica longitudo rectæ AB in campo mensuratæ.
4. Regula parallelismi solitaria unam parallelarum stringente, altera cui cohæret instrumentum transportatorium promoveatur, donec hujus centrum ipsum *b* attingat & ad gradum declinationis in B observatæ designetur punctum *y*: quo facto, ut ante, rectam *bc* ducere licet.
5. Hac operatione continuata, integra areæ Ichnographia tandem absolvetur.

D E M O N S T R A T I O.

1 = I, 2 = II, 3 = III, 4 = IV & 5 = V (*per constr.*) & quoniam recta per *b* ducta (quæ diametrum instrumenti transportatorii refert) ipsi *a* K parallela, (*per construct.*) acus vero magnetica in B est parallela situi in A; erit 1 = 8 & I = VIII (*§.* 233), consequenter 8 = VIII (*§.* 87 *Arithm.*). Simili modo ostenditur esse 6 = VI. Quare cum sit 1 + 7 + 6 = I + VII + VI (§. 147 *Geom.* & §. 87 *Arithm.*); erit 7 = VII (§. 91 *Arithm.*). Porro 2 = II (*per constr.*) & 8 = VIII, (*per demonstr.*). Ergo 8 + 2 = VIII + II (§. 88 *Arithm.*). Similiter 12 = 2 & XII = II (§. 233) & 3 = III, (*per constr.*). Quare cum sit

sit 12 + 9 + 3 = XII + IX + III (§. 147); erit 9 = IX (§. 91 *Arithm.*). Porro 4 = IV (*per constr.*) & hinc, cum sit 10 = 3 & X = III (§. 233), adeoque ob 3 = III (*per demostr.*) 10 = X (§. 87 *Arith.*), 4 + 10 = IV + X (§. 88 *Arih.*). Denique 5 = V (*per constr.*) & 4 + 11 = IV + XI (§. 233 *Geom.* & §. 87 *Arith.*) adeoque ob 4 = IV (*per constr.*) 11 = XI. Quare 5 + 11 = V + XI (§. 88 *Arithm.*). Singuli igitur anguli figuræ *abcde* sunt æquales singulis angulis areæ ABCDE. Quare cum etiam latera illius lateribus hujus homologis proportionalia sint (*per constr.*) figura *abcde* areæ ABCDE similis (§. 175.). *Q. e. d.*

PROBLEMA L.

369. *Figuræ in charta delineatæ similem in campo designare.*

RESOLUTIO.

Quoniam hoc problema est inversum alterius, quo Ichnographias arearum paramus; non modo tot ejus dantur casus, quot hujus commemoravimus, sed & ipsius resolutio ex resolutionibus problematum inmediate præcedentium intelligitur. E. gr. Si semicirculo vel mensula & pertica utimur: anguli singuli figuræ aut anguli diagonalibus intercepti &c. in solo designantur *per probl.* 7 (§. 155) & latera vel diagonales &c. per mensuram majorem decenter determinantur.

CAPUT VI.

De Figurarum Dimensione ac Divisione.

PROBLEMA LI.

370. INvenire aream quadrati.

RESOLUTIO.

1. Quæratur longitudo lateris (§. 126).
2. Hæc ducatur in seipsam.

Factum exprimit aream Quadrati. Sit e. gr. Latus quadrati = 345: erit Area = 119025

DEMONSTRATIO.

Tab. VII. Fig. 119. Aream quadrati investigans quærit, quot digiti quadrati, hoc est, quot quadratula digitum longa & lata in eodem contineantur (§. 118). Evidens vero est, si latus quadrati AB concipiatur in quotcunque partes æquales & quadratum ipsum per rectas puncta divisionum in lateribus oppositis connectentes in quadrata minora divisum; tot esse quadratulorum series, quot partes habet latus AB & in qualibet serie tot reperiri quadratula, quot latus BC, vel idem AB habet partes. Numerus ergo quadratulorum invenitur, si latus in seipsum ducatur. *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

371. Si latus quadrati fuerit 10, area erit 100. Cum igitur decempeda sit 10 pedum, pes 10 digitorum &c. (§. 25): pertica quadrata 100 pedes quadratos; pes quadratus 100 digitos quadratos &c. continet (§. 118).

COROLLARIUM II.

372. Si latus quadrati fuerit 12, area erit 144. Quare cum pertica dividatur in 12 pedes; pes in 12 digitos &c. pertica quadrata continet 144 pedes quadratos; pes quadratus 144 digitos quadratos &c. (§. 118).

COROLLARIUM III.

373. Datus igitur numerus in priori casu facile in digitos, pedes & perticas quadratas resolvitur, si scilicet a dextra sinistram versus

duæ notæ digitis, duæ pedibus resecentur: quæ enim sinistram versus residuæ fiunt, perticis cedunt. E. gr. 119025 digiti conficiunt 11 perticas, 90 pedes, 25 digitos.

COROLLARIUM IV.

374. Quadrata sunt inter se in ratione duplicata laterum (§. 159 *Arithm.*). E. gr. Quadratum lateris dupli est quadruplum quadrati lateris simpli. Et quadrata æqualia sunt, quorum latera æqualia sunt.

PROBLMA LII.

Tab. VII. Fig. 120. 375. *Invenire aream rectanguli ABCD.*

RESOLUTIO.

1. Investigetur longitudo laterum AB & AC (§. 126).
2. Ducatur AB in AC. Factum erit area rectanguli.

DEMONSTRATIO.

Eadem est, quæ problematis præcedentis.

COROLLARIUM I.

366. Rectangula sunt in ratione composita suorum laterum AB & AC (§. 159. *Arithm*).

COROLLARIUM II.

377. Si ergo fuerint tres lineæ continue proportionales, quadratum mediæ rectangulo extremarum æquale est (§. 298 *Arithm.*).

COROLLARIUM III.

378. Si quatuor fuerint lineæ rectæ proportionales; rectangulum sub extremis æquatur rectangulo sub mediis (§. 297 *Arithm.*).

COROLLARIUM IV.

Tab. VI. Fig. 102. 379. Quare si ex eodem puncto A ducantur duæ rectæ, quarum altera AD circulum tangit, altera AB secat; erit quadratum tangentis AD rectangulo sub secante AB & ejus portione extra circulum AC æquale (§. 334 & 377).

COROLLARIUM V.

Tab. VI. Fig. 97. 380. Si duæ vel plures secantes HL & GM ex eodem puncto G ducantur, erunt rectangula sub totis & earum portionibus extra circlum æqualia (§. 333 & 379).

COROLLARIUM VI.

381. Si duæ chordæ HM & LI se mutuo secent in K; erunt rectangula sub segmentis inter se æqualia (§. 332. 378). Tab. I. Fig. 14.

COROLLARIUM VII.

382. Cum orgya, qua lignorum strues metimur, vel quadrati, vel rectanguli figuram habeat; ejus area *per probl. præc. vel præs.* inveniri potest. Per hanc itaque si factum ex longitudine in latitudinem struis dividatur; quotus indicat, quot ipsa orgyas contineat (§. 69 *Arithm.*).

THEOREMA LXXIX.

383. *Duo parallelogramma ABDC & ECDF super eadem basi CD & inter easdem parallelas AF & CD constituta sunt inter se æqualia.* Tab. VII. Fig. 121.

DEMONSTRATIO.

Quoniam AB & CD, itemque EF & CD sunt latera opposita parallelogrammi *per hypoth.* erit AB=CD & EF=CD (§. 335), consequenter AB=EF (§. 87 *Arithm.*) & hinc porro AE=BF (§. 88 *Arithm.*). Quoniam porro AC =BD & CE=DF (§. 335); erit △ ACE = △ BDF (§. 204), adeoque ABGC = FEGD (§. 91 *Arithm.*), consequenter ABDC=EFDC (§. 88 *Arithm.*). *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

384. Quoniam AF & CD sunt parallelæ *per hypoh.* erunt perpendicula inter eas intercepta æqualia (§. 226): quæ cum sint altitudines parallelogrammorum (§. 227); parallelogramma inter easdem parallelas constituta ejusdem altitudinis sunt. Patet adeo parallelogramma super eadem basi & ejusdem altitudinis æqualia esse (§. 383).

COROLLARIUM II.

385. Ergo & triangula super eadem basi & ejusdem altitudinis æqualia sunt. Nam

Tab. VII. *Fig.* 121. Nam Parall. ACDB = Parall. ECDF (*§.*384), sed △ ACD = ½ Parall. ACDB & △ FCD = ½ Parall. ECDF (*§.* 337). Ergo △ ACD = △ FCD (*§. 94 Arith.*)

COROLLARIUM III.

386 Quodcunque adeo triangulum CFD est dimidium parallelogrammi ACDB super eadem vel æquali basi CD & ejusdem altitudinis, seu intra easdem parallelas. Nam △ CFD = △ ACD (*§.* 337). Sed △ ACD = ½ Parall. ACDB (*§.* 355). Ergo △ CFD = ½ Parall. ACDB (*§.* 87 *Arithm.*).

PROBLEMA LIII.

387. *Invenire aream rhombi & rhomboidis seu parallelogrammi obliquanguli.*

RESOLUTIO.

Tab. VII. *Fig.* 122.

1. In CD pro basi assumtam demittatur perpendiculum AE (§. 216), quæ erit altitudo parallelogrammi (§. 227).
2. Multiplicetur basis per altitudinem.

E. gr. Sit CD = 4° 5′ 6″
AE = 2 3 4

	1 8 2 4
	1 3 6 8
	9 1 2
Erit Area =	1 0° 6 7′ 0 4″

DEMONSTRATIO.

Parallelogrammum obliquangulum æquatur rectangulo super eadem basi CD & ejusdem altitudinis CE (§.384). Sed area rectanguli æquatur facto ex basi in altitudinem (§. 375 & 229). Ergo eidem æqualis est area parallelogrammi obliquanguli (§. 87 *Arithm.*). *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

388. Parallelogramma sunt in ratione composita altitudinum & basium (*§.* 159 *Arithm.*), adeoque & triangula eorum dimidia (*§.* 386) in eadem existunt (*§.* 181 *Arithm.*).

COROLLARIUM II.

389. Ergo si altitudines sunt æquales, basium; si bases sunt æquales, altitudinum rationem habent (*§.* 181 *Arithm.*).

COROLLARIUM III.

390 Parallelogramma æqualia bases & altitudines reciprocant (*§.* 299 *Arithm.*).

THEOREMA LXXX.

391. *Triangulum est æquale parallelogrammo super eadem basi sed dimidiæ altitudinis, itemque parallelogrammo super dimidia basi & ejusdem altitudinis.* Tab. VII. *Fig.* 123.

DEMONSTRATIO.

Sit AEFB parallelogrammum rectangulum, cum obliquangulo cuicunque super eadem basi AB & intra easdem basi parallelas AB & EF existenti æquale sit (§. 383) atque adeo eidem salva quantitate substitui possit (§. 15 *Arithm.*). Jam

I. Si triangulum ADC fuerit rectangulum, assumta AD pro basi, erit CD altitudo; sumta vero DC pro basi, erit AD altitudo (§. 228). Jam cum altitudo parallelogrammi rectanguli AE (§. 229) sit altitudini dimidiæ trianguli CG æqualis *per hypoth.* & angulus ad D sit rectus (§. 91) adeoque ob EF & AB parallelas (§. 102) is ad G similiter rectus (§. 233), ac præterea angulus ad E itidem rectus (§. 100), & hinc G=E (§. 145); sint vero etiam verticales ad H æquales (§. 156): erit △ CGH = △ EHA (§. 252), consequenter EGDA = △ ACD (§. 88 *Arithm.*). *Q. e. d.*

 II. Si

II. Si triangulum ACB fuerit obliquangulum, per perpendiculum DC in duo rectangula ADC & CDB resolvetur (§. 78. 91). Ergo si fiat FB = DG dimidiæ altitudini; erit DGFB = $\triangle$ DCB & AEGD = $\triangle$ ACD, *per cas.* 1. Ergo AEFB = $\triangle$ ACB (§. 88 *Arithm.*). *Quod erat unum.*

Tab. VIII. Fig. 124. Sit DK = KB = $\frac{1}{2}$DB & GB = AG = $\frac{1}{2}$AD; erit GK = $\frac{1}{2}$AB, adeoque dimidia basis. Jam CFKD = $\triangle$ DCB & GECD = $\triangle$ ACD, *per cas.* 1. Quare EGKF = $\triangle$ ACB (§. 88 *Arithm.*). *Quod erat alterum.*

PROBLEMA LIV.

392. *Invenire aream Trianguli.*

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

Tab. VIII. Fig. 125. 1. Multiplicetur basis AB per altitudinem CD: erit productum area rectanguli ejusdem baseos & altitudinis (§. 387).

2. Productum dividatur bifariam. Ita prodit area trianguli ABC (§. 386).

Aliter.

Basis dimidia $\frac{1}{2}$ AB multiplicetur per altitudinem CD; vel basis AB per altitudinem dimidiam $\frac{1}{2}$ CD. Factum erit area trianguli (§. 391. 387).

E. gr. AB = $3^{\circ}4'2''$ AB = $3^{\circ}4'2''$

CD = 2 3 4 $\frac{1}{2}$CD = 1 1 7

1368 2394

1026 342

684 342

80028 $\triangle$ 40014

2) ————

$\triangle$ ACB 40014

$\frac{1}{2}$ AB = $1^{\circ}7'1''$

CD = 2 3 4

684

513

342

$\triangle$ 40014

COROLLARIUM I.

393. Triangula æqualia bases & altitudines dimidias (§. 299 *Arithm.*), consequenter etiam bases & altitudines integras reciprocant (§. 178 *Arithm.*).

COROLLARIUM II.

394. Si area trianguli per basin dimidiam dividitur, quotus est altitudo (§. 210 *Arithm.*).

PROBLEMA LV.

395. *Invenire latus quadrati parallelogrammo, vel triangulo dato æqualis.*

RESOLUTIO.

Quæratur inter basin & altitudinem parallelogrammi, vel inter dimidiam basin & altitudinem, aut integram basin & dimidiam altitudinem trianguli media proportionalis *per* §. 327 aut in numeris *per* §. 301 *Arithm.* Ita prodit latus quadrati quæsitum.

DEMONSTRATIO.

Factum enim ex basi in altitudinem exprimit aream parallelogrammi (§. 375. 387) & factum ex dimidia basi in altitudinem, vel ex dimidia altitudine in basin aream trianguli (§. 392). Cum adeo quadratum lineæ vel numeri reperti sit in utroque casu facto isti æquale (§. 298 *Arithm.*) erit quadratum istud in priori casu parallelogrammo, in posteriori triangulo æquale. *Q. e. d.*

THEOREMA LXXXI.

396. *In parallelogrammis & triangulis similibus altitudines sunt lateribus homologis proportionales & bases ab iis lateribus proportionaliter secantur.* Tab. VII. Fig. 122.

DEMONS-

DEMONSTRATIO.

Cum altitudines AE & *ae* ſint ad baſes CD & *cd* perpendiculares (§. 227); Erunt E & *e* anguli recti (§. 78) adeoque æquales (§. 145). Et quia parallelogrammum ABDC ipſi *abdc*; triangulum CAD ipſi *cad* ſimile, *per hypoth.* erit C=*c* (§. 175). Quare AC:AE=*ac*:*ae* (§. 267). Eſt vero etiam AC : CD= *ac* : *cd* (§. 175). Ergo AE : CD=*ae*: *cd* (§. 196 *Arithm.*). *Quod erat unum.*

Quoniam E = *e* & C=*c*, *per demonſtr.* erit AC : CE=*ac* : *ce* (§. 267). Eſt vero etiam AC : CD=*ac* : *cd* (§. 175). Ergo CE : CD=*ce* : *cd* (§. 196 *Arithm.*); adeoque ED : CE=*ed*: *ce* (§. 193 *Arithm.*). *Q. e. d.*

SCHOLION.

397. *Patet quoque a priori. Quoniam enim* ABDC ∽ abdc *&* △ ACD ∽ △ acd, per hypoth. *perpendicula* AE *&* ae *pariterque ſegmenta baſium* CE *&* ce, *itidemque* ED *&* ed *eodem modo determinantur* (§. 119. 216), *adeoque ſimilia ſunt* (§. 120). *Cum adeo ea eadem ſint, per quæ a ſe invicem diſcerni debebant* (§. 24 Arithm.), *lineæ autem rectæ utpote ſimiles* (§. 17) *non aliter niſi ratione diſcerni poſſint* (§. 132 Arithm.); *tam perpendicula, quam ſegmenta baſium ad latera homologa figurarum eandem rationem habere debent* (§. 149. Arithm.). *Eodem modo generaliter patet, rectas quaſcunque in figuris ſimilibus eodem modo determinatas tum inter ſe, tum ad latera homologa eandem rationem habere.*

COROLLARIUM I.

398. Quoniam parallelogramma & triangula ſint in ratione compoſita altitudinum & baſium (§. 388), ſimilia vero habent baſes altitudinibus proportionales (§. 396); igitur parallelogramma & triangula ſimilia habent rationem duplicatam homologorum laterum (§. 159 *Arithm.*). Et eodem modo patet, quod etiam ſint in ratione duplicata altitudinum ac ſegmentorum baſeos; immo linearum eodem modo utlibet determinatarum (§. 397).

COROLLARIUM II.

399. Sunt ergo ut quadrata laterum altitudinum & ſegmentorum baſium homologorum, necnon linearum eodem modo utlibet determinatarum (§. 374).

PROBLEMA LV.

400. *Invenire aream polygoni irregularis ac trapezii.* Tab. VIII. Fig. 126. n. 1.

RESOLUTIO.

1. Reſolvatur per diagonales AD & AC in triangula.
2. Inveniantur areæ ſingulorum triangulorum (§. 392) &
3. Addantur. Erit ſumma area quæſita (§. 86 *Arithm.*).

E.gr. $\frac{1}{2}$AD = 43′	$\frac{1}{2}$AD = 43′	$\frac{1}{2}$AC = 42′
EF = 35	GC = 45	BH = 30
215	215	△ABC, 1260
129	172	
△ AED, 1505	△ DAC, 1935	
	△ AED, 1505	
	△ ABC, 1260	

Area polygoni irreg. 47°00′

Quodſi $\frac{1}{2}$AD multiplicetur per ſummam altitudinum EF + GC, vel integra AD per $\frac{1}{2}$ (EF + GC); prodibit area trapezii AEDC.

E. gr. EF = 35	$\frac{1}{2}$ AD = 43
GC = 45	EF+GC = 80
EF + GC = 80	AEDC = 3440
$\frac{1}{2}$(EF+GC) = 40	
AD = 86	
AEDC = 3440	

Simi-

Tab. VIII. Fig. 127. Similiter si in trapezio fuerit AB ipsi CD parallela, erunt triangulorum altitudines BF & GC æquales (§. 226. 227), consequenter trapezii area prodit, ducta semisumma basium parallelarum AB & CD in altitudinem ejus BF (§. 392).

Tab. VIII. Fig. 127. E. gr. Sit AB 246″, CD = 378″, BF = 195″

erit AB + CD = 624
BF = 195

3120
5616
624

Area Trapezii 121680

THEOREMA LXXXII.

Tab. VI. Fig. 107. 401. *Figura regularis ABCDE ex centro circuli circumscripti F in triangula æqualia atque similia resolvitur & area ejus æquatur triangulo, cujus basis peripheria totius polygoni AB + BC + CD &c. altitudo perpendiculum FG ex centro F in latus unum AB demissum. Idem valet de area circumscripti* abcde, *nisi quod altitudo sit radius FG.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam AB = BC = CD = DE = EA (§. 106) & AF = FB = FC = FD = FE (§. 40); triangula AFB, BFC, CFD, DFE, EFA æqualia & similia sunt (§. 204). *Quod erat unum.*

Tab. VIII. Fig. 128. Constituantur triangula AFB, BFC, CFD &c. in quæ resolutum est polygonum ABCDE super eadem recta AA (§. 199). Erigatur in A perpendicularis A*f* (§. 249) ipsi altitudini triangulorum æqualis. Erit A*f*B = AFB, B*f*C = BFC, C*f*D = CFD &c. (§. 385); consequenter A*f*A = AFB + BFC + CFD &c. (§. 88 *Arithm.*) æqualis est areæ polygoni regularis (§. 86. 87 *Arithm.*). *Quod erat secundum.*

Cum recta F*g* ex centro F ad contactum *g* ducta sit radius & ad latus *ae* perpendicularis (§. 308); erit ea altitudo trianguli *a*F*e* (§. 227). Reliqua patent ut ante. *Quod erat tertium.* Tab. VI. Fig. 107.

PROBLEMA LVI.

402. *Invenire aream polygoni regularis.*

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

1. Latus polygoni AB multiplicetur per dimidium laterum numerum, e. gr. latus hexagoni per 3. Tab. VI. Fig. 107.
2. Factum porro ducatur in perpendiculum GF ex centro circuli circumscripti in latus AB demissum.

Ita prodit area quæsita (§. 392. 401).

E. gr. AB = 5°4′
dimidius Numer later. $2\frac{1}{2}$

27
108

Semiperimeter = 135
FG = 29

1215
270

Area Pentagoni 39°15′

THEOREMA LXXXIII.

403. *Quadrilatera & Polygona similia ABCDE &* abcde *per diagonales AC, AD &* ac, ad *in similia triangula ABC &* abc, *ACD &* acd, *ADE &* ade *dividuntur, & inter se & totis proportionalia.* Tab. VI. Fig. 111.

DE-

DEMONSTRATIO.

Quoniam ABCDE $\sim$ *abcde per hypoth.* erit $o = o$ & $AB : BC = ab : bc$ (§. 175). Ergo $\triangle bac \sim \triangle BAC$, $y = y$ atque $bc : ca = BC : CA$ (§. 183), Est vero etiam $bc : cd = BC : CD$ & $n + y = n + y$ (§. 175). Ergo $ca : cd = CA : CD$ (§. 156 *Arithm.*) & $n = n$ (§. 91 *Arithm.*), consequenter $\triangle bad \sim \triangle BAD$, $cd : da = CD : DA$ & $u = u$ (§. 183). Est vero etiam $u + s = u + s$ & $cd : de = CD : DE$ (§. 175). Ergo $s = s$ (§. 91 *Arithm.*) & $da : de = DA : DE$ (§. 196 *Arithm.*), consequenter $\triangle dea \sim \triangle DEA$ (§. 183). *Quod erat primum.*

Quoniam $\triangle ABC \sim \triangle abc$, $\triangle DAC \sim \triangle dac$ & $\triangle DAE \sim \triangle dae$ *per demonstrata*; erit $\triangle ABC : \triangle abc = CA^2 : ca^2$, $\triangle DAC : \triangle dac = CA^2 : ca^2 = DA^2 : da^2$ & $\triangle DAE : \triangle dae = DA^2 : da^2$ (§. 398), consequenter $\triangle ABC : \triangle abc = \triangle DCA : \triangle dca$ & $\triangle DCA : \triangle dca = \triangle DAE : \triangle dae$ (§. 167 *Arith.*), adeoque etiam $\triangle DEA : \triangle dea = \triangle ABC : \triangle abc$ (§. *cit.*). Sunt igitur $\triangle\triangle$ ABC, ACD, ADE, & *abc*, *acd*, *ade* inter se proportionalia. *Quod erat secundum.*

Quoniam denique $\triangle ABC : \triangle abc = \triangle DCA : \triangle dca = \triangle DEA : \triangle dea$, *per secundum hujus*; erit $\triangle ABC + \triangle DCA + \triangle DEA : \triangle abc + \triangle dca + \triangle dea = \triangle ABC : \triangle abc$ (§. 192 *Arithm.*). Sed $\triangle ABC + \triangle DCA + \triangle DEA$ = polygono ABCDE & $\triangle abc + \triangle dca + \triangle dea = abcde$ (§. 86 *Arithm.*). Ergo $ABCDE : abcde = \triangle ABC : \triangle abc = \triangle DEA : \triangle dca$ &c. (§. 168 *Arithm.*), consequenter $ABCDE : \triangle ABC = abcde : \triangle abc$, & $ABCDE : \triangle DCA = abcde : \triangle dca$ &c. (§. 173 *Arithm.*). *Quod erat tertium.*

COROLLARIUM.

404. Cum polygona regularia sint æquilatera & æquiangula (§. 106), tum etiam sibi mutuo æquiangula (§. 344); polygona regularia ejusdem ordinis, veluti omnia pentagona, omnia hexagona &c. regularia inter se similia sunt (§. 175). Polygona igitur regularia ejusdem ordinis per diagonales in triangula similia dividuntur & inter se, & totis proportionalia.

SCHOLION.

405. *Poterat theorema præsens ex notione determinationis facilius demonstrari. Nimirum cum figuræ* ABCDE *&* abcde *sint similes*, per hypoth. *adeoque anguli* A *&* a *æquales* (§. 175), *atque præterea diagonales* AC, AD *&* ac, ad *ex angulis hisce æqualibus* A *&* a *ducantur*; $\triangle\triangle$ ABC *&* abc, CAD *&* cad, DAE *&* dae *eodem modo determinantur* (§. 119), *consequenter & inter se similia sunt & similes partes figurarum existunt* (§. 120), *eandem adeo ad figuras tanquam tota rationem* (§. 170 Arithm.), *immo eandem inter se rationem quam polygona aut quadrilatera habent* (§. 171 Arithm.).

THEOREMA LXXXIV.

406. *Figuræ tam regulares, quam similes irregulares habent rationem duplicatam homologorum laterum.* Tab. VI. Fig. 111.

DEMONSTRATIO.

Sint figuræ ABCDE & *abcde* sive regulares, sive irregulares similes, eæque sive quadrilateræ, sive polygonæ quæcunque ejusdem ordinis; erit $ABCDE : abcde = \triangle ABC : \triangle abc = \triangle ACD : \triangle acd = \triangle ADE : \triangle ade$ (§. 403. 404). Sed $\triangle ABC : \triangle abc = AB^2 : ab^2 = BC^2 : bc^2$; $\triangle ADC : \triangle adc = CD^2 : cd^2$ & $\triangle ADE$:

ade

ade = $DE^2 : de^2 = EA^2 : ea^2$ (*§.* 398). Ergo ABCDE : *abcde* = $AB^2 : ab^2 = BC^2 : bc^2 = CD^2 : cd^2 = DE^2 : de^2 = EA^2 : ea^2$ (§. 167 *Arithm.*). *Q. e. d.*

SCHOLION.

407. *Eodem modo oſtenditur, figuras rectilineas ſimiles eſſe in ratione duplicata diagonalium ex angulis æqualibus* A *&* a *ductarum, vel linearum aliarum quarumcunque eodem modo intra eas determinatarum* (*§.* 405).

THEOREMA LXXXV.

408. *Circuli & figuræ ſimiles ipſis inſcriptæ vel circumſcriptæ ſunt inter ſe ut quadrata diametrorum.*

DEMONSTRATIO.

Ponamus deſcribi duos circulos & iis circumſcribi quadrata, omnia utrobique eodem modo determinabuntur (*§.* 119 & 357). Sunt ergo figuræ utræque inter ſe ſimiles (§. 128). Cum adeo utrobique eadem ſint, per quæ diſtingui debent (*§.* 24 *Arithm.*); quadrata circulis circumſcripta ad ſuos circulos eandem rationem habere debent (§. 132 *Arithm.*). Quamobrem circuli inter ſe ſunt ut quadrata diametrorum (§. 173 *Arithm.*). *Quod erat unum.*

Eodem modo oſtenditur, figuras ſimiles circulis inſcriptas vel circumſcriptas eſſe ut circulos, quibus inſcribuntur vel circumſcribuntur. Sed circuli ſunt ut quadrata diametrorum, *per demonſtrata.* Ergo figuræ ipſis inſcriptæ & circumſcriptæ ſimiles ſunt ut quadrata diametrorum (§. 167 *Arithm.*). *Quod erat alterum.*

Aliter.

Reſolvantur polygona circulis inſcripta ABCDE & *abcde* ex centris F & *f* in △△ ABF, BFC, CFD, & *afb*, *bfc*, *cfd*, &c. erit angulus FAB = *fab* & FBA = *fba* &c. (§. 344. 347), conſequenter △ AFB ∽ △ *afb* (§. 267). Eodem modo patet, eſſe △ BFC ∽ △ *bfc*, △ CFD ∽ △ *cfd* &c. Habemus itaque △ AFB : △ *afb* = $BF^2 : bf^2$, △ BFC : △ *bfc* = $BF^2 : bf^2$ &c. (§. 398). Ergo ABCDE : *abcde* = $BF^2 : bf^2$ (§. 167 *Arith.*), conſequenter cum radii BF & *bf* ſint ut diametri (*§.* 39 *Geom.* & 178 *Arithm.*), polygona ſimilia circulo inſcripta ſunt ut quadrata diametrorum (*§.* 260 *Arithm.*). Et idem eodem modo oſtenditur de polygonis circulo circumſcriptis, cum triangula ſimilia etiam ſint in ratione duplicata altitudinum (*§.* 398), altitudines vero triangulorum, in quæ reſolvitur polygonum circulo circumſcriptum, ſint radii circulorum (*§.* 355). Tab. VI. Fig. 107.

Quodſi

Quodsi jam polygonum circulo inscriptum tot sumatur laterum, donec subtensa a peripheria magnitudine inassignabili differat; polygonum cum circulo idem erit. Unde etiam circuli erunt inter se ut diametrorum quadrata.

COROLLARIUM.

409. Habent ergo circuli rationem duplicatam diametrorum (*§*. 374), adeoque, cum radii sint ut diametri (*§*. 39 *Geom.* & *§*. 181 *Arithm.*), & radiorum (*§*. 260. 259 *Arithm.*).

THEOREMA LXXXVI.

410. *Circulus æqualis est triangulo, cujus basis peripheriæ, altitudo radio æqualis.*

DEMONSTRATIO.

Tab. VIII. Fig. 129. Concipiatur peripheria circuli in partes numero infinitas inter se æquales adeoque infinite parvas divisa; arcus infinite exigui *ab* supra chordam cognominem excessus erit quovis dato minor, seu inassignabilis, adeoque revera nullus. Concipiantur porro ex centro *c* ad extrema arcus infinite parvi *a b* ducti radii *cb* & *ca*: erit angulus *a c b* infinite parvus, adeoque *a* & *b* non different a recto (§. 240), consequenter si *a b* sumatur pro basi, radius *ac* erit trianguli *abc* altitudo (*§*. 228). Cum adeo area circuli resolvatur in istiusmodi triangula numero infinita, quorum altitudo communis est radius *a c*, bases vero junctim sumtæ sunt peripheriæ circuli æquales, *per demonstrata*; erit ille æqualis triangulo, cujus basis peripheria, altitudo radius circuli (§. 401). *Q. e. d.*

SCHOLION.

411. *Hac demonstrandi methodo primus usus est* Keplerus (*a*). *Eam exemplo ejus excitatus* (*b*) *sub nomine* Methodi indivisibilium *magis excoluit* Cavalerius. *Demonstrationem indirectam dedit* Archimedes (*c*) *non contemnendam, quoniam ipsius demonstrandi methodo principia methodi infinitesimalis rigidantur.*

COROLLARIUM I.

412. Sunt igitur circuli in ratione composita peripheriarum & radiorum (*§*. 388). Sed iidem sunt in ratione duplicata radiorum (*§*.409). Quare peripheriæ sunt inter se ut radii (*§*. 159 *Arithm.*)

COROLLARIUM II.

413. Cum adeo sit, ut peripheria circuli unius ad suum radium, ita peripheria alterius cujuscunque ad suum (*§*. 173 *Arithm.*); ratio peripheriæ ad radium seu diametrum (*§*. 39. *Geom.* & *§*. 181 *Arithm.*) in omnibus circulis eadem.

SCHOLION.

414. *Idem etiam hoc modo ostenditur: cum omnes circuli inter se similes sint* (*§*. 134), *per quæ distingui possent, ea eadem sunt* (*§*. 24 Arithm.). *Quoniam itaque per rationem peripheriarum ad diametros distingui possent, siquidem ea in diversis circulis diversa foret* (*§*. 132 Arithm.); *ratio in omnibus eadem esse debet.* Q. e. d.

THEOREMA LXXXVII.

415 *Sector circuli ACD æqualis est triangulo, cujus basis arcus AD, altitudo radius AC.* Tab. VIII. Fig. 133.

(*a*) In Nova Stereometria doliorum vinariorum part. 1. theor. 2. f. B2.

(*b*) Vide præfat. ad Geometriam indivisibilium continuorum nova ratione promotam. p. b 2.

(*c*) In libello de circuli dimensione, prop. 1.

DEMONSTRATIO.

Eadem est, quæ theorematis præcedentis (§. 410).

THEOREMA LXXXVIII.

416. *Polygonum inscriptum minus; circumscriptum majus est circulo. Similiter illius perimeter minor; hujus autem perimeter major est peripheria circuli.*

DEMONSTRATIO.

Tab. VI. Fig. 107. Latera AB, BC, CD &c. polygoni inscripti sunt chordæ arcus cognomines subtendentes (§. 342). Sed chordæ sunt arcubus minores (§. 191). Ergo singula polygoni latera AB, BC, CD &c. sunt singulis arcubus eisdem respondentibus minora, consequenter perimeter polygoni circulo inscripti est hujus peripheria minor (§. 90 *Arithm.*). Et quoniam chordæ totæ intra circulum cadunt: area polygoni parti circuli congruit (§. 9 *Arithm.* & §. 3 *Geom.*), adeoque ipsi æqualis est (§. 161), consequenter polygonum inscriptum circulo minus (§. 20 *Arithm.*). *Quod erat primum & secundum.*

Latera polygoni circumscripti *ab*, *bc*, *cd* &c. tangunt circulum (§. 355) adeoque totæ extra eum cadunt (§. 47), consequenter circulus parti polygoni congruit (§. 9 *Arithm.* & §. 3 *Geom.*). Hinc ipsi æqualis (§. 161), hoc est, circulus polygono circumscripto minor est (§. 20 *Arithm.*). *Quod erat tertium.*

Area polygoni circumscripti est ad aream circuli in ratione composita radii circuli & perimetrorum (§. 401. 410. 388), consequenter ut factum ex radio in perimetrum poligoni ad factum ex radio in peripheriam circuli (§. 159 *Arith.*). Ergo illa ad hanc ut illius perimeter ad hujus peripheriam (§. 181 *Arithm.*). Sed polygonum majus circulo *per demonstr.* Ergo & ejus perimeter major peripheria hujus (§. 149 *Arith.*). *Quod erat quartum.*

THEOREMA LXXXIX.

417. *In triangulo rectangulo ABC quadratum hypothenusæ AC æquale est quadratis laterum AHIB & BCED simul sumtis.* Tab. VIII. Fig. 130.

DEMONSTRATIO.

Ducantur rectæ AE & BF (§. 121), itemque BK ipsi CF parallela (§. 258). Quoniam △ ACE cum quadrato CEDB super eadem basi & inter easdem parallelas (§. 336) existit; hujus dimidium est (§. 391). Ex eadem ratione △ BCF est dimidium parallelogrammi LCFK. Enimvero quia $x=o$ (§. 98. 145), adeoque $x+y=o+y$ (§. 88 *Arithm.*), BC = CE & AC = CF (§. 98); ideo △ ACE = △ BCF (§. 179), consequenter BCED = LCFK (§. 93 *Arith.*). Eodem modo ostenditur, esse AHIB = ALKG. Quamobrem BCED + AHIB = LCFK + ALFG (§. 88 *Arithm.*) = ACFG (§. 86 *Arithm.*). *Q. e. d.*

SCHOLION.

418. *Hoc theorema* Pythagoras *invenit: unde* Pythagoricum *dicitur. Amplissimi per Mathesin universam est usus: ideo ab illius auditoribus* Hecatombe, *hoc est, centum boum sacrificio redemtum fertur.*

COROLLARIUM I.

419. Quadratum construitur duobus aut pluribus datis simul sumtis æquale, si 1°. latera duorum AC & AB jungantur ad angulos rectos (§. 249); 2°. super ducta hypothenusa BC erigatur latus tertii CD perpendiculariter (§. *cit.*) ducaturque hypothenusa BD &c. Est enim $BC^2 = AB^2 + AC^2$ & Tab. VIII. Fig. 131.

BD²

$BD^2 = BC^2 + CD^2$ (§. 417). Ergo $BD^2 = AB^2 + AC^2 + CD^2$ &c.

COROLLARIUM II.

Tab. VIII. Fig. 132. 420. Quodsi AB fuerit $= 1$ & $AC = 1$; erit $CB = \sqrt{2}$. Si porro fiat $AD = CB = \sqrt{2}$; erit $DB = \sqrt{3}$. Si fiat $AE = 2$; erit $BE = \sqrt{5}$. Si fiat $AF = EB = \sqrt{5}$; erit $FB = \sqrt{6}$ & ita porro in infinitum. Omnes adeo radices quadratæ ſurdæ ſunt ad unitatem ut linea recta ad aliam rectam, conſequenter numeri (§. 10 *Arithm.*) iique irrationales (§. 43. 295 *Arithm.*)

COROLLARIUM III.

421. Cum CB ſit diagonalis Quadrati (§. 111); erit ea ad latus AB ut $\sqrt{2}$ ad 1. Sed $\sqrt{2}$ eſt numerus irrationalis (§. 420), adeoque unitati incommenſurabilis (§. 43 *Arith.*), conſequenter diagonalis quadrati eſt lateri incommenſurabilis.

COROLLARIUM IV.

422. Dantur adeo quantitates incommenſurabiles, hoc eſt, quarum nulla datur pars aliquota communis (§. 31 *Arithm.*), conſequenter rationes irrationales (§. 164 *Arith.*). Et hinc patet non repugnare, ut hæ numeris irrationalibus exprimantur (§. 419).

PROBLEMA LVII.

Tab. VIII. Fig. 133. 423. *Datis chorda AB & radio AC invenire chordam arcus dimidii AD.*

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

Quoniam radius CD arcum AB biſecat in D, *per hypoth.* etiam chordam AB biſecat & ad eam perpendicularis (§. 291), adeoque anguli ad A recti ſunt (§. 78). Quare

1. A quadrato radii AC ſubtrahatur quadratum chordæ dimidiæ datæ AE: reſiduum eſt quadratum ipſius EC (§. 417).
2. Ex hoc reſiduo extrahatur radix quadrata (§. 269. *Arithm.*), quæ erit EC.
3. Hæc ex radio DC ſubducta relinquit DE.
4. Addantur quadrata AE & DE, ſumma eſt quadratum DA (§. 417)
5. Inde ergo ſi extrahatur radix (§. 269 *Arithm.*); habetur chorda arcus dimidii AD.

E. gr. Sit radius $AC = 10000$ & AB latus hexagoni: erit AB itidem 10000 (§. 356) & $AE = 5000$.

Quare

$AC^2 =$	100000000	$AE^2 =$	25000000
$AE^2 =$	25000000	$ED^2 =$	1795600
$CE^2 =$	75000000	$DA^2 =$	26795600
$CE =$	8660	$DA =$	5176
$DC =$	10000		
$DE =$	1340		

PROBLEMA LVIII.

424. *Dato latere polygoni regularis inſcripti AB invenire latus circumſcripti FG.* Tab. VIII. Fig. 134.

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

Quoniam FG parallela ipſi AB & DC chordam AB bifariam dividit (§. 355); erit $AE = \frac{1}{2} AB$ & $CE : EA = CD : DG$ (§. 268). Quare ſi ob angulum rectum ad E (§. 291) EC inveſtigetur ut in problemate præcedente; reperietur DG (§. 302 *Arithm.*), cujus duplum eſt latus polygoni circumſcripti FG. Eſt enim $CE : CD = EA : DG$ & $CE : CD = EB : DF$ (§. 268). Cum adeo ſit $EA : DG = EB : DF$ (§. 167 *Arithm.*) & $EA = EB$ *per*

 demonſ-

demonstrata: erit etiam DG=DF (§. 177. *Arithm.*) adeoque FG=2 DG. *Q. e. i. & d.*

E. gr. Sit CD=AB=10000; erit AE=5000 & EC=8660 (§. 423), adeoque DG=5773. Hinc FG=11546.

PROBLEMA LIX.

425. *Invenire rationem diametri ad peripheriam.*

RESOLUTIO.

1. Quærantur per continuam bisectionem latera polygonorum inscriptorum (§. 423), donec perveniatur ad latus arcum quantumlibet exiguum subtendens.
2. Invento hoc latere, quæratur porro latus polygoni similis circumscripti (§. 424).
3. Multiplicetur utrumque per numerum laterum polygoni, ut habeatur perimeter polygoni tam inscripti, quam circumscripti (§. 106).

Erit ratio diametri ad peripheriam circuli major quam ejusdem ad perimetrum polygoni circumscripti; minor vero, quam ejusdem ad perimetrum inscripti (§. 416 *Geom.* & §. 205 *Arithm.*). Differentia vero inter utramque perimetrum cognita, haud difficulter definitur ratio diametri ad peripheriam circuli in numeris prope veris.

Sit e. gr. radius circuli 1 seu (ut latera polygonorum per fractiones decimales exprimere liceat) 1.000, 000, 000, 000, 000,000, 000, 000, 000, 000; reperietur, continua a quadrato bisectione, latus polygoni 1, 073, 741, 824 laterum inscripti vero proxime minus 0.000000000585167231706863871 22 circumscripti autem latus vero itidem proxime majus 0.000000000585167231706863873784. Hinc perimeter circumscripta 6.28318530717958649156537 vero proxime major; inscripta autem 6.283185307179586450 93 vero proxime minor. Cum ergo circuli peripheria intra hos limites contineatur; posita diametro 2.0000000000000000, erit peripheria minor quam 6.2831853071795865, major vero quam 6.2831853071795863. Unde ratio prope vera diametri ad peripheriam ut 10000000000000000 ad 31415926535897932. Compendia calculi tradit *Ludolphus a Ceulen* (a).

SCHOLION. I.

426. *In quadrando circulo ab omni ævo, quo Geometria exculta, desudarunt ingenia præstantissima: perfectam tamen quadraturam in numeris finitis nemo adhuc dedit, utut nostra præsertim ætate ars inveniendi egregie promota fuerit. Rationem tamen diametri ad peripheriam in numeris prope veris dederunt multi:* Archimedes (b) *ea fini excogitavit methodum quadrandi circulum per polygona regularia inscripta & circumscripta, & polygonis 96 laterum usus invenit rationem diametri ad peripheriam esse ut 7 ad 22 fere. Nimirum si diameter 1, perimeter polygoni inscripti reperitur $3\frac{10}{71}$; perimeter vero circumscripti $3\frac{1}{7}$. Ejus vestigiis insistentes posteri rationes propiores investigarunt. Nemo autem plus operæ impendit* Ludolpho a Ceulen (c), *qui tandem reperit, posita diametro peripheriam esse minorem quam 3.14159265358979323846264338327950, sed majorem quam idem numerus, cyphra ultima in unitatem mutata. Enimvero quoniam numeri adeo prolixi praxi parum respondent; in Geometria practica hodie a plerisque assumitur, diametrum*

(a) In libro de circulo & adscriptis conf. Fundamenta Arithmetica & Geometrica lib. 6. probl. 1. p. m. 241. & seqq.

(b) In libello de circuli dimensione prop. 2.

(c) In Zetematum Geometricorum Epilogismo Zetem. 2. p. 92.

trum esse ad peripheriam ut 100 *ad* 314, *vel in circulis majoribus ut* 10000 *ad* 31415: *in qua proportione* Ptolemæus, Vieta, Hugenius *cum* Ludolpho *consentiunt.* Hugenius (*a*) *compendiosiorem monstravit viam; sed pluribus theorematis nixam, quæ in hisce Elementis non demonstrantur.*

COROLLARIUM.

427. Si diameter fuerit 113; erit peripheria 113. 31415 : 10000 (§. 272 *Arithm.*) hoc est 355 quam proxime.

SCHOLION II.

428. *Hæc proportio, quam* Adrianus Metius *tradit* (*b*) *a parente suo inventam & demonstratam* (*c*); *inter omnes, quæ parvis numeris exprimuntur, accuratissima. Quodsi enim numerum* 355 *septem cyphras ad obtinendas fractiones decimales auctum per* 113 *dividas; quotus cum proportione Ludolphina collatus ostendet eam ne quidem* $\frac{3}{10000000}$ *a vera differre.*

PROBLEMA LIX.

429. *Data diametro circuli invenire peripheriam & aream ejus, & data peripheria diametrum.*

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

1. Cum detur ratio diametri ad peripheriam (§. 426. 427); una data, invenietur altera (§. 302 *Arithm.*).
2. Peripheria ducta in quartam diametri partem, habetur area circuli (§. 410. 392).

E. gr. Sit diameter 56: erit

100 — 314 — 56	Periph.	17584‴
56	$\frac{1}{4}$ Diam.	1400
1884		7033600
1570		17584
Per. 17° 5′ 8″ 4‴		Area 24° 61′ 76″ 00‴

(*a*) In inventis de circuli magnitudine prop. 10. p. 15. & prop. 20. p. 40.
(*b*) In Geometria practica part. 1. c. 10. §. 3. p. m. 89.
(*c*) In libello adversus quadraturam circuli Simonis a Quercu conscripto.

COROLLARIUM I.

430. Si diameter 100; peripheria 314 (§. 426), adeoque area circuli 7850 (§. 429). Est vero quadratum diametri 10000 (§. 370): ergo hoc ad aream circuli ut 10000 ad 7850, hoc est, ut 1000 ad 785 (§. 181 *Arithm.*) quam proxime.

COROLLARIUM II.

431. Similiter si diameter 113, peripheria 355 (§. 427), adeoque area circuli $10028\frac{3}{4}$ (§. 429). Est vero quadratum diametri 12769 (§. 370). Ergo hoc ad illam ut 12769 ad $10028\frac{3}{4}$ hoc est, ut 51076 ad 40115 (§. 178 *Arithm.*) consequenter (dividendo per 113) ut 452 ad 355 (§. 181 *Arithm.*), quæ Metiana proportio priori accuratior.

COROLLARIUM III.

432. Area igitur circuli etiam invenitur, si ad 1000, 785 & quadratum diametri; vel ad 452, 555 & quadratum diametri numerus quartus proportionalis quæratur (§. 302 *Arithm.*).

Sit e. gr. diameter 560″, erit quadratum ejus 31° 36′ 00″. Quare

1000 — 31° 36′ 00″ — 785
785

1568000
25088
21952

24° 61′ 76″ Area circuli.

COROLLARIUM IV.

433. Si area circuli minoris GEHF subtrahatur ex area majoris concentrici ADBC; relinquitur annulus ADBCGEHF. Tab. VIII. *Fig.* 135.

PROBLEMA LX.

434. *Data area circuli, invenire diametrum.*

RESOLUTIO.

1. Quæratur ad 785, 1000 & aream circuli datam 246176 numerus quartus

tus proportionalis 313600 (§. 302 *Arithm.*): qui est quadratum diametri (§. 430).

2. Inde extrahatur radix quadrata 560 (§. 269 *Arithm.*), quæ est diameter (§. 236 *Arithm.* & §. 370 *Geom.*.

PROBLEMA LXI.

Tab. VIII. Fig. 133. 435. *Dato radio circuli* AC *una cum ratione arcus* AB *ad peripheriam invenire aream sectoris* ACB.

RESOLUTIO.

1. Quæratur ad 100, 314 & radium AC numerus quartus proportionalis (§. 302 *Arithm.*): qui est semiperipheria (§. 436 *Geom.* & §. 181 *Arithm.*).
2. Quæratur porro ad 180°, arcum datum AB & semiperipheriam inventam numerus quartus proportionalis (§. 302 *Arithm.*): ut habeatur arcus AB in eadem mensura, in qua radius AC datur.
3. Tandem arcus AB ducatur in semiradium.

Factum exprimet aream sectoris (§. 415. 392).

E. gr. Sit radius $6'$; arcus $60°$.

$100 - 314 - 600'''$

$6\ 00$

Semiperiph. $1884|00$

$180 - 1884 - 60$

$60)\ 3 \text{———} 1$

$628''' = AB$

$300 = \frac{1}{2} AC$

Area $18'84''|00| = ACB$

PROBLEMA LXII.

436. *Datis altitudine segmenti* DE *& dimidia basi* EA, *invenire aream ejus.* Tab. VIII. Fig. 133.

RESOLUTIO.

1. Quæratur diameter (§. 328).
2. Describatur circulus (§. 131) & in eo applicetur basis segmenti AB.
3. Ducantur radii AC & BC & ope instrumenti transportatorii investigetur numerus graduum arcus ADB.
4. Dato jam radio AC una cum arcus ADB ad peripheriam ratione, investigetur area sectoris ACB &
5. Ex chorda AB atque altitudinis segmenti DE complemento ad radium EC, area trianguli ACB (§. 392).
6. Hoc denique ex illo auferatur: residuum erit segmentum ADBEA.

E. gr. Sit $AB = 600'''$, $DE = 80'''$; erit $DF = 1205'''$ (§. 313), arcus $AB = 60°$ (§. 152). Ergo area sectoris $ADBC = 18'84''$ (§. 435). Jam $EC = 522\frac{1}{2}'''$ $AE = 300'''$. Quare $\Delta\, ACB = 156756'''$ consequenter segmentum $AEBDA = 31650'''$.

COROLLARIUM.

437. Quodsi segmentum majus BFA quæratur; triangulum BCA sectori BFACB addendum.

SCHOLION.

438. *Ne pro invenienda area sectoris atque segmenti peripheriam investigare opus sit; arcuum gradus atque scrupula tam prima, quam secunda istiusmodi particulis expressa in tabula subsequente exhibere placet, qualium*

Grad.	Part. per.	Min.	Part.per.
1	872	1	14
2	1745	2	29
3	2617	3	43
4	3490	4	58
5	4363	5	72
6	5235	6	87
7	6108	7	101
8	6981	8	116
9	7853	9	130
10	8726	10	145
20	17453	20	290
30	26179	30	436
40	34906	40	581
50	43633	50	727
60	52359	Sec.	Part.per.
70	61086	2	0
80	69813	3	$\frac{1}{2}$
90	78539	4	$\frac{1}{2}$
100	87266	5	1
110	95993	6	1
120	104719	7	$1\frac{1}{2}$
130	113446	8	$1\frac{1}{2}$
140	122173	9	2
150	130899	10	2
160	139626	20	4
170	148353	30	7
180	157079	40	9
360	314159	50	12

lium diameter est 100000. *Constructio tabulæ intelligitur ex resolutione problematis* 61 (*§.* 435): *usus talis est. Sit e. gr. ut in casu problematis citati diameter* 1200''', *arcus* 60°. *Cum* 60 *gradibus in tabula respondeant* 52359 *particulæ diametri; inferatur:*

100000 — 52359 — 1200
1200
―――――
10471800
52359
―――――
628|30800

Est ergo arcus 628''', *ut supra* (*§.* cit.) *eundem reperimus.*

PROBLEMA LXIII.

439. *Parallelogrammum ABEC ex dato puncto D in duas partes æquales dividere.* Tab. VIII. Fig. 136.

RESOLUTIO

Fiat EF=AD & ducatur recta DF: erit ADFC=DBEF.

DEMONSTRATIO.

Ducatur diagonalis AE: erit $o=x$ (§. 156) & ob parallelas AB & EC (§. 102) $y=u$ (*§.* 233). Sed AD=FE, *per constr.* Ergo △ADG=△FGE (§. 252). Est vero △ACE=△AEB (§. 337). Quare ACFG=DBEG (§. 91 *Arithm.*), consequenter ADFC=DBEF (*§.* 88 *Arithm.*). *Q. e. d.*

PROBLEMA LXIV.

440. *Parallelogrammum atque triangulum in partes quotcunque æquales dividere.* Tab. VIII. Fig. 137. 138.

RESOLUTIO.

1. Dividatur basis CD in tot partes æquales, in quot figura dividenda (*§.* 274).
2. In parallelogrammo ducantur rectæ 1 1, 2 2; in triangulo A 1, A 2.

DEMONSTRATIO.

Quoniam parallelogramma A 1 1 C, 1 2 2 1, 2 B D 2 inter easdem parallelas AB & CD existunt (§. 102); eandem altitudinem habent (*§.* 227. 228). Sunt itaque in basium ratione (§. 389), consequenter ob C 1 = 1 2 = 2 D, *per constr.* æquales. *Quod erat unum.*

Cum

Cum ex uno puncto A ad eandem rectam CD perpendicularis nonnisi unica duci possit (§. 213); triangula AC1, 1A2, 2 AD eandem altitudinem (§. 228), adeoque basium rationem habent (§. 389). Sed bases æquales sunt, *per constr.* Ergo & triangula. *Quod erat alterum.*

PROBLEMA LXV.

Tab. VIII. *Fig.* 139. 441. *Figuram rectilineam quamcunque ABCDE in partes æquales dividere.*

RESOLUTIO.

1. Quæratur area figuræ (§. 400) & dividatur in tot partes æquales, in quot figura dividi debet, e. gr. in 3.
2. Area partis, in nostro casu tertiæ, ulterius dividatur bifariam.
3. Area trianguli AED subtrahatur a parte tertia & residuum dividatur per $\frac{1}{2}$AD; erit quotus altitudo trianguli AID priori AED addendum, ut AEDI sit pars tertia figuræ (§. 394).
4. Quare intervallo hujus altitudinis ducatur parallela ipsi AD (§. 258), quæ secabit latus AB in I: quo puncto dato, rectam DI ducere licet, tertiam partem figuræ AIDE abscindentem.
5. Pars tertia dimidia sive sexta totius figuræ dividatur per $\frac{1}{2}$DI, quotus erit altitudo trianguli IKD sextam figuræ partem constituentis (§. 394).
6. Intervallo igitur hujus altitudinis agatur ipsi ID parallela, ut habeatur punctum K (§. 258).
7. Dividatur quoque dimidia pars tertia figuræ per $\frac{1}{2}$KD, ut habeatur altitudo trianguli KLD sextæ itidem parti figuræ æqualis (§. 394).
8. Quare hujus intervallo denuo agatur ipsi KD parallela (§. 258), ut punctum L determinetur ducaturque recta KL, quæ partem figuræ tertiam KIDL resecabit.
9. Si figura in plures quam tres partes resolvenda; eodem modo ulterius procedendum.

E.gr. Sit AD = 516″, AC = 580″, EH = 154″. DG = 315″, BF = 375″; erit AED = 39732″ ADC = 91350 & ABC = 108750 (§. 392.) adeoque area figuræ 239832 (§. 400); ejus pars tertia 79944; pars sexta 39972.

Pars III = 79944
AED = 39732
AID = 40212 (155 + seu 156 fere = IM
$\frac{1}{2}$AD = 258) 258
1441
1290
1512
1290
222

Pars VI = 39972 (151″ = KN.
$\frac{1}{2}$DI = 264) 264
1357
1320
372
264
108

Pars VI = 39972 (139″ = LO
$\frac{1}{2}$DK = 287) 287
11.27
861
26.62
2583
79

SCHOLION I.

442. *Si AED majus tertia e.gr. parte figuræ; ipsam ab illo subtrahi necesse est & residuum erit triangulum a triangulo AED auferendum, ut tertiæ parti figuræ æqualis evadat. Sæpe etiam consultum est, ut prima pars AEDI per duo triangula uti ceteræ determinetur.*

SCHOLION II.

443. *Ubi in charta divisio absoluta; in campo puncta* I, K, L *per quantitatem rectarum* AI, IK & DL *facile determinantur* (§. 126).

Finis Partis Prioris.

ELEMENTA GEOMETRIÆ

PARS POSTERIOR

ELEMENTA GEOMETRIÆ SOLIDÆ PROPONIT.

CAPUT PRIMUM.

De Principiis Geometriæ solidæ.

DEFINITIO I.

444. *Solidum* sive *corpus* est magnitudo tribus dimensionibus prædita, seu extensum in longitudinem, latitudinem atque profunditatem.

DEFINITIO II.

Tab. VIII. *Fig.* 141. 445. Angulus solidus B est plurium quam duarum linearum BA, BC, BF in eodem puncto B concurrentium, nec in eodem plano constitutarum ad omnes inclinatio.

COROLLARIUM I.

446. Ergo angulus solidus B pluribus quam duobus planis in eodem plano non constitutis ABF, FBC, CBA continetur.

COROLLARIUM II.

447. Quoniam adeo tres minimum lineæ ad angulum solidum constituendum requiruntur (§. 445); tres minimum anguli plani ad solidum constituendum necessarii.

SCHOLION I.

448. *Unde etiam* angulus solidus *definitur, quod sit is, qui pluribus quam duobus planis angulis in eodem plano non consistentibus, ad idem tamen punctum constitutis, continetur.*

COROLLARIUM III.

449. Ut anguli solidi sint æquales, angulis planis & multitudine & magnitudine æqualibus ac eodem ordine dispositis contineri debent (§. 15. *Arithm.*).

SCHOLION II.

450. *Suppono scilicet, ut anguli solidi salva quantitate sibi mutuo substitui possint, eos intra se invicem positos congruere debere: quemadmodum etiam* anguli solidi æquales *vulgo definiuntur, quod intra se invicem positi congruant.*

COROLLARIUM IV.

451. Cum anguli solidi distingui nequeant nisi per planos, quibus continentur (§. 448), ubi plani & numero, & magnitudine æquales ac eodem ordine dispositi fuerint, ea coincidunt per quæ a se invicem distingui debent. Sunt ergo similes (§. 24 *Arithm.*), consequenter anguli solidi similes sunt æquales & contra (§. 449).

COROLLARIUM V.

452. Si anguli plani in eodem puncto concurrentes conficiant summam 360 graduum; planum circuli sternunt (§. 41. 59) adeoque solidum angulum non constituunt (§. 446). Quare summa eorum, qui ultra solidum non assurgunt, quatuor rectis seu 360° (§. 144.) minor esse debet.

DEFINITIO III.

453. *Corpus regulare* est solidum planis regularibus & inter se æqualibus terminatum. Reliqua corpora dicuntur *irregularia*.

SCHOLION.

454. *Corpora regularia dicuntur etiam* Platonica, *propterea quod* Plato *in* Timæo *corpora, quæ statuit, simplicia, cœlum puta, ignem, aerem, aquam atque terram cum iisdem comparat.*

COROLLARIUM.

455. Cum quilibet angulus corporis regularis angulis planis & numero, & magnitudine æqualibus contineatur (§. 453), omnes anguli corporis cujuslibet regularis æquales sunt (§. 449).

DEFINITIO IV.

Tab. VIII. Fig. 410. 456. Si figura rectilinea ACB juxta ductum lineæ rectæ AE motu sibi semper parallello feratur, *Prisma* deorsum ABC DFEA describit: & quidem *rectum*, si linea directrix AE fuerit ad planum describens perpendicularis; *obliquum* vero, si ea ad idem fuerit obliqua. In specie *Prisma* dicitur *triangulare sive trigonum*, si planum describens fuerit triangulum; *quadrangulare*, si fuerit figura quadrilatera & ita porro.

COROLLARIUM I.

457. Quodlibet adeo prisma habet duas bases oppositas ABC & EDF æquales & circumcirca terminatur tot parallelogrammis, quot basis latera habet. Est enim AC ipsi ED parallela atque æqualis *per hypoth* Ergo & AE parallela ipsi CD (§. 257), consequenter ACDE est parallelogrammum (§. 102). Et idem eodem modo de ceteris planis lateralibus ostenditur.

COROLLARIUM II.

458. Plana sectionum prismatis basi ACB parallele factarum sunt inter se æqualia. Æquantur enim plano describenti ACB (§. 456 *Geom. &* §. 81. *Arithm.*), ergo & inter se æqualia sunt (§. 87 *Arithm.*).

DEFINITIO V.

459. Si planum describens ABCD fuerit quadratum & linea dirigens AE lateri ejus AB æqualis, atque angulus BAE rectus; *Cubus* describitur. Tab. VIII. Fig. 141.

COROLLARIUM I.

460. Cubus terminatur sex quadratis inter se æqualibus: est enim ABCD = EFGH (§. 459. *Geom.* & §. 81 *Arithm*). Cumque ex eadem ratione AB & EF sint inter se æquales atque parallelæ, & BA ad AE perpendicularis; erit etiam AE ad EF perpendicularis (§. 230), consequenter ABFE quadratum (§. 338), ipsi ABCD æquale (§. 374). Eodem modo ostenditur, reliqua plana terminantia esse quadrata ipsi ABCD æqualia.

COROLLARIUM II.

461. Plana sectionum basi parallele factarum sunt quadrata ipsi æqualia (§. 459 *Geom.* & §. 81 *Arithm.*), consequenter etiam æqualia inter se (§. 87 *Arithm.*).

DEFINITIO VI.

462. Si planum describens IKLM fuerit parallelogrammum; *Parallelepipedum* describitur. Tab. VIII. Fig. 142.

COROLLARIUM I.

463. Plana sectionum basi parallele factarum sunt parallelogramma ipsi æqualia (§. 462 *Geom.* & §. 81. *Arithm*), adeoque & æqualia inter se (§. 87. *Arithm*).

Co-

COROLLARIUM II.

464. Cum LM & NO ſint æquales & inter ſe parallelæ (*§.* 462 *Geom.* & *§.* 81 *Arithm.*) ; etiam MO & LN æquales ſunt & parallelæ (*§.* 257), conſequenter LMNO parallelogrammum (*§.* 102). Eodem modo oſtenditur, plana terminantia reliqua eſſe parallelogramma. Terminatur adeo parallelepipedum ſex parallelogrammis, quorum bina oppoſita inter ſe æqualia ſunt.

DEFINITIO VII.

Tab. VIII. *Fig.* 143. 465. Si circulus AB juxta ductum rectæ AD motu ſibi ſemper parallelo deorſum feratur, *Cylindrus* deſcribitur; *rectus* quidem, ſi recta CF centra baſium C & F jungens, quæ *Axis* dicitur, fuerit ad diametrum DE perpendicularis; *ſcalenus* vero, ſi ad angulos obliquos eidem inſiſtat. Quodſi parallelogrammum rectangulum CBEF circa latus unum CF gyretur; *Cylindrum* deſcribit *rectum.*

COROLLARIUM.

466. Sunt ergo non modo baſes cylindri AB & DE æquales; verum etiam ſectiones baſibus parallelæ ſunt circuli iisdem & inter ſe æquales,

DEFINITIO VIII.

Tab. IX. *Fig.* 144. 467. Si recta quædam KM in peripheria circuli NM ita incedat, ut conſtanter inhæreat puncto fixo K; deſcribetur *Conus* NKM. Recta ex puncto K, qui *vertex* coni dicitur, ad centrum baſis L ducta dicitur *Axis Coni*: qui ſi ad diametrum circuli NM fuerit perpendicularis, *Conus rectus* eſt; ſi vero ad angulos obliquos eidem inſiſtat, *ſcalenus.* Linea deſcribens KM ſeu recta ex vertice in peripheriam baſis ducta vocatur *Latus Coni.* Poſſumus quoque *Coni* geneſin ita concipere, ut circellus infinite parvus, dum motu ſibi ſemper parallelo ita deorſum fertur, ut centrum continuo ſit in axe KL, radius PQ axi KP proportionaliter continuo augeatur. Quodſi triangulum rectangulum KLM circa rectam KL gyretur; *Conus* deſcribitur *rectus.*

COROLLARIUM.

468. Quodſi PQ ipſi LM parallela; per ultimam coni geneſin erit KL : KP = PQ : LM. Quare cum PQ & LM ſint radii circulorum ſibi invicem parallelorum; planum ſectionis baſi coni parallele factæ circulus eſt eadem minor.

SCHOLION.

469. *Ex geneſi ultima coni apparet, in definitionibus geometricis geneticis tanquam entium imaginariorum admitti etiam poſſe miraculoſa. Et quoniam in cono obliquo latus coni non ejuſdem longitudinis in quovis peripheriæ puncto; patet lineam deſcribentem KM, quæ altero ſui extremo peripheriæ* NM *conſtanter adhæret, per punctum fixum K aliqua ſui parte nunc deorſum, nunc ſurſum moveri debere.*

DEFINITIO IX.

470. Si ſemicirculus K juxta diametrum AB gyretur; *Sphæra* deſcribitur, diciturque diameter circuli AB etiam *Diameter* atque *Axis Sphæræ*, centrum C etiam *Centrum Sphæræ.* Tab. IX. *Fig.* 145.

COROLLARIUM.

471. Omnes ergo rectæ ex ſphæræ ſuperficie in centrum ductæ ſunt inter ſe æquales (*§.* 40).

DEFINITIO X.

472. *Pyramis* eſt ſolidum terminatum circumcirca tot triangulis ADC, CDB & BDA in uno puncto D Tab. IX. *Fig.* 146.

 cocuncoëuntibus, quot basis ABC latera habet. Dicitur autem *triangularis*, *quadrangularis*, *quinquangularis* &c. si basis triangularis, quadrangularis, quinquangularis &c.

COROLLARIUM I.

473. Si *ac*, *cb*, *ba*, lateribus AC, CB, BA basis ACB parallelæ ducantur; erit DC : Dc = CA : *ca* = CB : *cb* (§. 268) adeoque CA : *ca* = CB : *cb* (§. 167 *Arithm.*), consequenter cum eodem modo ostendi possit esse CA : *ca* = AB : *ab*, erit triangulum *acb* simile triangulo ACB (§. 207). Quare si pyramis triangularis ACDB secatur plano basi parallelo; planum istud huic simile erit.

COROLLARIUM II.

474. Quoniam pyramis multangularis in tot triangulares resolvi potest, quot sunt latera basis demtis duobus, nempe quadrangularis in duas, quinquangularis in quinque &c. si pyramis multangularis plano basi parallelo secetur, constabit id ex triangulis, quæ singula singulis similia sunt, in quæ resolvitur basis (§. 473), consequenter cum vi demonstrationis primæ problematis 47 (§. 363) pateat, similes esse figuras rectilineas quascunque, quæ ex triangulis similibus eodem ordine inter se junctis componuntur, in quavis pyramide planum sectionis basi parallelum est figura basi similis.

DEFINITIO XI.

475. *Tetraëdrum* est solidum quatuor; *Octaëdrum* est solidum octo; *Icosaëdrum* est solidum viginti triangulis æquilateris & æqualibus comprehensum; *Dodecaëdrum* vero solidum duodecim pentagonis regularibus & æqualibus contentum. Tab. IX. Fig. 147. 148. 149. 150.

DEFINITIO XII.

476. *Inclinatio plani* KEGL *ad planum* ACDB est angulus HFI, quem efficiunt rectæ HF & FI in puncto F ad lineam sectionis EG perpendiculares. Tab. XI. Fig. 151.

DEFINITIO XIII.

477. *Mensura solidi* est cubus, cujus latus perticæ unius, diciturque *Pertica cubica*. Hæc dividitur in *Pedes*, *Digitos*, &c. *cubicos*, hoc est, in cubos, quorum latus pedem, digitum &c. adæquat.

CAPUT II.

De Sectione & Situ Planorum.

THEOREMA I.

Tab. XI. Fig. 175. 478. *Recta lineæ pars quædam AB non est in subjecto plano DE, pars vero BC in sublimi.*

DEMONSTRATIO.

Sit enim, si fieri possit, pars lineæ rectæ AB in plano DE, pars vero altera BC in sublimi. Cum linea recta terminata utrinque produci possit (§. 21); producatur AB in F: erit ergo AB pars rectæ AF. Sed eadem AB est pars rectæ ABC, *per hypoth.* Punctum igitur rectam describens in B mutat directionem, cum & versus F, & versus C progredi valeat, ubi ad B pervenit: quod cum sit absurdum

ſurdum (§. 19), rectæ lineæ quædam pars AB non poteſt eſſe in ſubjecto plano DE, pars vero quædam BC in ſublimi. *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

Tab. XI. Fig. 176. 479. Duæ igitur rectæ ADEB & CDEF ſegmentum commune DE habere nequeunt (§. 478), conſequenter duæ rectæ CAB & CF ſe mutuo non interſecant niſi in uno puncto D.

COROLLARIUM II.

Tab. XI. Fig. 177. 480. Cumque pars rectæ AD eſſet in ſubjecto plano, pars vero BD in ſublimi, ſi trianguli ABC pars ADE eſſet in ſubjecto plano, pars vero DBCE in ſublimi; triangulum ABC erit in eodem plano.

COROLLARIUM III.

Tab. XI. Fig. 178. 481. Et quoniam rectarum BE & DC ſe mutuo ſecantium in A partes AB & AC ſunt crura trianguli ABC; erunt eadem in eodem plano (§. 480). Sed in eodem plano eſt EA, in quo eſt AB, & AD in eodem eſt, in quo eſt AC (§. 478). Ergo lineæ ſe mutuo ſecantes EB & DC in eodem ſunt plano.

THEOREMA II.

Tab. XI. Fig. 179. 482. *Si duo plana ABCD & EFHG ſe mutuo ſecent; erit communis ſectio recta IK.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam rectæ AB & EF ſe mutuo non interſecant niſi in puncto I, nec rectæ DC & GH niſi in puncto K (§. 479); ſi communis planorum ſectio non eſt recta unica, ſed aliquod planum, termini illius plani in punctis I & K coire debent. Ducantur ergo in plano EFHG recta ILK & in plano ABCD recta IMK, quod fieri poſſe patet, ſi ſectio communis planorum ABCD & EFHG non eſt recta unica IK, utut planum ſectionis lineis curvis in punctis I & K coëuntibus terminari ſumas (§. 191). Duæ igitur rectæ ILK & IMK, cum earum extrema in I & K coincidant, totæ in punctis omnibus coincidere debent (§. 170), conſequenter communis ſectio eſſe nequit niſi recta jungens puncta I & K. *Q. e. d.*

THEOREMA III.

483. *Si duæ rectæ AB & CD fuerint in eodem plano, recta EF eas ſecans in G & H erit in eodem plano.* Tab. XI. Fig. 180.

DEMONSTRATIO.

Secet planum aliud planum datum, in quo poſitæ ſunt rectæ AB & CD, in punctis G & H; recta tranſiens per G & H eſt communis ſectio planorum (§. 482). Sed eadem eſt pars lineæ EF (§. 170), quæ duas AB & CD ſecat *per hypoth.* Recta igitur EF eſt in eodem plano, in quo ponuntur duæ AB & CD. *Q. e. d.*

THEOREMA IV.

484. *Si recta IE fuerit perpendicularis ad rectam KL in plano ABCD ductam; erit ea perpendicularis ad rectas omnes MN, OP &c. quæ per punctum E ducuntur.* Tab. XI. Fig. 181.

DEMONSTRATIO.

Concipiamus enim rectam KL, cui IE perpendiculariter inſiſtit, circa punctum E moveri, donec ipſi MN immineat. Quoniam recta KL cum recta MN coincidit (§. 36), IE vero ſitum ad eandem non mutat: erit ipſa IE etiam perpendicularis ad MN. Eodem modo patet, eandem rectam IE etiam perpendicularem eſſe debere ad rectam OP & quamcunque

cunque aliam per punctum E in plano ABCD ductam. *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

485. Recta igitur IE, ad rectam KL in plano ABCD perpendicularis, omnibus rectis per punctum E in eodem plano ductis ad angulos rectos insistit (§. 78).

SCHOLION.

486. *Hinc* linea recta *IE* ad planum *ABCD* perpendicularis *definitur, quod ad rectas omnes lineas in plano ductas, a quibus illa tangitur, angulos rectos facit.*

THEOREMA V.

Tab. XI. Fig. 182. 487. *Si recta IE fuerit ad planum ABCD perpendicularis, & ex E tanquam centro in eodem plano descriptus sit circulus; erunt rectæ IG, IF &c. ab eodem puncto sublimi ad peripheriam ductæ inter se æquales.*

DEMONSTRATIO.

Ducantur ex centro E ad puncta peripheriæ F, G &c. radii EF, EG &c. erit EF=EG (§. 40), cumque anguli FEI & GEI sint recti (§. 485), etiam FEI=GEI §. 145). Quare cum porro sit EI=EI; erit FI=GI (§. 179). *Q. e. d.*

THEOREMA VI.

Tab. XI. Fig. 181. 488. *Ex eodem puncto E ad planum ABCD nonnisi unica perpendicularis EI duci potest.*

DEMONSTRATIO.

Ducatur, si fuerit potest, adhuc alia EQ & per punctum E in plano recta OP: erit cum EQ, tum EI ad eandem rectam OP perpendicularis (§. 486): quod cum sit absurdum (§. 213), ex eodem puncto E nonnisi unica perpendicularis ad planum EI erigi potest. *Q. e. d.*

THEOREMA VII.

489. *Ab eodem puncto I in sublimi dato ad idem planum ABCD perpendicularis nonnisi unica IE demitti potest.* Tab. XI. Fig. 182.

DEMONSTRATIO.

Demittatur enim, si fieri potest, adhuc alia IG. Jungantur puncta E & G in plano recta EG; erit IEG triangulum in eodem plano (§. 480). Duo igitur in triangulo ad basin anguli E & G recti sunt (§. 486): quod cum sit absurdum (§. 218), a puncto I ad planum ABCD nonnisi unica perpendicularis demitti potest. *Q. e. d.*

THEOREMA VIII.

490. *Linea perpendicularis IE est brevissima, quæ a puncto extra planum dato ad idem duci potest.* Tab. XI. Fig. 182.

DEMONSTRATIO.

Ducatur enim recta adhuc alia IG & jungantur puncta E & G in plano recta EG; erit triangulum IEG in eodem plano (§. 480) & angulus ad E rectus (§. 486). Est igitur IE $<$ IG (§. 220). *Q. e. d.*

THEOREMA IX.

491. *Si recta LE duabus rectis FE & HE, vel pluribus FE, HE, IE in eodem puncto E concurrentibus perpendiculariter insistat; erunt duæ illæ rectæ FE & HE vel plures FE HE, & IE in eodem plano ABCD.* Tab. XI. Fig. 183.

DEMONSTRATIO.

Sit enim, si fieri potest, recta EH in plano ABCD & EF in plano LEGK. Erit ergo linea EG cum EH in eodem plano, consequenter LE per-

perpendicularis ad EH insistet ipsi EG ad angulum rectum (§. 485). Sed cum LE etiam ipsi EF sit perpendicularis *per hypoth.* erit etiam angulus LEF rectus (§. 78), consequenter angulus LEF ipsi LEG æqualis (§. 145), pars nempe toti (§. 9 *Arithm.*): quod cum sit absurdum (§. 84 *Arithm.*), rectæ FE & HE, quibus recta LE in puncto E perpendiculariter insistit, in eodem sunt plano ABCD. *Quod erat unum.*

Si plures fuerint rectæ EF, EH, EI &c. quibus recta EL perpendiculariter insistit; patet *per demonstrata*, esse rectas EI & EH, itemque EH & EF in eodem plano ABCD. Sunt igitur & rectæ EI & EF, consequenter omnes rectæ EI, EH & EF in eodem plano ABCD. *Quod erat alterum.*

THEOREMA X.

Tab. XI. Fig. 184. 492. *Lineæ rectæ GE & HF eidem plano ABCD perpendiculares sunt inter se parallelæ; & si una parallelarum GE & HF fuerit ad planum perpendicularis, etiam ad idem perpendicularis erit altera.*

DEMONSTRATIO.

Ducatur recta EF & cum GE perpendicularis sit ad planum ABDC *per hypoth.* insistet ea rectæ EL in plano isto ductæ ad angulos rectos; erit ergo etiam GE perpendicularis ad EF (§. 484). Sumatur EL=EF & moveatur GE juxta ductum rectæ EL, donec in L perveniat, ita ut rectæ EL semper inhæreat ad angulum rectum; erit LI perpendicularis ad EL (§. 78) & ipsi GE parallela (§. 256). Moveatur recta EL cum sua perpendiculari LI, donec ipsi EF congruat (§. 168), consequenter punctum E in F cadat (§. 3). Quoniam LI rectæ EF est perpendicularis *per demonstrata*; ad idem vero punctum F ejusdem rectæ EF nonnisi unica recta perpendicularis esse potest (§. 213); etiam recta LI cadet in rectam FH, atque adeo HF erit ad EF perpendicularis, consequenter HF & GE inter se parallelæ. *Quod erat unum.*

Sint jam GE & HF inter se parallelæ & GE ad planum perpendicularis. Patet, ut ante, si ponatur perpendicularis ad rectam EL, eam etiam perpendicularem esse debere ad EF. Ad eandem EF igitur etiam perpendicularis est HF (§. 230), consequenter HF perpendicularis ad planum ABDC (§. 484. 486). *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM.

493. Rectæ igitur omnes ad rectam EF in plano GEFH perpendiculares etiam ad planum ABDC perpendiculares sunt.

SCHOLION.

494. *Hinc* Euclides planum *definit* ad planum rectum *sive* perpendiculare, *cum omnes rectæ lineæ, quæ communi planorum ABDC & GEFH sectioni EF perpendiculares ducuntur in planorum uno GEFH, rectæ sunt alteri plano ABDC.*

THEOREMA XI.

495. *Rectæ AB & EF, quæ sunt eidem rectæ CD parallelæ, non tamen in eodem cum ipsa plano, sunt inter se parallelæ.* Tab. XI. Fig. 185.

DE-

DEMONSTRATIO.

Ducatur in plano parallelarum AB & CD recta GH ad AB perpendicularis, & ex H perpendicularis HI ad EF in plano parallelarum CD & EF. Jungantur puncta G & I recta GI; erit triangulum GHI in eodem plano (§. 480). Quoniam AG perpendicularis ad GH & EI perpendicularis ad HI *per construct.* erunt etiam AG & EI perpendiculares ad GI (§. 484), consequenter inter se parallelæ (§. 256). *Q. e. d.*

THEOREMA XII.

Tab. X. Fig. 167. 496. *Si duæ rectæ AC & CB fuerint parallelæ duabus rectis DF & FE, etiamsi non sint in eodem plano, anguli, quos comprehendunt, æquales sunt.*

DEMONSTRATIO.

Fiat CB=FE & CA=FD: quoniam CB parallela ipsi FE & CA parallela ipsi FD *per hypothesin*; erit BE ipsi CF & AD eidem CF parallela & æqualis (§. 257), consequenter BE parallela (§. 495) & æqualis (§. 87 *Arithm.*) ipsi AD, ac ideo AB parallela & æqualis ipsi DE (§. 257). Est igitur angulus DFE=ACB (§. 204). *Q. e. d.*

THEOREMA XIII.

Tab. XI. Fig. 186. 497. *Si recta IK duobus planis ABCD & EFGH fuerit perpendicularis, erunt plana inter se parallela.*

DEMONSTRATIO.

Ducatur recta IL in plano ABCD & erigatur ML ad eam perpendicularis, quæ plano EFGH in M occurrit, cumque angulus I rectus sit *per hypoth.* ad IK parallela est (§. 492), consequenter plano EFGH ad angulos rectos insistit (§. 492). Quamobrem si puncta M & K jungantur recta MK, erit angulus K rectus (§. 485), consequenter LM=IK (§. 238). Cum eodem modo demonstretur rectam ex quovis alio puncto plani ABCD ductam ipsi IK parallelam eidem æqualem esse; plana ABCD & EFGH ubivis a se invicem eodem intervallo distare (§. 225) patet. Sunt igitur inter se parallela.

SCHOLION.

498. *Nimirum* planum *ABCD* alteri *EFGH dicitur* parallelum, *perinde ac recta alteri rectæ parallela est* (§. 81), *si ubivis eandem ab eadem distantiam servat.*

THEOREMA XIV.

499. *Si planum ADCB secet duo plana parallela EFGH & IKLM; erunt sectiones AD & BC inter se parallelæ.* Tab. XI. Fig. 187.

DEMONSTRATIO.

Ponamus enim sectiones AD & BC non esse inter se parallelas; ergo continuatæ alicubi concurrent (§. 81. 83). Cum igitur si plana cum ipsis continuentur totæ in iisdem sint (§. 478); ipsa quoque plana EFGH & IKLM concurrent. Parallela igitur non sunt (§. 498): quod cum sit absurdum, sectiones AD & BC planorum parallelorum EFGH & IKLM parallelæ sunt. *Q. e. d.*

THEOREMA XV.

500. *Si duæ rectæ lineæ se mutuo tangentes AC & AB duabus aliis se mutuo tangentibus EG & EF fuerint parallelæ, etiam plana ACDB & EGLF per ipsas ducta erunt parallela.* Tab. XI. Fig. 188.

DE-

DEMONSTRATIO.

Concipiatur AH ad planum EGLF recta, & ex H ducantur HK ac HI rectis EF atque EG parallelæ (§. 258); erunt eædem HK & HI etiam parallelæ rectis AB & AC (§. 495). Perpendicularis igitur AH ad HK etiam perpendicularis est ad AB (§. 230), consequenter planum ABCD parallelum plano EFLG (§. 497). *Q. e. d.*

THEOREMA XVI.

Tab. XI. Fig. 189. 501. *Duæ lineæ rectæ NR & OS a planis parallelis ABDC, EFHG, IKLM proportionaliter secantur, ut nempe sit PR : PN = TS : TO.*

DEMONSTRATIO.

Jungantur puncta sectionum N & O, R & S rectis NO & RS, ducaturque recta OR; erit triangulum NOR & similiter triangulum OSR in eodem plano (§. 480), & PQ parallela ipsi NO, QT vero parallela ipsi RS (§. 499). Est igitur RQ : QO = RP : PN & QR : QO = TS : TO (§. 268), consequenter RP : PN = TS : TO (§. 167 *Arithm.*). *Q. e. d.*

PROBLEMA I.

Tab. XI. Fig. 182. 502. *Ad datum planum ABDC in dato puncto E erigere perpendicularem EI.*

RESOLUTIO.

Ducatur ex puncto E in dato plano ABDC intervallo quocunque EG circulus, & ex centro E erigatur recta EI ea lege, ut punctum I quodcunque a peripheriæ punctis quibuscunque F & G æqualiter distet: erit ea ad planum ABCD in dato puncto E perpendicularis (§. 487).

COROLLARIUM I.

503. Cum triangulum IEG & quodcunque eodem modo determinatum veluti EIF sit rectangulum; evidens est, si crus unum normæ ita ad EG vel EF applicetur, ut vertex anguli recti, quem crura comprehendunt, sit in centro E, fore crus alterum ad planum ABCD in dato puncto E perpendiculare: ut adeo pateat normæ usus in erigendis perpendicularibus ad planum datum in puncto dato.

SCHOLION.

504. *Necesse est ut normæ crura non desinant in aciem tenuem, sed aliquam habeant latitudinem, ut norma ad rectam EG applicata sit ad planum recta, nec oculorum judicium fallat.*

COROLLARIUM II.

505. Quodsi punctum I extra planum detur, norma super plano, erecta huc illucve promovenda, donec crus erectum idem attingat, si e puncto I perpendicularis IE inde demittenda. Quodsi crus normæ brevius sit, quam ut punctum I attingere possit, cum filo ex puncto I extenso idem coincidere debet.

THEOREMA XVII.

506. *Si in plano EFGH uno recta EH est ad planum ABCD perpendicularis, omnis recta IK vel LM ad sectionem HG perpendicularis est ad planum perpendicularis.* Tab. XI. Fig. 190.

DEMONSTRATIO.

Quoniam recta EH est ad planum recta *per hypothesin*, IK vel LM ducatur ipsi EH parallela (§. 258); erit IK vel LM ad HG perpendicularis (§. 230), consequenter eædem IK & LM etiam perpendiculares sunt ad rectas quascunque alias, quæ per puncta K & M in plano ducuntur, veluti ad PQ & RS (§. 484), adeoque ad planum ipsum (§. 486). *Q. e. d.*

SCHOLION.

507. *Coincidit hoc theorema cum corollario theorematis 10 (§. 193): unde definitionem plani perpendicularis ad alterum deduximus.*

THEOREMA XVIII.

Tab. XI. Fig. 191. 508. *Sectio NO duorum planorum EFGH & IKLM ad idem tertium ADCB perpendicularium est ad idem planum perpendicularis.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam planum EFGH ad planum ADCB perpendiculare *per hypoth.* ex puncto O duci poterit in plano EFGH recta ad planum ADCB perpendicularis (§. 507). Eodem modo patet, ex eodem puncto O duci posse rectam intra planum IKLM ad planum ADCB perpendicularem. Quare cum ad idem punctum O eidem plano ADCB nonnisi unica perpendicularis insistere possit (§. 488), communis autem planorum IKLM & EFGH sectio NO nonnisi unica recta sit (§. 482); sectio illa communis NO erit illa perpendicularis, quæ in utroque plano EFGH & IKLM ad planum ADCB duci potest. *Q. e. d.*

THEOREMA XIX.

509. *Plani KLGE ad planum ABDC in omnibus punctis F, f &c. inclinatio eadem.* Tab. IX. Fig. 151.

DEMONSTRATIO.

Erigantur ex punctis F & *f* perpendiculares FH & *fh* in plano ABDC & aliæ FI & *fi* in plano EKLG (§. 212); fiatque HF = *hf* & FI = *fi*, erunt HF & *hf*, itemque FI & *fi* parallelæ (§. 256), consequenter etiam H*h* & I*i* parallelæ ipsi F*f* & H*h* = F*f*, itemque I*i* = F*f* (§. 257), adeoque etiam H*h* parallela ipsi I*i* (§. 495) & H*h* = I*i* (§. 87 *Arith.*). Quoniam itaque HI & *hi* inter se parallelæ atque æquales sunt (§. 257): erunt anguli F & *f* æquales (§. 204), atque adeo inclinatio plani ad idem planum in singulis punctis eadem (§. 476). *Q. e. d.*

CAPUT III.

De Solidorum Constructione.

PROBLEMA II.

Tab. VIII. Fig. 141. 142. 510. *Cubum ADCBFEHG vel parallelepipedum IKMLNOPQ in plano describere.*

RESOLUTIO.

1. Construatur pro cubo rhombus DABC (§. 340); pro parallelepipedo rhomboides IKLM (§. 341).
2. Construantur porro pro cubo quadratum AEFB & rhombus BCGF (§. 338. 340), pro parallelepipedo rectangulum LMON, cujus latus LN altitudini æquale & rhomboides MKPO (§. 339. 341).

Cum rhombi pro quadratis, & rhomboides

boides pro rectangulis construantur; ut plana lateralia FBCG & MKPO videri possint; erit solidum AG cubus (§. 459); solidum vero IP parallelepipedum (§. 462).

PROBLEMA III.

511. *Prisma ACBFDE in plano describere.*

RESOLUTIO.

Tab. VIII. Fig. 140. 1. Describatur basis, e. gr. triangulum ACB, si prisma fuerit triangulare.

2. In A excitetur perpendicularis ad AB altitudini æqualis AE (§. 249).

3. Construantur parallelogramma AC ED, BCDF (§ 341).

Erit ACBFDE prisma triangulare (§. 456. 457).

PROBLEMA IV.

Tab. IX. Fig. 146. 512. *Pyramidem DACB in plano describere.*

RESOLUTIO.

1. Describatur basis, e. gr. triangulum ACB, si triangularis fuerit, ita tamen ut latus AB, tanquam a facie aversum, non exprimatur.

2. Super AC & CB construantur triangula ADC & CDB in puncto D coëuntia: seu assumto vel determinato puncto D, ducantur rectæ AD, CD, BD.

Erit ADBC pyramis triangularis (§. 472).

PROBLEMA V.

Tab. IX. Fig. 152. 513. *Rete describere, ex quo cubus construi possit.*

RESOLUTIO.

1. In rectam AB latus cubi quater transferatur.

2. In A erigatur perpendicularis AC lateri cubi AI æqualis (§. 249) & parallelogrammum ACBD compleatur (§. 339).

3. Intervallo lateris cubi determinentur quoque in CD puncta K, M & O.

4. Denique ducantur rectæ IK, LM, NO & BD, producanturque IK & LM utrinque in E & F atque in G & H, donec fiat EI = IK = KF & GL = LM = MH & agantur rectæ EG, FH.

DEMONSTRATIO.

CK & AI ad AC perpendiculares sunt *per constr.* & AI = CK = AC, *per constr.* Ergo ACKI quadratum (§. 338). Non absimili modo ostenditur esse IKML, MLNO &c. quadrata ipsi AK æqualia. Est itaque ADFG rete, ex quo cubus construi potest (§. 460). *Q. e. d.*

PROBLEMA VI.

514. *Rete describere, ex quo parallelepipedum construi potest.* Tab. IX. Fig. 153.

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

1. In rectam BD transferatur ex B in H latitudo, ex H in I longitudo, ex I in K iterum latitudo, & ex K in D longitudo parallelepipedi.

2. Super his lineis tanquam basibus construantur parallelogramma AH, EI, FK & GD, quorum communis altitudo AB altitudini parallepipedi æqualis.

3. Super EF vero & HI construantur parallelogramma EM & HO, quorum altitudo EL & HN latitudini parallepipedi æqualis (§. 339).

Quoniam AEBH = GFIK, EHIF = GCKD, ELMF = HNOI (§. 383); ex hoc reti parallelepipedum construere licet (§. 463. 464). *Q. e. f. & d.*

PROBLEMA VII.

515. *Rete pro prismate describere.*

RESOLUTIO.

Tab. IX. Fig. 154. 1. Construatur basis prismatis e. gr. pro triangulari triangulum KBD.

2. Continuetur latus BD in A & E, donec fiat AB=BK & DE=DK.

3. Super AB, BD & DE construantur parallelogramma AG, BH, DF, quorum altitudo AC altitudini prismatis æqualis (§. 339).

4. Denique super GH triangulum GIH, ipsi BKD æquale (§. 205).

Ex hoc reti prisma triangulare, nec absimili modo multangulare quodcunque construetur (§. 457).

THEOREMA XX.

Tab. IX. Fig. 155. 516. *Superficies cylindri recti seclusis basibus æqualis est rectangulo sub peripheria & altitudine cylindri.*

DEMONSTRATIO.

Concipiatur arcus EF adeo parvus ut pro linea recta haberi possit, ducanturque rectæ EG & FH inter se parallelæ & ad EF perpendiculares. Quoniam etiam arcus EF ipsi GH parallelus (§.465); erit EGHF rectangulum. Superficies itaque cylindri in innumera rectangula, ipsi EFHG æqualia resolvitur, quorum communis altitudo est EG seu altitudo cylindri (§. 229), bases vero junctim sumtæ peripheriæ æquantur. Ergo eadem æqualis est rectangulo sub peripheria & altitudine cylindri (§. 389). *Q. e. d.*

SCHOLION.

517. *Nimirum arculus in quolibet casu tam exiguus assumitur, ut, si ejus differentia multiplicari supponatur per numerum partium, in quas peripheria concipitur divisa, prodeat particula in dato casu inassignabilis, adeoque contemptibilis parvitatis: quod fieri posse patet, quod polygonum circulo inscriptum continuo appropinquat ad peripheriam. Et idem tenendum est in aliis casibus, ubi de infinite parvo sermo fuerit. Sed ex instituto ea de re dicimus in philosophia prima.*

PROBLEMA VIII.

518. *Rete pro cylindro describere.*

RESOLUTIO.

1. Eadem diametro describantur circuli AB & CD.

2. Inveniatur horum peripheria (§. 429). Tab. IX. Fig. 156.

3. Super BC altitudini cylindri æquali construatur rectangulum (§.339), ita ut CD sit peripheriæ inventæ æqualis.

Ex hoc reti construi potest cylindrus (§. 517).

THEOREMA XXI.

519. *Superficies coni recti seclusa basi æqualis est triangulo, cujus basis peripheria, altitudo latus coni.* Tab. IX. Fig. 157.

DEMONSTRATIO.

Si arcus LM infinite parvus adeoque a recta non differens; triangulum KLM pro rectilineo recte habetur, cumque angulus K sit infinite parvus; anguli L & M a rectis non differunt (§. 240), estque adeo KM ad LM perpendicularis (§. 78), consequenter trianguli KML altitudo (§. 228). Sed coni recti superficies in innumera istiusmodi triangula inter se æqualia resolvitur (§. 467. 251). Ergo integra coni recti superficies æqualis est triangulo, cujus altitudo lateri, basis peripheriæ coni æqualis (§. 389). *Q. e. d.*

COROL-

COROLLARIUM.

520. Superficies coni recti æquatur sectori circuli latere coni tanquam radio descripti, cujus arcus peripheriæ coni æqualis (§. 415), adeoque ad suam peripheriam eam rationem habet, quam diameter basis ad latus coni (§. 412 *Geom.* & §. 167 *Arithm.*).

PROBLEMA IX.

521. *Rete pro pyramide describere.*

RESOLUTIO.

Tab. IX. Fig. 158. Sit e. gr. construenda pyramis triangularis.

1. Radio AB describatur arcus BE & ei applicentur tres chordæ BC, CD & DE inter se æquales.
2. Super DC construatur triangulum æquilaterum DFC ducanturque rectæ AD & AC.

Ex hoc reti pyramis construi potest (§. 472).

SCHOLION.

522. *Si latera basis pyramidis DC, CF & DF inæqualia fuerint; evidens est fieri debere ED = DF & CB = CF. Nec adeo latet, quid facto opus sit, si basis fuerit polygonum sive regulare, sive irregulare.*

PROBLEMA X.

523. *Rete pro Cono recto describere.*

RESOLUTIO.

Tab. XI. Fig. 159.

1. Diametro basis AB describatur. Circulus & diameter producatur in C, donec AC lateri coni æqualis fiat.
2. Quæratur ad 2 AC & AB in numeris determinatas, atque 360° numerus quartus proportionalis (§. 302. *Arithm.*).
3. Radio CA ex centro C describatur arcus DE & ope instrumenti transportatorii fiat angulus DCE, consequenter arcus DE (§. 54) numero graduum invento æqualis.

Erit sector CDE cum circulo AB rete pro cono recto (§. 520).

COROLLARIUM.

524. Quodsi ex A in F transferatur latus coni truncati & radio CF arcus GH describatur, tandemque ad 360°, numerum graduum arcus GH atque FC numerus quartus proportionalis quæratur & inde diameter circuli IF determinetur; habebitur rete pro cono truncato. Est enim CDBAE rete pro cono integro, CGFIH pro cono abscisso (§. 523): ergo DBEHIG pro truncato.

PROBLEMA XI.

525. *Rete pro Tetraëdro describere.*

RESOLUTIO.

1. Construatur triangulum æquilaterum DEF (§. 198). Tab. IX. Fig. 160.
2. Super singulis ejus lateribus construantur adhuc alia itidem æquilatera DAE, EBF & FCD (§. *cit.*).

Ex hoc reti tetraëdrum construi potest (§. 475).

COROLLARIUM.

526. Quodsi BC continuetur in H, donec fiat CH = FC, & ut in resolutione problematis construantur triangula æquilatera CHI, CGH, HLI, DCI (§. 198); ex reti octaëdrum construi potest (§. 475). Tab. IX. Fig. 161.

PROBLEMA XII.

527. *Rete pro Icosaëdro describere.*

RESOLUTIO.

1. Construatur triangulum æquilaterum ABC (§. 198). Tab. X. Fig. 162.
2. In basi AB continuata fiat AB=BF =FG=GH=HD.
3. Per C agatur ipsi AB parallela CE (§. 258) & fiat AB=CI=IK=KL =LM=ME.

 4. Ducan-

4. Ducantur rectæ CS per C & B, NT per I & F, OV per K & G &c.
5. Similiter ducantur aliæ rectæ YO per B & I, SP per F & K, TQ per G & L &c.

Dico ex hoc reti construi posse Icosaedrum.

DEMONSTRATIO.

Demonstrandum est, viginti triangula ACB, ABY, CBI, CIN, BSF, BIF, IOK &c. æquilatera & inter se æqualia esse (§. 475): id quod sequenti ratione patescit. Quoniam CE parallela ipsi AD *per construct.* & AC ipsi BI (§. 257); erit $o = x$ & $m = n$ (§. 233), consequenter CAB=& ∽ CBI (§. 251). Eodem modo ostenditur esse CBI=& ∽ BIF=& ∽ FIK &c. Porro quoniam CI & BF sunt inter se æquales atque parallelæ *per constr.* erit NT parallela ipsi CS (§. 257), adeoque $y = u$ & $t = o$ (§. 233), consequenter CIN=& ∽ CBI (§. 251). Eodem modo ostenditur esse CBI=& ∽ IOK=& ∽ KPL &c.=& ∽ BSF =& ∽ FTG &c. Sunt itaque omnia triangula inter se æqualia & æquilatera. *Q. e. d.*

PROBLEMA XIII.

Tab. X. Fig. 163. 528. *Rete pro dodecaëdro describere.*

RESOLUTIO.

1. Describatur pentagonum regulare (§. 352).
2. Applicata regula ad A & D ducantur rectæ AG & DF ipsi AB æquales.
3. Eodem modo ducantur AI & CH, BL & DK, BN & EM &c.
4. Intervallo lateris pentagoni fiat intersectio in Q ex G & L, in R ex N & O, in S ex H & F &c. ducanturque GQ & QL, NR & OR, HS & FS &c.
5. Eodem modo construantur pentagona reliqua a, b, c, d, e, f.

DEMONSTRATIO.

Demonstrandum est pentagona omnia esse regularia ipsique ABCDE æqualia (§. 475). Nimirum AB=GA= BL=GQ=QL, *per constr.* Cumque anguli x mensura sit arcus dimidius ABCD (§. 324), anguli vero pentagoni E similiter sit mensura dimidius arcus ABCD (§. 314); erit angulus x angulo pentagoni E æqualis (§. 141). Et quoniam eodem modo ostenditur, esse quoque angulum u angulo pentagoni æqualem; erit ABLQG pentagonum regulare (§. 352), idque, ob latus commune AB, ipsi AEDCB æquale (§. 177. 161). Eadem demonstratio cum de reliquis pentagonis valeat; evidens est, omnia & regularia, & inter se æqualia esse. *Q. e. d.*

PROBLEMA XIV.

529. *Corpora Geometrica construere.*

RESOLUTIO.

1. Delineentur retia in charta ex pluribus foliis compacta (§. 511 & seqq.).
2. Delineata exscindantur, resecta charta superflua juxta eorum perimetros.
3. Exscissa agglutinentur chartæ coloratæ.
4. Hujus superfluum ita resecetur, ut partibus perimetri alternis margines quidam relinquantur, quemadmodum in reti tetraëdri indicavimus. Tab. IX. Fig. 160.

5. Sin-

5. Singula retium intra perimetrum lineamenta, e. gr. EF, FD & DE in reti tetraëdri, ſcalpello profundius imprimantur, ut commode complicari queant latera perimetri ſolidi.
6. Denique retia complicentur & marginum ope conglutinentur.

THEOREMA XXII.

530. *Cubus, Tetraëdrum, Octaëdrum, Dodecaëdrum & Icoſaëdrum ſunt corpora regularia, nec præter hæc quinque aliud poſſibile.*

DEMONSTRATIO.

Cubus ſex quadratis, tetraëdrum quatuor, octaëdrum octo, icoſaëdrum viginti triangulis regularibus, dodecaëdrum denique duodecim pentagonis regularibus inter ſe æqualibus terminatur (§. 460. 475). Sunt igitur hæc corpora regularia (§. 453). *Quod erat unum.*

In tetraëdro tres, in octaëdro quatuor, in icoſaëdro quinque anguli plani trianguli regularis ad ſolidum efficiendum concurrunt (§. 523. 524. 525). Quoniam vero ſumma 6 iſtiuſmodi angulorum eſt 360° (§. 243); triangulis regularibus nullum corpus præter illa tria contineri poteſt (§. 452). In cubo tres anguli quadrati ſolidum efficiunt (§. 511). Quare cum ſumma quatuor iſtiuſmodi angulorum ſit 360° (§. 98. 144); quadratis nullum corpus continetur niſi cubus. In dodecaëdro tres anguli pentagoni regularis ſolidum conſtituunt (§. 526). Quia vero ſumma quatuor eſt 432°, & ſumma trium in reliquis figuris regularibus 360° major (§. 345), ad angulum vero ſolidum conſtituendum minimum tres plani requiruntur (§. 447); pentagonis regularibus nonniſi dodecaëdrum, figuris vero plurium laterum nullum corpus terminari poteſt. Corpora igitur regularia nonniſi quinque ſunt. *Quod erat alterum.*

CAPUT IV.

De Dimenſione Solidorum.

531. *Superficiem ac ſoliditatem Cubi determinare.*

RESOLUTIO.

I. Cum ſuperficies cubi ex ſex quadratis æqualibus componatur (§. 460); latus cubi in ſeipſum ducatur & factum per 6 multiplicetur (§. 370).

Tab. X. Fig. 164. II. Quodſi idem factum in latus ducatur: prodibit ſoliditas cubi.

Sit e. gr. latus cubi AB 2° 7′ 4″.

```
  AB = 274              Baſis = 75076
       274                 AB = 274
  ---------             -----------
      1096                  300304
     1918                  525532
     548                  150152
  ---------             -----------
ABDC = 75076       Solidit. 20570824
         6
  ---------
Superfic. 450456
```

DEMONS-

DEMONSTRATIO.

Tab.X. Fig. 164. Cum menſuræ ſolidorum ſint cubi, quorum latera perticæ, pedi, digito &c. æqualia (§. 477); ſoliditatem cubi determinaturus invenire debet, quot perticæ, pedes, digiti &c. cubici in eo contineantur. Quodſi jam latus in partes quotcunque æquales diviſum concipiamus, tot erunt cuborum ordines, quot in latere AB partes & in quolibet ordine totidem exiſtent, quot in baſi ACFE quadrata. Quare ſi baſin ACFE, hoc eſt, factum ex latere cubi in ſeipſum (§. 370), per latus cubi AB multiplices; prodibit numerus cuborum minorum, ex quibus major componitur. *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

532. Si latus cubi fuerit 10, erit ſoliditas 1000: ſi illud 12, hæc 1728. Quare cum pertica Geometrarum ſit 10 pedum, pes 10 digitorum &c. (§. 25); pertica cubica eſt 1000 pedum cubicorum, pes cubicus 1000 digitorum cubicorum &c. Hinc in exemplo noſtro ſoliditas cubi eſt 20° 570′ 824″. Similiter cum pertica Rhenana ſit 12 pedum, pes 12 digitorum; pertica cubica eſt 1728 pedum, pes cubicus 1728 digitorum. Quare ſi in noſtro exemplo 20570824 dividas per 1728, quotus erit 11904′ & 712″. Quodſi 11904′ porro dividas per 1728; quotus erit 6° & 1536, adeoque habebis 6°, 1536′ & 712″.

SCHOLION.

533. *Patet adeo, quantum diviſio menſuræ in 10 partes præſtet diviſione in 12.*

COROLLARIUM II.

534. Cubi ſunt in ratione triplicata laterum (§. 259 *Arithm.*) & æquales, ſi latera æqualia ſint.

THEOREMA XXIII.

535. *Parallelepipeda, Priſmata & Cylindri, quorum baſes & altitudines æquantur, æqualia ſunt.*

DEMONSTRATIO.

Concipiantur hæc corpora planis eorum baſibus parallelis ſecari in diſcos craſſitiei quantumlibet exiguæ. Quoniam altitudines æquantur, *per hypoth.* ex uno tot diſci prodibunt, quot ex altero. Cumque plana ſectionum baſi parallelarum eidem æqualia (§. 463. 456. 466); baſes vero illorum corporum inter ſe æquales ſunt, *per hypoth.* etiam diſci ſinguli unius corporis diſcis ſingulis alterius æquantur (§. 87 *Arith.*), conſequenter cum diſci omnes ſimul ſumti cum corporibus idem ſint, corpora tota inter ſe æqualia ſunt (§. 88 *Arithm.*). *Q. e. d.*

PROBLEMA XVI.

536. *Metiri ſuperficiem ac ſoliditatem parallelepipedi.*

RESOLUTIO.

1. Quæratur area parallelogrammorum ILMK, LMON & OMKP (§. 375. 387). Tab. VIII. Fig. 142.
2. Addantur in unam ſummam & hæc multiplicetur per 2. Erit factum ſuperficies parallelepipedi (§. 464).
3. Quodſi baſis ILMK multiplicetur per altitudinem; prodibit ſoliditas ejusdem.

Sit e. gr. LM = 36′, MK = 15′, MO = 12′ & parallelepipedum rectangulum.

LM = 36	LM = 36	MK = 15
MK = 15	MO = 12	MO = 12
180	72	30
36	36	15
LIKM 540	LMON 432	MOKP 180
MO = 12	LIKM 540	
1080	MOKP 180	
54	1152	
	2	
Solid. 6° 480′	2304′ Superficies.	

DEMONSTRATIO.

De parallelepipedo rectangulo eadem valet demonſtratio, qua in probl. 15 (§. 531) uſi ſumus. Cum vero obliquangulum æquetur rectangulo ſuper eadem baſi & ejuſdem altitudinis (§. 535); ducta baſi in altitudinem habetur quoque ſoliditas obliquanguli. *Q. e. d.*

THEOREMA XXIV.

537. *Planum diagonale AHFD dividit parallelepipedum ABDCEFG in duo priſmata ADCEFH & ADBFGH inter ſe æqualia.*

DEMONSTRATIO.

Tab. X. Fig. 165. Diagonalis AD dividit parallelogrammum CABD in duo triangula æqualia ACD & DBA (§. 337). Habent ergo priſmata baſes æquales. Quare cum DF perpendicularis ad DB (§. 462), ſit etiam perpendicularis ad DA & DC, adeoque cum ad triangulum ADB, tum ad alterum ADC (§. 492. 494); eadem quoque erit utriuſque altitudo DF (§. 227) & ipſa itidem æqualia ſunt (§. 536). *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

538. Eſt ergo priſma triangulare dimidium parallelepipedi ſuper eadem baſi & ejuſdem altitudinis.

PROBLEMA XVII.

539. *Metiri ſuperficiem ac ſoliditatem priſmatis.*

RESOLUTIO.

1. Quæratur baſis (§. 392. 400. 402) & multiplicetur per 2.
2. Quærantur porro areæ parallelogrammorum priſma circumcirca terminantium & earum ſumma addatur facto antecedenti.

Ita prodibit ſuperficies integra priſmatis (§. 456). Tab. VIII. Fig. 140.

3. Quodſi baſis BAC per altitudinem CD multiplicetur; habebitur ejuſdem ſoliditas.

E. gr. Sit BC = $4^{\circ}3'2''$, AG = $3^{\circ}5'7''$
CD = $8^{\circ}6'9''$.

$\frac{1}{2}$BC = 216″
AG = 357

1512
1080
648

Baſis 77112″

CD = 869

694008
462672
616896

$67^{\circ}010'328''$ Solidit.

AC = 432″
CD = 869

3888
2592
3456

ACDE 375408
3

1126224
2 ABC 154224

Superfic. $128^{\circ}04'48''$

DEMONSTRATIO.

Priſma triangulare eſt dimidium parallelepipedi ſuper dupla baſi, ſed ejuſdem altitudinis (§. 539). Quodſi vero dupla baſis, hoc eſt parallelogrammum multiplicetur per altitudinem ſoliditas parallelepipedi prodit (§. 537). Ergo ſi ſimpla, hoc eſt, triangulum per eandem altitudinem multiplicetur; parallelepipedi dimidium, hoc eſt priſmatis ſoliditas habetur. Omnia priſmata reliqua cum in triangularia reſolvi poſſint; eorum quoque ſoli-

ſoliditas prodit, baſi per altitudinem multiplicata. *Q. e. d.*

Scholion.

540. *In exemplo noſtro aſſumſimus, priſmatis baſin eſſe triangulum regulare. Quodſi vero baſis fuerit figura irregularis; parallelogramma lateralia inæqualia ſunt, adeoque area uniuscujusque ſigillatim invenienda.*

Problema XVIII.

Tab. VIII. Fig. 143. 541. *Data diametro AB & altitudine cylindri CF; invenire ſuperficiem ac ſoliditatem ejus.*

Resolutio.

1. Quæratur peripheria baſeos & baſis ipſa (§. 429), hæcque multiplicetur per 2.
2. Peripheria ducatur in altitudinem; quod prodit eſt ſuperficies, ſecluſis baſibus (§. 517).
3. Quare ſi eidem addatur factum antecedens; habebitur ſuperficies integra.
4. Ducatur quoque baſis in altitudinem. Factum erit ſoliditas cylindri.

E. gr. Sit AB = 5° 6′, CF = 24° 6′; erit
peripheria = 17° 5 8 4
CF = 24°600

10550400
70336
35168

Sup. abſque Baſ. 432°56′64″|00
Dupl. Baſ. 492352

Superfic. 481°80′16″

Baſis = 24°61′76″
CF = 2460

14770560
984704
492352

605°592′960″

Demonstratio.

Cum circulus æqualis ſit triangulo, cujus baſis peripheria, altitudo radius (§. 410); cylindrus æqualis erit priſmati triangulari eandem cum ipſo altitudinem & baſin æqualem habenti (§. 520). Ejus ergo ſoliditas habetur, ducta baſi in altitudinem (§. 539). *Q. e. d.*

Theorema XXV.

542 *Pyramides & Coni ſuper eadem baſi & ejuſdem altitudinis ſunt æquales.* Tab. X. Fig. 166.

Demonstratio.

Sit ACB unum e triangulis, quibus terminatur pyramis una; ABD vero unum e triangulis, quibus terminatur altera: ducta EL ipſi AB parallela (§. 258), erit IK=LM (§. 226); adeoque ob CK=DM *per hypoth.* CI=DL (§. 91 *Arithm.*): EF vero & GH erunt latera planorum, quibus ſecantur pyramides baſibus ſuis parallelorum. Jam cum ſit △ CEF ∽ △ CAB & △ DGH ∽ △ DAB (§. 268); erit CI : CK = EF : AB & DL : DM = GH : AB (§. 396). Sed CI = DL & CK = DM, *per demonſtr.* Ergo EF : AB = GH : AB (§. 167 *Arithm.*), conſequenter EF = GH (§. 177 *Arithm.*) Jam ſi pyramides ſecantur planis baſi parallelis, plana ſectionum baſi ſimilia ſunt (§. 474), conſequenter planum, cujus latus eſt EF, erit ad baſin ut EF^2 ad AB^2, & planum, cujus latus eſt GH, erit ad eandem baſin ut GH^2 ad AB^2 (§. 406). Quare cum $EF^2 = GH^2$ *per demonſtr.* planum, cujus latus eſt EF & planum, cujus latus eſt GH, ad baſin eandem rationem habent (§. 168 *Arithm.*), conſequenter

ter plana iſta inter ſe æqualia ſunt (§. 177 *Arithm.*). Igitur & diſci, quantumlibet exiguæ craſſitiei, in eadem a baſi diſtantia inter ſe æquantur. Quoniam itaque ob æquales altitudines *per hypoth.* ex una pyramide tot diſci ſecari poſſunt, quot ex altera; pyramis una alteri æqualis ſit neceſſe eſt (§. 88 *Arithm.*). *Quod erat unum.* Quodſi triangula ACB & ADB fuerint ſectiones triangulares conorum; erunt EF & GH diametri circulorum baſi communi parallelorum (§. 468). Cum adeo circuli iſti æquales ſint (§. 171), eodem quo ante modo demonſtratur, conos æquales eſſe. *Quod erat alterum.*

THEOREMA XXVI.

543. *Priſma triangulare in tres pyramides æquales dividi poteſt.*

DEMONSTRATIO.

Tab. X. Fig. 167. Quoniam planum ACB parallelum plano ADE (§. 456), pyramides ABCF & DFEA habent altitudinem eandem (§. 498) atque baſes ACB & DFE æquales (§. 457). Sunt ergo æquales (§. 543). Similiter cum BEFC ſit parallelogrammum (§. 457), △ CFB = △ BFE (§. 337). Habent adeo pyramides ACBF & BEFA æquales baſes. Quoniam vero hæ baſes in eodem ſunt plano, quod per ſe patet, & verticem communem in A habent, ab eodem vero puncto ſublimi A ad idem planum BEFC nonniſi unica perpendicularis duci poteſt (§. 488); pyramides iſtæ eandem quoque altitudinem habent, conſequenter æquales ſunt (§. 543). Quamobrem tres iſtæ pyramides inter ſe æquantur (§. 87 *Arithm.*). *Q. e. d.*

SCHOLION.

544. *Si ex ligno paretur priſma & debita ratione ſecetur; demonſtratio captui tyronum magis accommodatur. Immo ad bilancem æqualitas ponderum examinari & inde magnitudinis æqualitas colligi poteſt.*

COROLLARIUM I.

545. Pyramis triangularis eſt tertia pars priſmatis ſuper eadem baſi & ejuſdem altitudinis.

COROLLARIUM II.

546. Et quoniam multangulare quodvis in triangularia reſolvi poteſt; quælibet pyramis eſt pars tertia priſmatis ſuper eadem baſi & ejuſdem altitudinis (§. 187. *Arithm.*).

COROLLARIUM III.

547. Quia conus pro pyramide infinitangula haberi poteſt & cylindrus pro priſmate infinitangulo, conus pars tertia eſt cylindri ſuper æquali baſi & ejuſdem altitudinis.

PROBLEMA XIX.

548. *Metiri ſuperficiem ac ſoliditatem pyramidis & coni.*

RESOLUTIO.

Quæratur ſoliditas priſmatis vel cylindri eandem cum pyramide vel cono baſin habentis (§. 540. 542), inventaque per 3 dividatur: quotus erit ſoliditas pyramidis vel coni (§. 547 548).

E. gr. Si ſoliditas priſmatis fuerit 67010328‴, ut in probl. 17. (§. 540); erit ſoliditas pyramidis 22336776‴. Si ſoliditas cylindri fuerit 605592960‴ ut in probl. 18 (§. 542); erit ſoliditas coni 201864320‴.

Superficies pyramidis habetur, ſi tam baſis ABC, quam triangulorum lateralium ACD, CBD, BDA areæ inveſtigentur (§. 392) atque in unam ſummam colligantur. Tab. IX. Fig. 146.

 Coni

Coni denique recti superficies prodit, peripheria baseos in latus ejus dimidium ducta (§. 519) & basi, qui circulus est, eidem addita.

E. gr. Sit diameter coni $NM = 56'$ erit
Tab. IX. Fig. 144. peripheria $17584'''$, basis $246176''$ (§.429). Sit altitudo $KL = 246''$. Quoniam $LM = \frac{1}{2} NM = 28'$ & $KM^2 = KL^2 + LM^2 = 60516 + 784 = 61300$ (§.417) erit $KM = 2475'''$ §.269 *Arithm.*), consequenter superficies coni seclusa basi $2166020''$ & hinc integra $2412196''$.

PROBLEMA XX.

Tab. X. Fig. 168. n. 1. 549. *Metiri superficiem ac soliditatem coni truncati; datis ejus altitudine CH & diametris basium AB & CD.*

RESOLUTIO.

1. Datis diametris basium CD & AB inveniantur peripheriæ (§. 429).
2. Ad quadratum altitudinis CH addatur quadratum semidifferentiæ radiorum AH & ex aggregato extrahatur radix (§. 269 *Arithm.*), ut habeatur latus AC.
3. Semisumma peripheriarum multiplicetur per latus AC.

Sit e. gr. $AB = 8'$, $CD = 6'$, $CH = 10'$, erit $AH = 1'$.

$$\begin{array}{l} 100 - 314 - 8'' \\ \quad\quad\quad\;\; 8 \\ \hline 2512''' \text{ periph. maj.} \end{array}$$

$$\begin{array}{l} CH^2 = 100' \\ AH^2 = \;\;\; 1 \\ \hline AC^2 = 101 \end{array}$$

Ergo $AC = 1005'''$ fere,

$$\begin{array}{l} 100 - 314 - 6'' \\ \quad\quad\quad\;\; 6 \\ \hline 1884''' \text{ Periph. min.} \\ 2512 \text{ Periph. maj.} \\ \hline 4396 \text{ Summa.} \\ \hline 2198 \text{ Semisumma.} \\ 1005 \text{ AC} \\ \hline 10990 \\ 219800 \\ \hline 2208990 \text{ Superfic. coni trunc.} \end{array}$$

DEMONSTRATIO.

Superficies coni truncati relinquitur, si superficies coni minoris ECD a superficie majoris AEB subtrahitur. Sed superficies minoris æquatur triangulo, cujus basis HI peripheria diametro CD descripta, altitudo MK, latus EC; superficies majoris vero triangulo, cujus basis NO peripheria diametro AB descripta, altitudo ML, latus AE (§.519). Cum vero prior sit pars posterioris; illa ex hac subtracta, relinquitur pro superficie coni truncati trapezium parallelarum basium HION, cujus quidem bases HI & NO peripheriis diametris CD atque AB descriptis æquales sunt, altitudo KL vero latus AC existit. Habetur igitur superficies coni truncati semisumma dictarum peripheriarum in AC ducta (§. 400). *Q. e. d.* Tab. X. Fig. 168. n. 1. n. 2.

Demissa ex C perpendiculari CH ad diametrum AB, cum etiam sit axis EF ad eandem in cono recto perpendicularis (§.467), erunt CH & EF parallelæ (§. 492). Quamobrem cum triangulum EAF secet duo plana parallela CD & AB *per hypoth.* erunt semidiametri CG & AF parallelæ (§.499), consequenter CG=HF (§.226) & CH=FG (§. 238). Soliditatem adeo coni truncati inventurus.

1. In-

1. Inferat (§. 268): ut differentia semidiametrorum AH ad altitudinem coni truncati CH, ita semidiameter major AF ad altitudinem coni integri FE, per probl. 33 Arithm. (§. 302 *Arithm.*) inveniendam.
2. Ex hac inventa subducat altitudinem coni truncati GF, ut relinquatur altitudo ablati EG.
3. Quærat soliditatem conorum CED & AEB (§. 549).
4. Denique illam ex hac auferat; residua erit soliditas coni truncati ACDB.

E. gr. Sint omnia, ut ante: erit FE = 40′, & hinc EG = 30′.

Periph. major	2512‴
$\frac{1}{4}$ AB	200
Basis maj.	502400
EF	4000
	2009600000
3	
Conus AEB	$669866666\frac{2}{3}$
Periph. min.	1884‴
$\frac{1}{4}$ CD	$1\frac{1}{2}00$
	94200
	1884
Baf. min.	282600
$\frac{1}{3}$ EG	1000
Con. CED	282600000
Con. AEB	$669866666\frac{2}{3}$
Con.trunc.	$387266666\frac{2}{3}$

THEOREMA XXVII.

550. *Sphæra æquatur pyramidi, cujus basis æqualis superficiei, altitudo autem radio sphæræ.*

DEMONSTRATIO.

Concipiatur superficies sphæræ in quadratula infinite exigua resoluta, quæ a planis non amplius dissident, & ex centro concipiantur ad eorum angulos ductæ rectæ. Evidens est sphæram constare ex innumeris pyramidibus quadratis in centro coëuntibus, quarum altitudines a radiis differunt quantitate inassignabili, hoc est, revera nulla, bases vero simul sumtæ superficiei sphæræ æquantur. Tota igitur sphæra recte habetur pro pyramide, cujus basis superficies, altitudo radius sphæræ. *Q. e. d.*

THEOREMA XXVIII.

551. *Sphæra est ad cylindrum super æquali basi & ejusdem altitudinis ut* 2 *ad* 3. Tab. X. *Fig.* 169.

DEMONSTRATIO.

Si quadratum ABDC cum quadrante DBC & triangulo ADC inscripto circa latus DC gyretur, ipsum quidem cylindrum (§. 465) quadrans hemisphærium (§. 470), triangulum conum (§. 476) describit. Altitudo horum corporum cum eadem sit nempe DC (§. 227); si ea in discos quantumlibet exiguæ crassitiei secentur, numerus eorum in omnibus idem erit. Sit jam EH semidiameter unius disci cylindri; erit EG semidiameter disci respondentis in hemisphærio, EF semidiameter disci in cono. Cum vero hi disci sint circuli, quod ex genesi patet (§. 131); erunt ipsi inter se ut quadrata rectarum EH, EG & EF (§. 408), hoc est, cum sit ob parallelismum EH & CB *per hypoth.* EH=CB (§. 238)=CG (§. 40), atque ob CD:DA=CE:EF (§. 268) & CD=DA (§. 98) EC=EF, ut quadrata rectarum CG, EG & EC. Quare si

 discum

discum coni a disco cylindri subtrahas, relinquitur discus sphæræ (§.417). Idem cum valeat de singulis discis ex reliquis divisionibus emergentibus, soliditas sphæræ relinquetur soliditate coni ex soliditate cylindri subducta. Est vero conus $\frac{1}{3}$ Cylindri (§.547). Ergo sphæra duas ejusdem partes tertias continet. *Q. e. d.*

THEOREMA XXIX.

552. *Cubus diametri est ad sphæram propemodum ut* 300 *ad* 157.

DEMONSTRATIO.

Si diameter sphæræ 100, cubus ejus 1000000 (§. 531) & cylindrus eandem cum sphæra basin & altitudinem habens 785000 (§. 541), consequenter sphæra 1570000 : 3. (§. 551). Est itaque cubus diametri ad sphæram ut 1000000 ad 1570000 : 3, hoc est, ut 300 ad 157 (§. 178 *Arithm.*) *Q. e. d.*

SCHOLION.

553. *Dico cubum diametri esse ad sphæram propemodum ut* 300 *ad* 157. *In demonstratione enim assumitur ratio prope vera diametri ad peripheriam* 100 : 314 (§.426.).

THEOREMA XXX.

554. *Superficies sphæræ est quadrupla circuli radio sphæræ descripti.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam sphæra æqualis est pyramidi, cujus basis est superficies, altitudo radius sphæræ (§.551) superficies ejus habetur, si soliditas per tertiam semidiametri aut sextam diametri partem dividitur (§. 548). Est vero soliditas sphæræ factum ex $\frac{2}{3}$ Circuli maximi in diametrum (§. 551. 541). Quare si hoc factum per $\frac{1}{6}$ Diametri dividas, seu, quod perinde est, primum per diametrum, ut quotus sint $\frac{2}{3}$ circuli maximi, hoc est, circuli circa diametrum sphæræ descripti, (§. 210. *Arithm.*), & deinde per $\frac{1}{6}$ (§. 208. 210 *Arithm.*); erit quotus $\frac{12}{3}$ circuli maximi (§.243 *Arithm.*), hoc est quadruplus circuli maximi (§.223 *Arithm.*). Sed idem est superficies sphæræ, *per demonstrata.* Ergo sphæræ superficies circuli maximi quadrupla. *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

555. Area circuli maximi est factum ex peripheria ejus in quartam diametri partem (§. 429). Ergo quadruplum hujus circuli est factum ex peripheria in diametrum. Superficies ergo sphæræ habetur, peripheria in diametrum ducta, consequenter rectangulo æqualis est, cujus basis peripheria circuli radio sphæræ descripti, altitudo diameter sphæræ (§. 375).

PROBLEMA XXI.

556. *Data diametro sphæræ, invenire superficiem ac soliditatem ejus.*

RESOLUTIO.

1. Quæratur peripheria circuli radio sphæræ describendi (§. 429).
2. Inventa ducatur in diametrum. Factum est superficies sphæræ (§. 556).
3. Hoc si porro multiplicetur per sextam diametri partem; prodibit sphæræ soliditas (§. 550. 540).

E. g. Sit diameter 5600''', erit

Periph. Circuli	17584''''
Diam.	5600
	10550400
	87920
Superf. sphær.	98470400''

Superf.

Superf. Sphær.	984704″ | 00
Diamet.	560″
	59082240
	4923520
	551434240

~~4 5~~ 4
~~551434240~~ (91905706 $\frac{2}{3}$ Sol. Sphær.
~~66666666~~

Aliter.

1. Quæratur cubus diametri 175616000″ (§. 531).
2. Inveniatur porro ad 300, 157 & cubum inventum 175616000″ numerus quartus proportionalis 91905706 $\frac{2}{3}$ (§. 302 *Arithm.*), qui erit soliditas sphæræ (§. 552).

SCHOLION.

557. *Segmenta sphæræ ac sectores inferius in Analysi facilius invenire docemus quam hoc loco fieri poterat.*

PROBLEMA XXV.

558. *Metiri soliditatem ac superficiem quinque corporum regularium.*

RESOLUTIO.

Cubi soliditas investigatur per probl. 15. (§. 539.). Tetraëdrum cum sit pyramis & Octaëdrum pyramis geminata, icosaëdrum vero ex viginti pyramidibus triangularibus, dodecaëdrum ex duodecim quinquangularibus constet, quarum bases in superficie icosaëdri & dodecaëdri sunt, vertices in centro coëunt (§. 472. 475); horum corporum soliditas habetur per probl. 19 (§. 548). Superficies eorundem prodit, si area figuræ unius ex terminantibus ipsa quæratur (§. 392. & 402) & inventa per numerum, a quo corpus denominatur, multiplicetur, nempe pro tetraëdro per 4, pro hexaëdro seu cubo per 6, pro octaedro per 8, pro dodecaëdro per 12, pro icosaëdro per 20 (§. 475).

PROBLEMA XXIII.

559. *Corporis irregularis cujuscunque soliditatem invenire.* Tab. X. Fig. 170.

RESOLUTIO.

1. Immittatur corpus parallelepipedo cavo eique aqua aut arena superfundatur & altitudo aquæ seu arenæ AB notetur.
2. Corpore extracto, observetur denuo aquæ aut arenæ complanatæ altitudo AC.
3. Subtrahatur AC ex AB, ut relinquatur BC.
4. Quoniam corpus irregulare æquatur parallelepipedo, cujus basis ECGF, altitudo BC; ejus soliditas invenietur per probl. 16 (§. 536).

Sit e. gr. AB 8′, AC 5′; erit BC 3′. Sit porro DB 12′, BE 4′; erit soliditas corporis 144′.

SCHOLION I.

560. *Quodsi corpus in aqualiculo istiusmodi commode deponi nequeat, e. gr. si statuam certo loco affixam dimetiri jubeamur; prisma quadrangulare aut parallelepipedum circa ipsum construi debet ex asseribus. Reliqua peragenda sunt ut ante.*

COROLLARIUM.

561. Inveniri ergo potest, quot linearum cubicarum sit aliquod lignum, saxum, metallum aut materia aliqua quæcunque pendens libram unam.

SCHOLION II.

562. *Hinc in usus futuros construi potest Tabula gravitatem diversorum corporum ostendens secundum libras, quas pendit eorum pes cubicus: id quod per praxes hydrostaticas aliis*

PROBLEMA XXIV.

565. *Invenire soliditatem corporis cavi.*

Tab. X. Fig. 171.

RESOLUTIO.

Casus I. Si corpus cavum in numero Geometricorum non contineatur, resolutio eadem, quæ problematis præcedentis (§. 600).

Casus II. Si corpus cavum fuerit parallelepipedum, prisma, cylindrus, sphæra, pyramis vel conus; soliditas primum totius corporis cavitate inclusa, dein cavitatis, quæ eandem cum corpore figuram habere supponitur, per methodos supra traditas (§. 536. 539. 541. 548. 556) inveniatur: hac enim ex ista subducta, relinquitur soliditas corporis cavi.

Sit e. gr. soliditas cylindri cavi ABCD invenienda, sitque diameter totius corporis AB $56''$, longitudo AC $2^{\circ}\ 4'\ 6''$, erit soliditas cylindri inclusa cavitate $605'\ 592''\ 960'''$. Sit diameter cavitatis $500'''$; erit soliditas $482'\ 775''\ 000'''$: quæ ex supra inventa subducta relinquit soliditatem corporis cavi $122'\ 817''\ 960'''$.

CAPUT V.

De Similitudine ac Ratione Solidorum.

THEOREMA XXXI.

564. *Corpora similia sunt, quorum plana terminantia & numero æqualia & similia existunt.*

DEMONSTRATIO.

Cum corpora ex planorum terminantium concursu gigni posse concipiamus; eodem modo determinantur, si plana terminantia & numero æqualia fuerint & similia (§. 119). Sunt igitur & ipsa similia (§. 120). *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

565. Cum in planis similibus anguli homologi sint æquales (§. 175), anguli vero solidi homologi ex concursu planorum homologorum (§. 446) & in corporibus similibus multitudine æqualium oriantur (§. 564); in corporibus similibus anguli solidi homologi æquales sint (§. 449).

COROLLARIUM II.

566. Quoniam in planis similibus latera homologa sunt proportionalia (§. 175); si e. gr. juxta parallelepipedum ABDCEHGF aliud simile *abdcehgf* (quod in tabula non expressimus) poni imaginemur, erit AB : BD = *ab* : *bd* & DB : BG = *db* : *bg*. Quamobrem ex æquo AB : BG = *ab* : *bg* (§. 194 *Arithm.*). Cum adeo sit AB : *ab* = BD : *bd* & AB : *ab* = BG : *bg* (§. 173 *Arith.*); corporum similium longitudines AB & *ab*, latitudines DB & *db*, itemque altitudines BG & *bg* in eadem ratione existunt. Tab. X. Fig. 165.

COROLLARIUM III.

567. Cubus sex quadratis æqualibus terminatur (§. 460). Sunt vero quadrata omnia similia (§. 98. 175). Ergo cubi omnes sunt similes (§. 564).

COROLLARIUM IV.

568. Quoniam corpora regularia planis regu-

regularibus, adeoque fimilibus (§. 106. 175) & ejufdem quidem fpeciei numero æqualibus (§. 530) terminantur; corpora quoque regularia ejufdem fpeciei fimilia funt (§. 564).

COROLLARIUM V.

569. Omnia igitur Tetraëdra, omnia quoque Octaëdra, Dodecaëdra & Icofaëdra fimilia funt (§. 530).

THEOREMA XXXII.

570. *Cylindrorum & Conorum fimilium altitudines funt ut radii bafium; axes funt itidem ut radii bafium & iis fub eodem angulo junguntur.*

DEMONSTRATIO.

Tab. VIII. Fig. 143. IX. Fig. 144. Si Coni & Cylindri fimiles funt, ea in iifdem eadem funt, per quæ a fe invicem difcerni poffunt (§. 24 *Arithm.*). Patet vero Conos & Cylindros non poffe diftingui nifi per rationem axis DF vel KL ad diametrum bafis DE vel NM atque angulum CFE vel KLM, quem efficit axis cum diametro (§. 465. 467). Axes igitur in Conis & Cylindris fimilibus ad diametros bafium eandem rationem habent & ad eas fimiliter inclinantur, feu ad eundem angulum infiftunt. *Quod erat unum.*

Cum in figuris folidis perinde ac in planis (§. 228) altitudo fit recta ex vertice in bafin ad angulos rectos ducta; in Conis & Cylindris rectis axes funt altitudines (§. 465. 467), adeoque patet, *per demonftrata*, altitudines tum effe diametris bafium proportionales. Et quoniam in ceteris altitudines in triangulis rectangulis fubtendunt eofdem angulos obliquos, fub quibus nempe axes ad diametros inclinantur; ideo axibus (§. 252), confequenter etiam diametris bafium (§. 167 *Arithm.*) proportionales funt. *Quod erat alterum.*

THEOREMA XXXIII.

571. *Omnis fphæra eft alteri fimilis.* Tab. IX. Fig. 145.

DEMONSTRATIO.

Omnem femicirculum effe alteri fimilem, patet ex demonftratione theorematis 2 part. 1 (§. 135). Sed fphæra defcribitur femicirculo K circa diametrum AB gyrato (§. 459): omnes igitur fphæræ eodem modo determinantur (§. 119), adeoque fimiles funt (§. 120). *Q. e. d.*

THEOREMA XXXIV.

572. *Omnia prifmata, parallelepipeda, cylindri, pyramides & coni funt in ratione compofita bafium & altitudinum.*

DEMONSTRATIO.

Sunt enim ut facta ex bafibus in altitudines (§. 536. 539. 541. 548. *Geom.* & §. 178 *Arithm.*): ergo in ratione compofita bafium & altitudinum (§. 159 *Arithm.*). *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

573. Quare fi bafes fuerint æquales, altitudinum, fi altitudines, bafium rationem habent (§. 181. *Arithm.*).

COROLLARIUM II.

574. Cylindrorum & Conorum bafes funt circuli (§. 465. 467). Circuli funt in ratione duplicata diametrorum (§. 409). Ergo cylindri & coni quicunque funt in ratione compofita ex fimplici altitudinum & duplicata diametrorum (§. 572); & fi fuerint æque alti, funt ut quadrata diametrorum (§. 573).

COROLLARIUM III.

575. Quare si in cylindris altitudo fuerit diametro basium æqualis; erunt in ratione triplicata diametrorum basium (§. 159 *Arithm.*).

PROBLEMA XXV.

576. *Invenire cubum dato corpori, cujus soliditas inveniri potest, æqualem, vel qui sit ad hoc in data quacunque ratione, e. gr. ut* 3 *ad* 1, *vel ut* 1 *ad* 4.

RESOLUTIO.

1. Investigetur soliditas corporis per problemata *Cap. præc.* tradita.
2. Ex ea vel ejus multiplo aut submultiplo desiderato, e. gr. triplo aut subquadruplo extrahatur radix cubica (§. 282 *Arithm.*), quæ erit latus cubi desiderati (§. 531 *Geom.* & §. 248 *Arithm.*).

E. gr. Sit soliditas cylindri $107^0\ 171'\ 875''$ reperietur latus cubi æqualis $4^0\ 7'\ 5''$.

PROBLEMA XXVI.

577. *Dato corpore, cujus soliditas inveniri potest, invenire dimensiones alterius ipsi æqualis dati generis & altitudinis vel baseos datæ.*

RESOLUTIO.

1. Inveniatur soliditas corporis per problemata *Cap. præc.* tradita.
2. Dividatur per basin datam: quotus erit altitudo in prismatis, parallelepipedis & cylindris (§. 536. 539. 541 *Geom.* & §. 210 *Arithm.*), tertia vero altitudinis pars in pyramidibus atque conis (§. 548 *Geom.* & §. *cit. Arithm.*).
3. Si altitudo detur, soliditas corporis inventa dividatur per eam, ut habeatur basis prismatum, parallelepipedorum & cylindrorum; per tertiam altitudinis partem, ut habeatur basis pyramidum & conorum (§§. *cit.*).
4. Pro parallelepipedis & prismatis triangularibus & quadrangularibus area baseos discerpatur in factores duos, ut habeatur longitudo & altitudo (§. 387. 392. 402. 456. 462), quorum alteruter pro basi triangulari prismatis per 2 multiplicanda (§. 392) & insuper pro multangularis basi alter per numerum laterum dividendus, ut prodeat latus figuræ polygonæ (§. 402).
5. Pro Cylindro & cono ex basi inventa porro quærenda ejus diameter (§. 434).

E. gr. Sit soliditas alicujus corporis $3^0\ 456'\ 978''$. Inveniri debet cylindrus, cujus altitudo $2^0\ 4'\ 6''$. Reperietur basis $1^0\ 40'\ 53''$ fere; diameter $134''$.

THEOREMA XXXV.

578. *Corpora similia, prismata, parallelepipeda, cylindri, pyramides atque coni sunt in ratione triplicata homologorum laterum, itemque altitudinum.*

DEMONSTRATIO.

Sunt enim in ratione composita basium & altitudinum (§. 572). Sed bases sunt in ratione duplicata homologorum laterum (§. 406. 570) & altitudines lateribus basium homologis proportionales sunt (§. 566). Ergo corpora ipsa in ratione triplicata laterum homologorum, itemque altitudinum, existunt (§. 150 *Arithm.*). *Q. e. d.*

THEO-

THEOREMA XXXVI.

579. *Sphæræ sunt ut cubi diametrorum.*

DEMONSTRATIO.

Tab. VI. Fig.* Sit circulo DAEB quadratum GFIH circumscriptum (§. 351). Quodsi semicirculus AEB cum quadrato dimidio AGHB circa axem communem AB in orbem moveatur, ille sphæram, hoc cylindrum describet, cujus altitudo AB diametro basis IH æqualis (§. 470. 465). Quare si ponamus circulum adhuc alium cum quadrato similiter circumscripto; quoniam ex theorematis 2 Part. I. demonstratione constat (§. 135); omnem semicirculum esse alteri similem, & AB ad BH utrobique est ut 1 ad 2, adeoque rectangulum unum alteri simile (§. 175); inde generabitur sphæra & cylindrus alteri similis (§. 119. 120). Cum adeo ea utrobique coincidant, per quæ a se invicem distingui debebat, quod in utroque casu gignitur (§. 24 *Arith.*); erit cylindrus unus ad suam sphæram ut alter ad suam sphæram (§. 132. *Arithm.*), consequenter sphæræ sunt inter se ut isti cylindri (§. 173 *Arithm.*). Habent ergo rationem triplicatam diametrorum (§. 575) hoc est, ut cubi earundem existunt (§. 259 *Arithm.*). Q. e. d.

THEOREMA XXXVII.

580. *Æqualia parallelepipeda, prismata, cylindri, coni & pyramides reciprocant bases & altitudines.*

DEMONSTRATIO.

Si enim hæc corpora fuerint æqualia, facta ex basibus in altitudinem æqualia sunt (§. 536 &c.) Quamobrem altitudo corporis A est ad altitudinem alterius B uti reciproce basis ipsius B ad basin ipsius A (§. 229 *Arithm.*) Q. e. d.

THEOREMA XXXVIII.

581. *Cylindrus, cujus altitudo æqualis est diametro baseos, est ad cubum diametri ut* 785 *ad* 1000. Tab. X. Fig. 172. n. 1.

DEMONSTRATIO.

Si diameter AB 100, erit basis 7850 (§. 429). Et quoniam altitudo DC = AB, *per hypoth.* soliditas cylindri 785000 (§. 541). Sed cubus diametri AB = 1000000 (§. 531). Ergo Cylindrus ad cubum diametri ut 785 ad 1000 (§. 181 *Arithm.*). Q. e. d.

CAPUT VI.

De Stereometria Doliorum.

PROBLEMA XXVII.

582. *Virgulam construere, cujus ope haud difficulter invenitur numerus mensurarum fluidi alicujus, e. gr. vini, cerevisiæ &c, in vase cylindrico contenti.*

RESOLUTIO.

Tab. X. Fig. 272. n. 1. 2.

1. Diameter vasis cylindrici ABDE, uni mensuræ qua ad fluida mensuranda utimur æqualis, AB jungatur lineæ indefinitæ A 7 ad angulos rectos (§. 249).
2. Ex A transferatur in 1 recta A1 rectæ AB æqualis; erit B1 diameter vasis, quod duas mensuras capit, sed eandem cum vase priori altitudinem habet.
3. Fiat A2=B1, erit B2 diameter vasis tres mensuras capientis, sed ejusdem denuo altitudinis cum vase, quod nonnisi unam capit. Eodem modo inveniuntur diametri vasorum capaciorum A4, A5, A6, A7 &c.
4. In unum virgulæ latus transferantur divisiones inventæ A1, A2, A3, A4 &c. in alterum vero altitudo cylindri uni mensuræ æqualis, quoties fieri potest. Ita virgula constructa est.

Aliter.

Diametri A2, A3, A4, A5, A6, A7 &c. etiam per calculum inveniri in numeris & in particulis diametri AB per modum scalæ Geometricæ divisæ (§. 277) centesimis aut millesimis determinari possunt. Sit nempe diameter AB=1000; erit ejus quadratum 1000000. Ex hujus duplo extracta radix quadrata (§. 269 *Arithm.*) erit A2. Si ex triplo, quadruplo, quintuplo &c. radix extrahatur; prodibunt diametri A3, A4, A5 &c. quem in usum constructa est tabula sequens:

Mens.	Diam.	Mens.	Diam.	Mens.	Diam.
1	1.000	17	4.123	33	5.744
2	1.414	18	4.242	34	5.831
3	1.732	19	4.359	35	5.916
4	2.000	20	4.472	36	6.000
5	2.236	21	4.582	37	6.082
6	2.449	22	4.690	38	6.164
7	2.645	23	4.796	39	6.244
8	2.828	24	4.898	40	6.324
9	3.000	25	5.000	41	6.403
10	3.162	26	5.099	42	6.480
11	3.316	27	5.196	43	6.557
12	3.464	28	5.291	44	6.633
13	3.605	29	5.385	45	6.708
14	3.741	30	5.477	46	6.782
15	3.873	31	5.567	47	6.855
16	4.000	32	5.657	48	6.928

DEMONSTRATIO.

Cylindri eandem altitudinem habentes ſunt inter ſe ut quadrata diametrorum (§. 574). Ergo quadratum diametri vaſis duas, tres, quatuor &c. menſuras capientis eſt duplum, triplum, quadruplum &c. quadrati diametri vaſis menſuram nonniſi unam capientis. Quare ſi inde radices extrahantur, habebuntur in reſolutione altera diametri ipſæ (§. 246 *Arithm.*). Quoniam vero in prima AB=A1, erit ipſius B1 quadratum duplum, quadratum ipſius B2 triplum, quadratum ipſius B3 quadruplum &c. quadrati ipſius A1 (§. 417). Unde denuo patet eſſe rectas A2, A3, A4 &c. diametros vaſorum quæſitas. Quodſi itaque has diviſiones ad diametrum vaſis cylindrici applices; illico conſtabit, quot menſuras capiat vas cylindricum eandem cum iſto baſin, ſed altitudinem illius habens, quod unam menſuram capit. Quare ſi porro ope alterius diviſionis in virgula factæ inveſtiges, quoties altitudo unius menſuræ in altitudine vaſis dati contineatur & per hunc numerum diametrum modo inventam multiplices; prodibit numerus menſurarum cavitatem vaſis dati adimplentium. *Q. e. d.*

SCHOLION I.

583. *E. gr. Sit diameter vaſis cylindrici* 8, *altitudo* 12; *erit numerus menſurarum, quas capit* 96.

SCHOLION II.

584. *Altitudo cylindri menſuram unam capientis quo minor aſſumitur, eo diameter baſis fit major. Unde tam ipſa, quam diametri cylindrorum plures menſuras capientium poſtea facilius in ſuas minutias ſubdividuntur.* Bayerus (a) *ſuadet, ut altitudo nonniſi unius digiti aſſumatur.*

SCHOLION III.

585. *Inveniuntur autem diametri vaſorum unam vel plures partes decimas menſuræ capientium, ſi decima vel plures decimæ partes vaſis unam menſuram capientis, dividantur per hujus altitudinem, ut habeatur baſis cylindri circularis* (§. 541): *etenim hac data diameter habetur per probl.* 58 (§. 434). *Eodem modo inveniuntur diametri pro ſcrupulis vaſorum duas & plures menſuras capientium.*

SCHOLION IV.

586. *Quodſi altitudo vaſis conſtanter eadem retineatur, diametri pro menſuris integris earumque partibus decimalibus hac ratione inveniuntur. Sit e. gr. diameter unius menſuræ* 1 *ſeu* 1000 *partium decimalium; erit ejus quadratum* 1000000 : *cujus pars decima* 100000. *Inde extracta radix quadrata* 316 *continet partes decimales diametri unius menſuræ, quæ conveniunt diametro cylindri decimam menſuræ partem continentis, ejuſdem tamen cum cylindro integram menſuram capiente altitudinis. Si ex duplo hujus decimæ nempe* 200000 *radix extrahatur; prodit diameter baſis* $\frac{2}{10}$ *unius menſuræ capientis* 447 *& ita porro. Quodſi quadrato diametri unius menſuræ* 1000000 *adjicias partem decimam* 100000 *& ex ſumma extrahas radicem quadratam* 1.049; *erit ea diameter vaſis, quæ capit* $1\frac{1}{10}$ *menſuræ. Ratio patet per demonſtrationem problematis præſentis. Atque ſic patet, quomodo virgula pithometrica accuratius conſtrui poſſit, ut intervalla inter menſuras integras ſubdividantur in partes decimales.*

(a) *In der vollkommenen Viſierkunſt, c.* 25. *p.* 126.

Diametri pro menſuris integris & earum partibus decimalibus.

		3.0	1.732	6.0	2.449	9.0	3.000
0.1	316	1	1.761	1	2 469	1	3.016
2	447	2	1.788	2	2.489	2	3.033
3	548	3	1.816	3	2.509	3	3.049
4	632	4	1.844	4	2.529	4	3.066
5	707	5	1.871	5	2.549	5	3.082
6	775	6	1.897	6	2.569	6	3.098
7	837	7	1.923	7	2.588	7	3.114
8	894	8	1.949	8	2.607	8	3.130
9	949	9	1.975	9	2.626	9	3.146
1.0	1.000	4.0	2.000	7.0	2.645	10.0	3.162
1	1.049	1	2.025	1	2.664	1	3.178
2	1.095	2	2.049	2	2.683	2	3.194
3	1.140	3	2.073	3	2.702	3	3.210
4	1.183	4	2.097	4	2.720	4	3.226
5	1.225	5	2.121	5	2.738	5	3.241
6	1.265	6	2.145	6	2.756	6	3.256
7	1.304	7	2.168	7	2.774	7	3.271
8	1.342	8	2.191	8	2.792	8	3.286
9	1.378	9	2.214	9	2.810	9	3.301
2.0	1.414	5.0	2.236	8.0	2.828	11.0	3.316
1	1.449	1	2.258	1	2.846	1	3.331
2	1.483	2	2.280	2	2.864	2	3.346
3	1.517	3	2.302	3	2.881	3	3.361
4	1.549	4	2.324	4	2.898	4	3.371
5	1.581	5	2.345	5	2.915	5	3.391
6	1.612	6	2.366	6	2.932	6	3.406
7	1.643	7	2.387	7	2.949	7	3.421
8	1.673	8	2.408	8	2.966	8	3.436
9	1.703	9	2.429	9	2.383	9	3.451

Scholion V.

587. *Ceterum me non monente patet, cylindrorum menſuram hic conſtitui cylindrum, quemadmodum ſupra ſolidorum omnium menſura aſſumtus eſt cubus. Unde & virgula pithometrica ſic conſtructa* virga cylindrica *appellatur. Similiter hic circulorum menſura conſtituitur circulus, ſicuti ſupra omnium ſuperficierum menſura quadratum.*

Problema XXVIII.

588. *Invenire ſoliditatem Dolii, hoc eſt, determinare numerum menſurarum, quas capit.*

Resolutio.

1. Virga pithometrica vi probl. præc. (§. 583) decenter applicata, exploretur tam longitudo Dolii AC, quam utraque diameter GH & AB. Tab.X. *Fig.* 173.
2. Cum experientia non invita, rigore licet Geometrico repugnante, Dolium pro cylindro habeatur, cujus baſis inter fundum & ventrem Dolii media æquidifferens; inter AB & GH quæratur numerus medius æquidifferens (§. 348 *Arithm.*), qui *Diameter æquata* dici ſolet.
3. Numerus inventus multiplicetur per longitudinem Dolii AC, erit factum *vi demonſtrationis problem. præced.* (§. 583) numerus menſurarum, quas capit Dolium.

Sit e. gr. $AB = 8$
$GH = 12$

erit $AB + GH = 20$

$\frac{1}{2}(AB + GH) = 10$

$AC = 15$
$\frac{1}{2}(AB+GH) = 10$

capac. dolii 150 menſ.

Scholion I.

589. *Quodſi contingat, fundum non eſſe perfecte circularem, ſed unam diametrum eſſe altera longiorem, utramque diametrum metiri & earum ſemiſummam pro diametro circuli fundo Dolii æqualis aſſumere ſolent.*

Scholion II.

590. *Tabulæ, ex quibus inter ſe coaſſatis Dolia conſtrui ſolent, ultra fundum prominent. Pro longitudine igitur Dolii non aſſumenda eſt recta FE, ſed AC, quæ habetur, ſi quantitas prominentiæ tabularum una*

una cum ejus dimidio, cui fundi crassities æqualis supponitur, a recta FE utrinque subtrahitur. Solent autem quantitates subtrahendas creta notare utrinque in ipsa superficie Dolii, e. gr. in K, si quantitas subtrahenda fuerit IK. Eum in finem peculiarem virgulam parant, in partes minutas æquales divisam.

SCHOLION III.

591. *Alios decepturi ex tabulis in medio gracilibus, circa extrema crassis & orbibus ligneis pariter crassis Dolium construunt: quæ fraus non facile detegitur.*

SCHOLION IV.

592. *Possemus equidem soliditatem cavitatis Dolii eodem modo explorare, quo supra corpora cava metiri docuimus (§. 563): si enim per soliditatem unius mensuræ divideretur, prodiret dolii capacitas. Enimvero prolixitas calculi obstat, quo minus ea methodo utantur.*

SCHOLION V.

593. *Prostat etiam methodus, qua sine ullo calculo capacitas Dolii invenitur. Utuntur ea in Batavia & variis Germaniæ locis. Sed cum supponat, omnia Dolia esse inter se similia & longitudinem duplam diametri æquatæ, hoc est, semisummæ diametrorum AB & GH; non tuto ubique adhibetur.* Keplerus (a) *illam omnibus reliquis præfert, quia omnes cautelas mensorum in se continet.* Virga enim, *inquit*, introrsum immissa eliminat crassitiem tabularum, circulorum qui vincula sunt, viminumque quibus circuli lignei stringuntur. Eliminat & excessum marginum, quorum in crenis hærent orbes. Hoc autem ratio alia mensurandi una eademque opera præstare nulla potest. *Unde ad privatorum securitatem fraudesque eliminandas suadet*, ut lex illa Dolii construendi, quæ tertia parte longitudinis tabularum jubet describere circulum orbium ligneorum magistratuum autoritate diligentiaque conservetur, pœnisque & proscriptione vasorum, quæ hanc figuram non habent, vindicetur. *Ea nimirum proportio in Doliis Austriacis observatur.*

(a) In Stereometria doliorum vinariorum part. 3. art. 3. f. n. 3.

SCHOLION VI.

594. *Sunt, qui assumunt, Dolium ex duobus conis truncatis componi, & ejus soliditatem per probl. 20 (§. 549) quærunt. Alii cum aliis corporibus Geometricis id comparant.* Clavius (b) *alia pro duobus conis truncatis, alia pro frusto sphæroidis Archimedeæ habet, quoad prius consentiente, quoad posterius vero contradicente* Keplero. (c) Clavio *tamen assentitur* Oughtredus *eumque in finem regulam a se inventam proposuit* (d). Wallisius *pro frustro fusi parabolici habet* (e). *Enimvero cum methodus proposita praxi satis respondeat, reliquæ vero quæ ab Anglis potissimum proponuntur (f), utut ex profundiori Geometria derivatæ, molestiores sint nec ex Elementis Geometriæ demonstrari possunt; illa contenti esse possumus. Pauca attamen adhuc dicemus de Virgæ mensoriæ a* Keplero *tantopere deprædicatæ fabrica.*

PROBLEMA XXIX.

595. *Construere virgulam pithometricam, qua sine calculo capacitatem Dolii explorare licet.*

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

1. Cum vasa pro quibus virga hæc paratur, esse debeant cylindri, quorum altitudo DC æqualis diametro AB, si fiat ut 785 ad 1000 ita soliditas unius mensuræ ad numerum quartum proportionalem, per probl. 29 (§. 302 *Arithm.*) inveniendum; reperietur cubus diametri cylindri unam mensuram capientis (§. 581). Tab. X. *Fig.* 172. n. 1.

2. In-

(b) Geom. pract. lib. 5. c. 10. Tom. II. Oper. f. 145.
(c) In Stereometria part. 2. fol. H. 3.
(d) In Clave Mathematica c. 19. p. m. 103.
(e) In Algebra c. 81. Vol. II. Oper. f. 350.
(f) Vid. The general Gauger by Mr. Dougharty p. 141 & seqq.

2. Inde ergo ſi extrahitur radix cubica (§. 282 *Arithm.*); prodibit diameter vaſis cylindrici menſuram unam capientis.
3. Jam cum vas illud habeat altitudinem AE vel CD diametro AB æqualem & diagonalis BE aſſumatur pro indice capacitatis *per hypoth.* ſi ex duplo quadrati diametri modo inventæ AB extrahatur radix (§. 269 *Arithm.*); prodibit index vaſis BE menſuram unam capientis (§. 417).
4. Ut porro inveniantur diagonales ſimilium vaſorum, quæ capiunt menſuras duas, tres, quatuor &c. tenendum eſt, ea eſſe ut cubos diametrorum (§. 578), conſequenter etiam ob ſimilitudinem triangulorum, quale ABE (§. 183) ut cubos diagonalium (*§. cit. & §.* 260 *Arithm.*). Quare ſi diagonalis vaſis unam menſuram capientis concipiatur in 1000 partes diviſa & ex cubi 1000000000 duplo 2000000000, triplo 3000000000: quadruplo 4000000000 &c. extrahantur radices cubicæ (§. 282 *Arith.*); prodibunt diagonales vaſorum, quæ duas, tres, quatuor &c. menſuras capiunt.
5. Denique longitudo diagonalis primæ transferatur in virgulam & una dividatur in 1000 partes æquales (§. 277): ita enim ex parata hac ſcala particulas milleſimas diagonalibus reliquis competentes in virgulam transferre licet.

Quoniam itaque Dolium in præſente caſu habetur pro cylindro gemino, cujus altitudo æqualis eſt ſemiſummæ diametrorum orbis AB & ventris GH eſtque $FB = \frac{1}{2}(AB + GH)$, adeoque GB diagonalis in cylindro, cujus diameter ſemiſumma diametrorum AB & GH; capacitas ejus ſtatim innoteſcit, ſi per orificium G virgula uſque ad B detrudatur. *Q. e. i. & d.* Tab. X. *Fig.* 173.

SCHOLION I.

596. *Conſtructioni virgulæ itaque inſervit Tabula ſequens.*

Menſ.	Diag.	Menſ.	Diag.	Menſ.	Diag.	Menſ.	Diag.
1	1000	16	2519	31	3141	46	3583
2	1259	17	2571	32	3174	47	3608
3	1442	18	2620	33	3207	48	3634
4	1587	19	2668	34	3239	49	3659
5	1709	20	2714	35	3271	50	3683
6	1817	21	2758	36	3301	51	3708
7	1912	22	2802	37	3332	52	3732
8	2000	23	2843	38	3361	53	3756
9	2080	24	2884	39	3391	54	3779
10	2154	25	2924	40	3419	55	3802
11	2223	26	2962	41	3448	56	3825
12	2289	27	3000	42	3476	57	3848
13	2351	28	3036	43	3503	58	3870
14	2410	29	3072	44	3530	59	3892
15	2466	30	3107	45	3556	60	3914

SCHOLION II.

597. Virgula *hæc* cubica *appellari ſolet*, *quemadmodum præcedens* cylindrica. *Et facile ad alia dolia ſimilia conſtruitur, in quibus longitudo dimidia GF fuerit ad diametrum æquatam FB in quacunque ratione, modo in cylindro unam menſuram capiente altitudo AE ad diametrum AB in eadem fuerit.*

PRO-

PROBLEMA XXX.

598. *Virgam pithometricam construere ad determinandam quantitatem fluidi in Dolio non pleno.*

RESOLUTIO.

1. Assumatur Dolium aqua plenum, cujus capacitas jam cognita & numerus mensurarum e. gr. per 20 aut numerum alium minorem vel majorem dividatur, prout Dolii capacitatem in partes majores vel minores dividi commodum visum fuerit.
2. Dolio beneficio libellæ Q ita collocato, ut axis ejus sit horizonti parallelus, virga per orificium ventris intrudatur, donec fundum Dolii attingat. Tab. IV. *Fig.* 81.
3. Ea quantitate fluidi ex Dolio emissa, quæ numero mensurarum per divisionem paulo ante n. 1. invento respondet, in virgula notetur decrementum altitudinis in fluido, quod exprimit totius capacitatis partem vegesimam.
4. Eodem modo notabis decrementum altitudinis, reliquis particulis vigesimis quantitatis fluidi in Dolio contenti respondens.
5. Horum decrementorum intervallis in una virgulæ facie notatis; altera dividitur in partes quotcunque minuras inter se æquales, ultra vigesimarum intervalla inæqualia continuandas, e. g. in 200 aut plures.

Ita virga pro Dolio non pleno metiendo constructa est.

SCHOLION.

599. *Quodsi in usum domesticum pro eodem Dolio istiusmodi virgulam parare volueris, sufficit decrementorum intervalla in una ejus facie notari, nec opus est faciei alterius in partes æquales divisione. Decrementa quoque altitudinis fluidi notantur numeris, qui quantitati ex Dolio emissæ respondent, e. gr. si integrum Dolium capiat 64 mensuras & una effluxerit, in fine decrementi altitudinis scribitur 63.*

PROBLEMA XXXI.

600. *Determinare quantitatem fluidi in Dolio non pleno.*

RESOLUTIO.

1. Investigetur capacitas totius dolii *per probl.* 28. (§. 588). Tab. X. *Fig.* 173.
2. Dolio libellæ beneficio ita collocato, ut axis ejus sit horizonti parallelus, ne scilicet fluidum in una dolii parte altius sit, quam in altera, virga per problema præcedens (§. 599) parata per orificium Dolii G intrudatur, donec fundum in H attingat.
3. Ea rursus extracta notetur, quot partes in facie æqualium vino madidæ sint.
4. Hinc inferatur: ut numerus partium æqualium in altera virgulæ facie profunditati totius Dolii GH respondentium ad numerum similium partium altitudini fluidi LH convenientium, ita numerus earundem partium, quæ intervallo scrupulorum vigesimorum congruunt, ad numerum quartum proportionalem *per probl.* 33. *Arithm.* (§. 302) inveniendum.

5. Capiatur circino intervallum tot partium æqualium in virga, quot numerus inventus exprimit & transferatur in ſcalam ſcrupulorum vigeſimorum, noteturque eorum numerus, quæ ipſi congruunt.

6. Per hunc dividatur numerus menſurarum, quas Dolium integrum capit: quotus erit numerus menſurarum, quas fluidum in Dolio contentum replere poteſt. *Q. e. i.*

E. gr. ſit GH 160, HL 58, numerus partium æqualium, quæ integro ſcrupulorum vigeſimorum intervallo congruunt, 120, capacitas denique Dolii 128 menſurarum.

Fiat : 160——58——120 12
40) 4 3 3 174(43½
174 44

Ponamus partibus $43\frac{1}{2}$ æqualibus reſpondere in ſcala inæqualium $\frac{4}{20}$ ſive $\frac{1}{5}$. Quodſi itaque 128 per 5 dividas, quotus $25\frac{3}{5}$ numerum menſurarum indicabit, quas fluidum Dolio contentum replere poteſt.

SCHOLION.

601. *Si Dolia omnia eſſent ſimilia per methodum propoſitam ſatis accurate inveniretur quantitas fluidi in dolio non pleno: ſed in diſſimilibus eadem exacte reperiri hac ratione nequit. Nondum antem inventa eſt methodus, & rigori geometrico ſatisfaciens & praxi reſpondens. Quam enim* Keplerus *dedit* (*a*), *ea nec demonſtrativa, nec praxi adaptata. Unde neque ipſi ſatisfacit. Et quamvis aliam poſtea eidem ſubſtituerit* (*b*); *ſatis tamen intricata eſt. Intricatiores adhuc ſunt, quas* Bayerus (*c*) *&* Dougharty (*d*) *tradunt.*

(*a*) In Stereometria Doliorum f. O. 2. b.
(*b*) *In dem Auszuge der uhralten Meſſe-Kunſt* Archimedis §. 88. f. 95.
(*c*) In Conometriæ Mauritianæ c. 9. p. 102. & ſeqq.
(*d*) The General *Gauger* p. 164. & ſeqq.

Finis Elementorum Geometriæ.

ELEMENTA

Fig: Geom: Tab: I.



Fig: Geom: Tab: II.



Fig. Geom. Tab. III.




Fig: 73.
Fig: 74.
Fig: 75.
Fig: 76.
Fig: 77.
Fig: 78.
Fig: 79.
Fig: 80.
Fig: 81.

Fig: Geom: Tab: V.




Fig. Geom. Tab. VI
Fig. 97.
Fig. 98.
Fig. 99.
Fig. 100.
Fig. 101.
Fig. 102.
Fig. 103.
Fig. 104.
Fig. 105.
Fig. 106.
Fig. 107.
Fig. 108.
Fig. 109.
Fig. 110.
Fig. 111.
Fig. 112.
Fig. 113.
Fig. 114.
Fig. *

Fig: Geom: Tab: VII.





Fig. Geom. Tab. VIII.


Fig. Geom. Tab. IX.
Fig. 144.
Fig. 145.
Fig. 146.
Fig. 147.
Fig. 148.
Fig. 149.
Fig. 150.
Fig. 151.
Fig. 152.
Fig. 153.
Fig. 154.
Fig. 155.
Fig. 156.
Fig. 157.
Fig. 158.
Fig. 159.
Fig. 160.
Fig. 161.


Fig. Geom. Tab. X
Fig. 162.
Fig. 163.
Fig. 164.
Fig. 165.
Fig. 166.
Fig. 167.
N.1
N.2
Fig. 168.
Fig. 169.
Fig. 170.
Fig. 171.
N.1
N.2
Fig. 172.
Fig. 173.

Fig. Geom. Tab. XI.



ELEMENTA
TRIGONOMETRIÆ PLANÆ.

PRÆFATIO.

MOMENTI perquam exigui tyronibus videtur Trigonometria, utilitatis prorſus nullius. Enimvero rerum Mathematicarum periti ore unanimi confitentur, quod, ſublata Trigonometria, maxima eorum pars pereat, quæ in Matheſi admiramur. Certe Stellarum magnitudinem, diſtantiam a Terra, motum, Eclipſium tam Solarium, quam Lunarium computum, magnitudinem Globi terraquei & innumera alia prorſus ignoraremus, ſi nobiliſſimæ hujus ſcientiæ auxilio deſtitueremur. Trigonometria igitur pro arte haberi debet, qua maxime abſcondita & a cognitione hominum remota in apricum producuntur. Eam qui neſcit, non magnos in Matheſi mixta ſentiet progreſſus: ſæpius ipſi in Philoſophia naturali hærebit aqua, e. gr. iridis Phænomena ad rationes ſuas revocaturo aliaque meteora emphatica explicaturo. Studium igitur Trigonometriæ addiſcendæ afferatur indefeſſum, nec impatiens ſit mora, donec in partibus Matheſeos ſubſequentibus ineffabilis ejuſdem uſus ex his ipſis etiam Elementis pateſcat.

Fides

Fides oculata impediet, quo minus in poſterum judicia de rerum uſu (quod vulgo plerumque fieri ſolet) præcipitemus. Paucis Problematibus comprehendi, quæ alias per caſus plures diſtribuuntur: In Elementis enim præter neceſſitatem multiplicanda non ſunt, quæ ſpinoſa videntur tyronibus, nec culpatur brevitas, quæ perſpicuitati non officit, memoriæ levamen certiſſimum exiſtit. Cumque Trigonometria etiam in Geometria practica uſum habeat, quam cum Theoretica conjungi conſultum duximus; ideo hunc uſum ſub finem annectere placuit.

ELEMENTA

ELEMENTA TRIGONOMETRIÆ PLANÆ.

CAPUT PRIMUM.

De Constructione Canonis sinuum, tangentium atque secantium tam naturalium, quam artificialium.

DEFINITIO I.

Tab.I. Fig.1. 1. *Trigonometria plana* est Scientia ex tribus trianguli rectilinei partibus inveniendi reliquas.

E. gr. Ex duobus lateribus AB & AC atque angulo A inveniuntur anguli reliqui B & C cum latere tertio BC.

DEFINITIO II.

Tab.I. Fig. 2. 2. *Sinus rectus* AD arcus AE vel AI est chordæ AB arcus dupli AEB vel AIB dimidium. *Sinus totus* est radius HC, seu sinus Quadrantis HE. *Sinus versus* est pars radii ED inter sinum rectum AD & arcum AE intercepta.

COROLLARIUM I.

3. Sinus ergo AD ad radium EC perpendicularis (§. 291 *Geom.*): consequenter sinus omnes eidem radio insistentes inter se paralleli (§. 256. *Geom.*)

COROLLARIUM II.

4. Quoniam arcus AE est mensura anguli ACE, & AI ejus contigui ACI (§. 57. *Geom.*); quadrans vero HE mensura anguli recti (§. 145. *Geom.*): AD etiam sinus rectus & ED sinus versus est angulorum ACE & ACI; sinus vero totus est sinus anguli recti.

COROLLARIUM III.

5. Duo igitur anguli, qui sunt deinceps, eundem habent sinum.

COROLLARIUM IV.

6. Angulorum adeo obtusorum sinus iidem sunt, quos habent eorum complementa ad duos rectos (§. 147. *Geom.*).

DEFINITIO III.

7. *Tangens* arcus EA est portio rectæ tangentis circulum EF inter rectas ex centro C per extrema arcus E & A ductas interceptæ. Recta FC dicitur *secans* ejusdem arcus. Tab.I. Fig.2.

COROLLARIUM I.

8. Tangens EF ad radium EC perpendicularis est (§. 308. *Geom.*).

COROLLARIUM II.

9. Est etiam FE tangens & FC secans anguli ACE, itemque ACI (§. 57. *Geom.*).

Corollarium III.

10. Duo igitur anguli, qui sunt deinceps, eandem habent tangentem atque secantem.

Definitio IV.

Tab. I. Fig. 2. 11. *Cosinus* est sinus; *Cotangens* tangens; *Cosecans* secans arcus AH, qui est alterius AE complementum ad quadrantem. Ita e. gr. AG sinus arcus AH dicitur Cosinus arcus AE. Vocantur etiam *Sinus*, *Tangentes* atque *Secantes complementi*.

Theorema I.

12. *Sinus arcuum similium ad radios suos eandem rationem habent.*

Demonstratio.

Chordæ enim arcuum similium ad radios eandem rationem habent (§. 290. *Geom.*). Sed sinus sunt chordarum dimidia (§. 2.). Ergo & hi ad radios rationem eandem habent (§. 181. *Arithm.*). *Q. e. d.*

Hypothesis.

13. *Sumatur radius pro unitate & per ejus fractiones decimales determinetur quantitas sinuum, tangentium atque secantium.*

Scholion.

14. *Ex* Ptolemæi *Almagesto discimus, veteres radium in 60 partes, quas gradus vocabant, divisisse & inde chordas per minuta prima, secunda, tertia &c. hoc est, fractiones radii sexagesimales determinasse, quibus in analysi triangulorum utebantur. Dimidiis chordis seu sinibus primum usi sunt, quantum constat, Saraceni.* Johannes Regiomontanus *primum radio cum veteribus tribuit 60 gradus & sinus singulorum graduum per ejus fractiones decimales determinavit. Enimvero postea animadvertit, commodius fore, si radius sumatur pro unitate, ac ideo hypothesin præsentem in Trigonometriam introduxit. In tabulis sinuum & tangentium ordinariis radius concipitur in* 10000000 *partes divisus & ultra has fractiones in determinanda sinuum & tangentium quantitate non descenditur. Qui tamen tabulas istas construxerunt, ad fractiones multo minores descenderunt, ne error irreperet in scrupulis primis assignabilis. Secantibus hodie opus non habemus, cum omnia Trigonometriæ problemata absque illarum ope solvi possint.*

Corollarium.

15. Cum latus hexagoni regularis sextam circuli partem subtendat (§. 116. 342. *Geom.*) atque radio æquale sit (§. 356. *Geom.*); sinus graduum triginta est 5000000 (§. 2. *Trigon.* & §. 41. *Geom.*).

Problema I.

16. *Dato sinu AD, invenire cosinum AG.* Tab. I. Fig. 2.

Resolutio & Demonstratio.

Quoniam EC sinus ipsius EH (§. 2.) ad HC & AG sinus arcus AH (§. 2) perpendicularis ad eandem HC (§. 3.); erit AG parallela ipsi DC (§. 256. *Geom.*) & ad G angulus rectus (§. 78. *Geom.*), adeoque △ AGC rectangulum (§. 91. *Geom.*). Quare cum AD & HC sint ad EC perpendiculares (§. 3.); erit GC=AD (§. 226. *Geom.*). Si ergo

1. Ex quadrato radii AC subtrahatur quadratum sinus AD vel GC; relinquetur quadratum Cosinus AG (§. 417. *Geom.*). Unde si
2. Radix quadrata extrahatur (§. 269. *Arithm.*); prodibit Cosinus AG.

E. gr. Sit AC 10000000; AD 5000000: reperitur AG 8660254, sinus 60°.

Pro-

PROBLEMA II.

Tab. I. Fig. 2. 17. *Dato ſinu AD arcus AE, invenire ſinum arcus dimidii $\frac{1}{2}$ AE.*

RESOLUTIO.

Inveniatur chorda arcus AE (§. 423. *Geom.*). Hujus enim dimidium eſt ejus ſinus (§. 2.).

E. gr. Sint AC & AD ut in probl. præc. reperietur ſinus arcus $\frac{1}{2}$ AE ſeu ſinus 15° = 2588190.

PROBLEMA III.

Tab. I. Fig. 3. 18. *Dato ſinu DG arcus DF, invenire ſinum DE arcus dupli DB.*

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

Cum anguli ad E & G recti ſint (§. 3.) & angulus B utrique triangulo BCG & DEB communis; erit BC : CG = BD : DE (§. 267. *Geom.*). Quare cum CG inveniri poſſit, dato ſinu DG (§. 16.), & BD ſit duplum ipſius DG (§. 2.): invenietur quoque DE (§. 302. *Arithm.*). *Q. e. f. & d.*

PROBLEMA IV.

Tab. I. Fig. 4. 19. *Datis ſinibus FG & DE arcuum FA & DA, quorum differentia DF 45′ major non eſt, invenire ſinum quemcunque intermedium IL.*

RESOLUTIO.

1. Quæratur ad differentiam arcuum FD, quorum ſinus dantur, differentiam arcus, cujus ſinus quæritur, AI atque arcus AD ſinui dato majori reſpondentis IF & differentiam ſinuum datorum DH quartus numerus proportionalis (§. 302. *Arithm.*).
2. Is addatur ſinui dato minori FG. Erit aggregatum ſinus quæſitus IL.

DEMONSTRATIO.

Cum arcus DF & FI paucorum ſint minutorum, *per hypoth.* pro lineis rectis citra errorem ſenſibilem haberi poterunt. Porro FG, IL & DE parallelæ ſunt (§. 3.). Quare ſi ex F ad DE perpendicularis demittatur FH (§. 216. *Geom.*); erit HE = FG (§. 226. *Geom.*), adeoque DH differentia ſinuum datorum FG & DE (§. 64. *Arithm.*) Unde ob parallelas IK & DH *per demonſtrata*; DF : FI = DH : IK (§. 268. *Geom.*). *Q. e. d.*

PROBLEMA V.

20. *Datis ſinibus BD & FE duorum arcuum quorumcunque AB & AF, invenire ſinum arcus ſemidifferentiæ eorundem BF.* Tab. I. Fig. 5.

RESOLUTIO.

1. Sinus minor BD ſubtrahatur a majore FE, relinquetur differentia FK.
2. Ex datis ſinibus BD & FE inveniantur Coſinus BI & FH (§. 16).
3. Coſinus minor FH ſubtrahatur e majore BI, erit BK differentia.
4. Ex ſumma quadratorum differentiarum BK & FK extrahatur radix quadrata (§. 269. *Arithm.*); prodibit chorda arcus differentiæ BF, cujus dimidium eſt ſinus quæſitus (§. 2.). *Q. e. i.*

DEMONSTRATIO.

BD, FE & GC, tum AC, BI & FH inter ſe parallelæ & illæ ad AC, hæ ad GC perpendiculares (§. 3.), conſequenter FH = KI & BD = EK (§. 226. *Geom.*) & angulus BKF rectus (§. 230. 78. *Geom.*) Quamobrem FK differentia

rentia ſinuum BD & FE, BK vero differentia coſinuum FH & BI atque FKB triangulum rectangulum (§.91. *Geom.*). Ergo cum ſit $BF^2 = BK^2 + FK^2$ (§.417. *Geom.*); reperietur chorda BF, ſi ex ſumma quadratorum differentiæ ſinuum FK & coſinuum BK radix quadrata extrahitur, (§. 246. *Arithm.*). *Q. e. d.*

PROBLEMA VI.

Tab. I. Fig. 2. 21. *Invenire ſinum 45. graduum.*

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

Sit HI circuli quadrans; erit HCI angulus rectus (§. 143. *Geom.*) adeoque △ cognomine rectangulum (§.91. *Geom.*), conſequenter $HI^2 = HC^2 + CI^2$ (§.417. *Geom.*) $= 2\ HC^2$ (§. 40. 374. *Geom.*). Quare cum HC ſinus totus (§. 2.) ſit 10000000 (§. 13); ſi ex $2HC^2$ quadrato 200000000000000 extrahatur radix 14142136. (§. 269. *Arithm.*); prodibit chorda HI (§. 246. *Arithm.*), cujus dimidium 7071068 ſinus 45° deſideratus. *Q. e. i. & d.*

SCHOLION.

22. *Inferius in Analyſi docebimus, quomodo ex dato radio latus pentagoni regularis, hoc eſt,* 72° (§. 342. Geom.), *conſequenter ſinus* 36° (§. 2.) *inveniatur.*

PROBLEMA VII.

Tab. I. Fig. 4. 23. *Dato ſinu unius minuti ſeu* 60″ *FG, invenire ſinum unius vel aliquot ſecundorum MN.*

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

Quoniam arcus AM & AF ſunt admodum exigui, AMF pro linea recta haberi poteſt citra errorem in fractionibus radii decimalibus, quibus ſinus exprimimus, aſſignabilem, hoc eſt, arcus AM & AF chordis eorum proportionales aſſumere licet. Quare cum MN ſit ipſi FG parallela (§. 3) erit AF : FG = AM : MN (§. 268 *Geom.*). Datis ergo AF, FG & AM, *per hypoth.* invenitur MN (§. 302 *Arithm.*). *Q. e. i. & d.*

SCHOLION.

24. *Eadem ratione, ſi opus foret, inveniri poſſet ſinus aliquot ſcrupulorum tertiorum.*

PROBLEMA VIII.

25. *Datis ſinibus* 30 (§.15.), 15 (§. 17), 45 (§. 21) & 36 *graduum* (§.22); *canonem omnium ſinuum conſtruere, nonniſi unico minuto aut denis ſecundis, immo unico ſecundo inter ſe differentibus.*

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

1. Ex ſinu 36 graduum inveniatur Sinus 18°, 9°, 4° 30′, 2° 15′ (§.17); ſinus 54°, 72°, 81°, 85° 30′, 87° 45′ (§. 16): porro ſinus 27°, 13° 30′, 6° 45′; 40° 30′, 20° 15′; 42° 45′ (§. 17): inde ſinus 63°, 76° 30′, 83° 15′, 49° 30′, 69° 45′, 47° 15′ (§.16): ulterius ſinus 31° 30′, 15° 45′; 38° 15′; 24° 45′ (§. 17): hinc ſinus 58° 30′, 74° 15′, 51 45′, 65° 15′, (§.16): denique ſinus 29° 15′ (§.17) & ejus coſinus 60° 45′ (§. 16).
2. Ex ſinu 45° inveniantur ſinus 22° 30′ & 11° 15′ (§.17), ſinus 67° 30′ & 78° 45′ (§.16), ſinus denique 33° 45′ (§. 17) & 56° 15′ (§. 16).
3. Ex ſinu 30° & ſinu 54° inveniatur ſinus 12° (§. 20).
4. Ex ſinu 12° inveniantur ſinus 6°, 3°, 1° 30′, 45′ (§. 17), ſinus 78°, 84°, 87, 88° 30′, 89° 15′ (§.16) por-

porro ſinus 39°, 19° 30′, 9° 45′; 42°, 21°, 10° 30′, 5° 15′; 43° 30′, 21° 45′; 44° 15′ (§. 17): ulterius ſinus 51°, 70° 30′, 80° 15′, 48°, 69°, 79° 30′, 84° 45′, 46° 30′, 68° 15′, 45° 45′, (§. 16): inde ſinus 25° 30′, 12° 45; 35° 15′; 24°; 34° 30′, 17° 15′; 39° 45′; 23° 15′ (§. 17): hinc ſinus 64° 30′, 77° 15′, 54° 45′, 66°, 55° 30′, 72° 45′, 50° 15′, 66° 45′ (§. 16): hinc porro ſinus 32° 15′; 33°, 16° 30′, 8° 15′; 27° 45′ (§. 17): inde ulterius ſinus 57° 45′, 57°, 73° 30′, 81° 45′, 62° 15′ (§. 16): porro ſinus 28° 30′, 14° 15′; 36° 45′ (§. 17) & horum coſinus 61° 30′, 75° 45′, 53° 45′ (§. 16): denique ſinus 30° 45′ (§. 17) & ejus coſinus 59° 15′ (§. 16).

5. Ex ſinu 15° inveniantur ſinus 7° 30′ & 3° 45′ (§. 17): hinc ſinus 75°, 82° 30′, 86° 15′ (§. 16): inde 37° 30′, 18° 45′; 41° 15′ (§. 17) & horum coſinus 52° 30′, 71° 15′, 48° 45′ (§. 16): denique ſinus 26° 15′ (§. 17) & ejus coſinus 63° 45′ (§. 16).

6. Quodſi ſinus hac ratione inventi in ordinem redigantur, numero 120, & differentiam inter duos immediate ſibi mutuo ſuccedentes 45′ deprehendes: quemadmodum ex Tabula, quam eum in finem hic apponimus, primo intuitu apparet:

1	0°45′	21	15°45′	41	30°45′	61	45°45′	81	60°45′	101	75°45′
2	1·30	22	16·30	42	31·30	62	46·30	82	61·30	102	76·30
3	2·15	23	17·15	43	32·15	63	47·15	83	62·15	103	77·15
4	3· 0	24	18· 0	44	33· 0	64	48· 0	84	63· 0	104	78· 0
5	3·45	25	18·45	45	33·45	65	48·45	85	63·45	105	78·45
6	4·30	26	19·30	46	34·30	66	49·30	86	64·30	106	79·30
7	5·15	27	20·15	47	35·15	67	50·15	87	65·15	107	80·15
8	6· 0	28	21· 0	48	36· 0	68	51· 0	88	66· 0	108	81· 0
9	6·45	29	21·45	49	36·45	69	51·45	89	66·45	109	81·45
10	7·30	30	22·30	50	37·30	70	52·30	90	67·30	110	82·30
11	8·15	31	23·15	51	38·15	71	53·15	91	68·15	111	83·15
12	9· 0	32	24· 0	52	39· 0	72	54· 0	92	69· 0	112	84· 0
13	9·45	33	24·45	53	39·45	73	54·45	93	69·45	113	84·45
14	10·30	34	25·30	54	40·30	74	55·30	94	70·30	114	85·30
15	11·15	35	26·15	55	41·15	75	56·15	95	71·15	115	86·15
16	12· 0	36	27· 0	56	42· 0	76	57· 0	96	72· 0	116	87· 0
17	12·45	37	27·45	57	42·45	77	57·45	97	72·45	117	87·45
18	13·30	38	28·30	58	43·30	78	58·30	98	73·30	118	88·30
19	14·15	39	29·15	59	44·15	79	59·15	99	74·15	119	89·15
20	15· 0	40	30· 0	60	45· 0	80	60· 0	100	75· 0	120	90· 0

Inveniantur ergo ſinus intermedii per probl. 4. (§. 19).

7. Denique ſinus ſcrupulorum ſecundorum ab 1 uſque ad 60 inveniantur per probl. præc. (§. 13).

Ita Canon ſinuum erit conſtructus. *Q. e. f.*

PROBLEMA IX.

Tab.I. Fig. 2. 26. *Dato ſinu AD arcus AE invenire tangentem EF & ſecantem FC ejusdem arcus.*

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

Quia ſinus AD & tangens EF ad radium EC perpendicularis (§. 3. 8); erit ille huic parallelus (§. 256 *Geom.*). Quare ut Coſinus DC ad ſinum AD, ita ſinus totus ad tangentem EF: item ut Coſinus DC ad ſinum totum AC ita ſinus totus EC ad ſecantem CF (§. 268 *Geom.*). Invenietur adeo per illationem primam tangens EF; per alteram ſecans FC (§. 302. *Arithm.*) *Q. e. i. & d.*

SCHOLION.

27. *Conſtructo igitur Canone ſinuum (§. 25), haud difficilis eſt conſtructio Canonis tangengentium atque ſecantium. Uterque junctim ſumtus Canon triangulorum naturalis dici ſolet, quia triangulorum analyſi inſervit. Equidem paſſim apud Authores theoremata non inelegantia occurrunt, quibus multi ſinus facilius inveniuntur, quam expoſita hactenus methodo.* Urſinus (a) *præſertim docet, quomodo ex ſinu Canonis omnium primi, e. gr. unius ſecundi, per ſolam quaſi additionem & ſubtractionem totus Canon derivetur. Enimvero cum ab aliis dudum conſtructus ſit; ſufficit utcunque oſtendiſſe, quomodo conſtrui potuerit.*

(a) Trigon. lib. 2. c. 5. p. 164.

PROBLEMA X.

28. *Invenire ſinus cujuscunque dati logarithmum.*

RESOLUTIO.

Ut logarithmi eo accuratiores inveniantur, aſſumendi ſunt ſinus ad radium 10000000000 conſtructi. Mulctantur nempe Sinus in Canone *Pitiſci* majore 4 ultimis notis. Cum adeo ſinus ſint numeri 10 ut plurimum notis conſtantes, in canone autem logarithmorum, qui proſtat, maximo numeri naturales ultra 5 notas non aſcendunt; logarithmi eorum inveniuntur *per probl.* 37. *Arithm.* (§. 349). Utendum vero eſt canone logarithmorum majore.

E. gr. Sit inveniendus logarithmus Sinus 23° qui apud *Pitiſcum* 3907311284. Reſectis verſus ſiniſtram quinque notis 39073, ipſis reſpondens logarithmus eſt 4.5918768, conſequenter logarithmus numeri 3907300000 eſt 9.5918768. Differentia tabularis eſt 111. Quare infertur: ut 100000 ad 111 ita notæ reſiduæ ſinus dati 11284 ad numerum quartum proportionalem 12: qui ſi addatur logarithmo 9.5918768, prodit logarithmus quæſitus 9.5918780, qualis in Canone triangulorum artificiali reperitur.

PROBLEMA XII.

29. *Invenire logarithmum tangentis, dato logarithmo ſinus & coſinus.*

RESOLUTIO.

1. Logarithmus ſinus addatur logarithmo ſinus totius.
2. A ſumma ſubtrahatur logarithmus coſinus. Reſiduum eſt logarithmus tangentis (§. 26 *Trigon.* & §. 359. *Arithm.*).

E. gr.

E. gr. Inveniri debet logarithmus tangentis 23°.

Addantur	Log. Sin. 23° =	9.5918780
	Log. Sin. tot. =	1 00000000
	a summa =	195918780
subtrahatur	Log. Cos. =	99640261
relinquitur	Log. tang. =	96278519

PROBLEMA XII.

30. *Invenire logarithmum secantis arcus cujuscunque, dato sinu complementi ejusdem.*

1. Logarithmus sinus totius multiplicetur per 2.
2. Ab ejus duplo subtrahatur sinus complementi datus. Residuus fiet logarithmus secantis (§. 26 *Trigon.* & §. 359. *Arithm.*).

E. gr. Quærendus est logarithmus secantis arcum 23°. Calculi typus talis est:

Log. sin. tot. =	100000000
Ejus duplum =	200000000
Log. Sin. Compl. =	99640261
Log. secant. 23° =	10.0359739

SCHOLION.

31. Johannes Neperus, *qui primus logarithmos in Trigonometriam introduxit, sinus totius logarithmum facit* 0. *Hinc crescunt logarithmi sinuum, sinibus decrescentibus, & tangentium atque secantium sinu toto majorum logarithmi sunt defectivi seu nihilo mires.* Neperus *logarithmos cosinuum* Antilogarithmos, *logarithmos vero tangentium* differentiales, Keplerus *etiam* Mesologarithmos *vocat. Dicuntur quoque hi logarithmi* Sinus & tangentes artificiales.

CAPUT II.

De Analysi Triangulorum.

THEOREMA II.

Tab. I. Fig. 2. 32. *Tangens* 45° *EF æquatur radio EC.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam arcus AE 45°. *per hypoth.* erit quoque angulus ACE 45°. (§. 59 *Geom.*), consequenter angulus F 45° (§. 241. *Geom.*). Quare EF=CE (§. 253 *Geom.*). *Q. e. d.*

THEOREMA III.

Tab. I. Fig. 1. 33. *In omni triangulo ABC latera sunt ut sinus oppositorum angulorum.*

DEMONSTRATIO.

Cum enim omne triangulum circulo inscriptibile sit (297 *Geom.*); erunt latera AC, CB & AB chordæ arcuum cognominum (§. 38 *Geom.*), consequenter latera dimidia sinus arcuum dimidiorum (§. 2). Sed arcus dimidii sunt mensuræ angulorum oppositorum B, A & C (§. 314 *Geom.*). Ergo ut latus AC ad sinum anguli sibi oppositi B; ita latus BC ad sinum anguli sibi oppositi A; ita etiam AB ad sinum anguli sibi oppositi C. *Q. e. d.*

SCHOLION.

34. *Ut vero evidentius appareat, in triangulo obtuſangulo pro ſinu anguli obtuſi utendum eſſe ſinu anguli acuti, qui eidem deinceps ponitur, & quem eſſe etiam ſinum anguli obtuſi ſupra annotavimus* (§. 6), *ſequens addere lubet theorema.*

THEOREMA IV.

35. *In triangulo obtuſangulo AGC* Tab. I. Fig. 8. *eſt ut latus angulo obtuſo G oppoſitum AC ad ſinum anguli acuti AGE eidem deinceps poſiti, ita latus angulo obtuſo adjacens GA ad ſinum anguli eidem oppoſiti C.*

DEMONSTRATIO.

Demittatur ex A in baſin continuatam GC perpendicularis AE; erunt AEG & AEC triangula rectangula (§. 78. 91 *Geom.*). Cum itaque ſit ut ſinus totus ad AC ita ſinus anguli C ad AE & ut AG ad ſinum totum ita AE ad ſinum anguli AGE (§. 33); erit etiam ut AG ad AC ita ſinus anguli C ad ſinum anguli AGE (§. 197 *Arith.*), conſequenter latus angulo obtuſo adjacens GA eſt ad ſinum anguli eidem oppoſiti C ſicuti latus angulo obtuſo oppoſitum AC ad ſinum anguli acuti eidem deinceps poſiti AGE (§. 173 *Arithm.*) Q. e. d.

PROBLEMA XIII.

Tab. I. Fig. 1. 36. *Datis duobus angulis A & C, una cum latere uni eorum C oppoſito AB, invenire latus alteri A oppoſitum BC.*

RESOLUTIO.

Inferatur (§. 33):
ut ſinus anguli C
ad latus ſibi oppoſitum datum AB:
Ita Sinus anguli alterius A
ad latus quæſitum BC.

Invenietur adeo Logarithmorum ope BC *per probl.* 38. *Arithm.* (§. 351).

E. gr. Sit C = 48° 35′, A = 57° 28′, AB = 74′. Calculus talis erit:

Log Sin. C	9.8750142
Log. AB	1.8692317
Log. Sin. A	9.9258681
Sum. Log. AB & Sin. A	11.7950998
Log. BC	1.9200856.

cui in Canone logarithmorum pro numeris vulgaribus reſpondent 83′. Cum vero logarithmus in tabulis non exactus reperiatur; inveniri poſſunt numeri inventi 83′ fractiones decimales, hoc eſt, in caſu noſtro digiti, ſi ſub characteriſtica 2 poſt 830′ denuo logarithmus ipſius BC evolvatur: cui proxime reſpondet numerus 831″. Quodſi præter digitos etiam lineas deſideres; eundem logarithmum quære poſt 8310‴ & ei quam proxime reſpondere deprehendes 8319‴. Immo ſi canon major ad manus ſit, ipſa ſcrupula quarta expiſcari licet, ſi logarithmus inventus poſt 83190⁗ evolvatur: ubi eidem quam proxime reſpondet logarithmus numeri 83192. Eſt ergo BC 8° 3′ 1″ 9‴ 2⁗ (§. 355. *Arithm.*).

SCHOLION.

37. *Quid factu opus ſit, ſi logarithmi characteriſtica fuerit* 3, *in Arithmetica loco citato docuimus.*

PROBLEMA XIV.

38. *Datis duobus lateribus AB & BC una cum angulo C uni eorum oppoſito, invenire angulos reliquos A & B.* Tab. I. Fig. 1.

RESOLUTIO.

I. Inferatur (§. 33):
ut latus unum AB.
ad ſinum anguli dati ſibi oppoſiti C:

Ita

Ita latus alterum BC
ad sinum anguli quæsiti sibi oppositi A.

Invenietur adeo logarithmus sinus anguli A utendo logarithmis *per probl.* 38. *Arithm.* (§. 351).

Tab. I. *Fig.* 8. II. Quodsi latus AG vel AB dato angulo C oppositum fuerit minus latere AC, quod opponitur angulo quæsito, quæsitus angulus & obtusus esse potest G, & acutus B (§. 234 *Geom.*), adeoque constare debet, utrum triangulum datum sit obtusangulum, an acutangulum. In casu posteriori satisfacit numerus graduum, qui sinui reperto respondet; in priori pro angulo obtuso sumitur ejus complementum ad 180°. (§. 35).

Tab. I. *Fig.* 8. III. Quodsi angulus datus G in triangulo GAC fuerit obtusus & datis præterea cruribus AG & AC quæratur acutus, in solutione pro sinu obtusi anguli AGC sumitur deinceps positi acuti AGE sinus (§. 35).

Tab. I. *Fig.* 1. E. gr. Sit AB = 94', BC = 69,' C = 72° 15'.

Log. AB	1.9731279
Log. Sin. C	9.9788175
Log. BC	1.8388491
Sum. Log. Sin. C & BC	11.8176666
Log. Sin. A.	9.8445387,

cui in canone proxime respondent 44° 21'. Quodsi Canon major non fuerit ad manus & præter scrupula prima etiam secunda desiderentur *vi probl.* 4. (§. 19) hunc in modum inveniuntur.

A logarith. invento 98445387 subtrahe
Tabul. prox. min. 98445018

& notetur Differ. I. 389

Simil: ex prox. maj. 98446310 subduc
prox. min. 98445018

& notetur Diff. II. 1292

Inferatur: 1292 : 60 = 389
2) 646 : 30 30

11670 (18
646:
5210
5168
42

Est ergo angulus A = 44° 21' 18''
Sed C = 72 15 0

Quare A + C = 116 36 18
Quon. A + C + B = 179 59 60

erit B = 63° 23' 42''

Similiter dentur in triangulo rectangulo præter rectum A hypothenusa BC & cathetus AC pro angulo B. Sit nempe BC 49' AC 36'. Calculus talis erit: Tab. I. *Fig.* 6.

Log. BC	1.6901961
Log. Sin. tot.	10.0000000
Log. AC	1.5563025
Log. Sin. B	9.8661064,

cui in canone proxime respondent 47° 16'.
Ergo C = 42° 44' (§. 241 *Geom.*)

Quodsi AG = 349'', AC = 382'', angulus A = 57° 25'; erit Tab. I. *Fig.* 8.

Log. AG	2.5428254
Log. Sin. C	9.9256261
Log. AC	2.5820634
Sum. Log. Sin. C & AC	12.5071.6895
Log. Sin. G	9.9648641,

cui in Canone proxime respondent 67° 15'. Est igitur angulus acutus B in triangulo ABC 67° 15': quem si subtraxeris ex 180°, relinquetur pro obtuso AGC 112° 45'.

Detur denique in triangulo obtusangulo AGC angulus obtusus G 165° 17′, una cum cruribus AG = 179″ & AC 223″ pro acuto C. Inferatur (§. 35).

Log. AC	2.3483049
Log. Sin. AGE	9.4049009
Log. AG	2.2528530
Sum. Log. Sin. G & AG	11.6577539
Log. Sin. C	9.3094490

cui in Canone respondent quam proxime 11° 46′.

LEMMA.

39. *Si a semisumma duarum quantitatum subtrahatur semidifferentia, relinquitur quantitas minor: Si vero illi hæc addatur, prodit major.*

DEMONSTRATIO.

Numerus major componitur ex minore & differentia (§. 64 *Arithm.*): ergo summa ex minore bis sumta & differentia, consequenter semisumma ex minore & semidifferentia. Quare si a semisumma semidifferentia subtrahatur, minor quantitas relinquitur (*§. cit. Arithm.*). *Quod erat unum.*

Quodsi vero semisummæ semidifferentia addatur, aggregatum erit compositum ex quantitate minore & differentia (§. 61 *Arithm.*), adeoque numerus major, *per demonstr. Quod erat alterum.*

PROBLEMA XV.

40. *Datis duobus lateribus BA & AC cum angulo intercepto A, invenire angulos reliquos.*

RESOLUTIO.

Tab. I. Fig. 6. I. Si triangulum ABC fuerit rectangulum; assumto crure uno circa rectum AB pro radio, erit alterum CA tangens anguli oppositi B (§. 7. 8) Inferatur ergo:

ut crus unum AB
ad alterum AC;
Ita sinus totus
ad tangentem anguli B.

E. gr. Sit BA 79′, AC 54′: erit

Log. BA	18976271
Log. AC	17323938
Log. Sin. Tot.	100000000
Log. Tang. B	9.8347667

cui in Canone respondent quam proxime 34° 21′. Ergo angulus C 55° 39′ (§. 241 *Geom.*).

II. Si angulus A fuerit obliquus; Tab. I. Fig. 7.

1. Inferatur:
ut summa laterum datorum AB & AC
ad differentiam eorundem;
Ita tangens semisummæ angulorum quæsitorum C & B.
ad tangentem semidifferentiæ eorundem.

2. Addatur semidifferentia ad semisummam; aggregatum erit angulus major C. Eadem a semisumma subtrahatur, residuus fiet angulus minor B.

E. gr. Sit AB 75′, AC 58′, A 108° 24′, erit

AB 75	AB 75	A + B + C	179°	60′
AC 58	AC 58	A	108	24
Sum: 133	Diff. 17	B + C	71	36
		$\frac{1}{2}$(B + C)	35	48

Log. AB + AC	2.1238516
Log. AB − AC	1.2304489
Log. Tang. $\frac{1}{2}$(B + C)	9.8580694
Summa Logg.	11.0885183
Log. Tang. $\frac{1}{2}$(C − B)	8.9646667

cui in tabulis proxime respondent 5° 16′.

$\frac{1}{2}$(B + C) = 35° 48′	$\frac{1}{2}$(B + C) = 35° 48′
$\frac{1}{2}$(C − B) = 5 16	$\frac{1}{2}$(C − B) = 5 16
C = 41 4	B = 30 32

DE-

DEMONSTRATIO.

Crure majore dato AB ex vertice anguli dati A describatur circulus (*§.* 131 *Geom.*), & crus minus AC utrinque continuetur (§. 21 *Geom.*), donec circulo in E & D occurrat. Erit ob AE = AB = AD (§. 40 *Geom.*) CE summa laterum datorum, CD differentia eorundem. Quoniam DE diameter (§. 39 *Geom.*); erit EBD semicirculus (*§.* 135 *Geom.*), consequenter angulus EBD rectus (§. 317 *Geom.*), adeoque EB ad BD perpendicularis (*§.* 78 *Geom.*). Quare si BD sumatur pro sinu toto; erit EB tangens anguli EDB (§. 7. 8). Est vero $o = x + y$ (§. 239 *Geom.*) & inde ob $u = \frac{1}{2} o$ (§. 313 *Geom.*), $u = \frac{1}{2}(x + y)$. Ergo EB tangens semisummæ angulorum quæsitorum x & y. Quoniam $x = u + n$ (§. 239 *Geom.*); erit n semidifferentia angulorum x & y (§. 39). Sumto itaque DB denuo pro radio si describatur arcus DG (§. 131 *Geom.*) & in D excitetur perpendicularis DF (§. 249 *Geom.*); erit DF tangens anguli n (§. 7. 8), hoc est, semidifferentiæ angulorum quæsitorum x & y *per demonstr.* Jam cum anguli EBD & FDB sint recti *per demonstr.* & hinc FD & EB parallelæ (*§.* 256), adeoque BED & FDE æquales (*§.* 233 *Geom.*), item verticales ad C æquales (§. 156 *Geom.*): erit CE : EB = CD : DF (§. 266 *Geom.*), consequenter & CE : CD = EB : DF (§. 173 *Arithm.*), Data itaque per tangentem DF angulorum quæsitorum semidifferentia, reliqua in resolutione manifesta sunt per lemma precedens (*§.* 39). *Q. e. d.*

PROBLEMA XVI.

41. *Datis tribus lateribus AB, BC & CA, invenire angulos A, B & C.* Tab. I. Fig. 8.

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

1. Ex vertice anguli A latere minimo AB describatur circulus (§. 131 *Geom.*); erit ob AD = AB (§. 40 *Geom.*) CD summa crurum AC & AB; CF vero differentia eorundem. Et ideo inferre licet (§. 333 *Geom.*);

   ut Basis BC
   ad summam crurum CD,
   Ita differentia crurum CF
   ad segmentum basis CG.

2. Inventum adeo segmentum CG (*§.* 302 *Arithm.*) si subtrahatur a basi CB; relinquitur chorda GB.
3. Demittatur ex A perpendicularis AE ad chordam GB (*§.* 216 *Geom.*), erit BE = EG = ½ GB (*§.* 291 *Geom.*). Datis adeo in triangulo rectangulo AEB lateribus AB & BE, & in altero ACE lateribus AC & CE; inveniuntur anguli B atque A (*§.* 38). *Q. e. f. & d.*

E. gr. Sit AB = 36′, AC = 45′, BC = 40′:

erit AC = 45′	AC = 45′
AB = 36	AB = 36
AC + AB = 81.	FC = 9

Log. BC	= 1.6020600
Log. AC + AB	= 1.9084850
Log. FC	= 0.9542425
Logg. summa	= 2.8627275
Log. CG	= 1.2606675

cui

cui in tabulis quam proxime respondent 18′ 2″ 2‴ (§. 355. *Arithm.*).

BC = 4000‴ EG = 1089‴
CG = 1822 CG = 1822

BG = 2178 CE = 2911

BE = 1089

Log. AB = 3.5563025
Log. Sin. tot. = 10.0000000
Log. EB = 3.0370279

Log. Sin. EAB = 9.4807254

cui in tabulis quam proxime respondent 17 36′, adeoque angulus ABE 72°24′ (§. 241 *Geom.*).

Log. AC = 3.6532125
Log. Sin. tot. = 10.0000000
Log. CE = 3.4640422

Log. Sin. EAC = 9.8108297, cui in tabulis quam proxime respondent 40° 10′. Ergo ACE 49°42′ (§. 241 *Geom.*) & CAB 57° 54′ (§. 86 *Arithm.*).

CAPUT III.

De usu Trigonometriæ Planæ in Geometria Practica.

PROBLEMA XVII.

42. *Construere instrumentum transportatorium rectilineum, hoc est scalam secundum eam proportionem divisam, quam habent subtensæ arcuum ad radium.*

RESOLUTIO.

1. Ex communi canone sinuum excerpantur sinus arcuum 2° 30′, 5°, 7° 30′, 10°, 12° 30′ &c. nempe in progressione arithmetica progredientium; in qua terminorum differentia est $2\frac{1}{2}$°. Eos multiplica per 2; erunt facta chordæ arcuum 5, 10, 15, 20, 25 &c. (§. 2): ut hic in tabella factum vides.

Gr.	Chor. dimid.	Chor. integ.	Gr.	Chor. dimid.	Chor. integ.
5	43.6	87	50	422.6	845
10	87.1	174	55	461.7	923
15	130.5	261	60	500.0	1000
20	173.6	347	65	537.2	1074
25	216.4	433	70	573.5	1147
30	258.8	517	75	608.7	1217
35	300.7	601	80	642.7	1285
40	342.0	684	85	675.5	1351
45	382.6	765	90	707.1	1414

2. Ducatur recta AD & ad eam erigatur perpendicularis AB (§. 212 *Geom.*) pro arbitrio in quinque, decem, viginti, &c. partes æquales dividenda, prout vel solos gradus, vel gradus dimidios, vel par- Tab.I. *Fig.9.*

partes quartas &c. indicare debent ſubtenſæ.

3. Per ſingula diviſionum puncta agantur rectæ ipſi AD parallelæ (§. 258 *Geom.*).

4. In lineam AD, incipiendo ſemper a puncto A, transfer particulas chordarum integrarum gradibus 5°, 15°, 25°, 35° &c reſpondentes ex ſcala Geometrica in particulas minutiſſimas diviſa (§. 277 *Geom.*): in linea vero ſuperiori BC eodem modo deſignentur particulæ chordarum reſpondentes gradibus 10, 20, 30, 40, 50 &c. Quodſi ſcala Geometrica non continet particulas adeo minutas, quales deſiderantur; utendum eſt chordis dimidiis: quod perinde ac ſi particulæ in ſcala biſariam dividerentur. Negligenda autem eſt nota puncto a reliquis ſeparata, vel ſi major fuerit, ejus loco addenda eſt unitas ultimæ earum, quæ retinentur. E. gr. loco 258.8 aſſume 259. Ultimas nimirum notas ideo adjecimus, ut appareret, quomodo earum dupla pro chordis computata fuerint.

5. Ducantur transverſæ ex B in 5, ex 5 in 10, ex 10 in 15, ex 15 in 20, ex 20 in 25 &c.

Cum enim A 5, B 10 &c. ſint chordæ 5, 10 &c. graduum & chordæ a quinis ad quinos gradus fere arcubus proportionaliter creſcant, erit *c* 1 ſubtenſa arcus 1°, *d* 2 ſubtenſa 2 &c. graduum (§. 268 *Geom.*).

COROLLARIUM I.

43. Quia ſubtenſa 60° eſt radius (§. 356 *Geom.*); anguli quantitatem inveſtigaturus intervallo B 60 deſcribat ex vertice anguli intra crura ejus arcum, qui eſt menſura ipſius (§. 57 *Geom.*), & ejus chordam ad ſcalam applicet, quæ, ſi e. gr. ex *d* in 42 pertingat, oſtendit angulum eſſe 42°.

COROLLARIUM II.

44. Angulus datæ quantitatis conſtruetur, ſi radio B 60 deſcribatur ex centro B arcus CF & ſubtenſa gradus dati e. gr. 23, in ſcala reperta transferatur ex C in D. Erit enim DC menſura anguli B (§. 57 *Geom.*), adeoque tot graduum, quot arcus continet (§. 59 *Geom.*). Tab. I. *Fig.* 10.

SCHOLION.

45. *Hujus inſtrumenti beneficio quantitatem angulorum etiam in ſcrupulis ſatis accurate explorari experientia loquitur.*

PROBLEMA XVIII.

46. *Circulo polygonum regulare inſcribere & circumſcribere.*

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

1. Aſſumto radio 10000 partium, quales in Canone triangulorum habere ſupponitur, inde excerpatur ſinus ejus arcus, qui prodit, peripheria integra 360° per duplum numerum laterum polygoni, aut (quod perinde eſt) ſemiperipheria, hoc eſt 180°, per numerum laterum polygoni diviſa. Illius enim duplum eſt chorda arcus dupli (§. 2), adeoque latus AB polygoni circulo inſcribendi (§. 342 *Geom.*). Tab. I. *Fig.* 11.

2. Quodſi radius circuli, cui e. gr. pentagonum inſcribendum, detur juxta certam aliquam menſuram, e. gr. 345‴; latus polygoni in eadem

men-

mensura invenitur per regulam trium (§. 302 *Arithm.*), inferendo nempe

```
10000 — 1176 — 3450'
            3450
       ---------
           58800
          4704
         3528
       ------------
         4057|200 ( 4°  0'  5''  7''' Lat.
         1  0|000      Pentag.
```

3. Dato radio describatur circulus & in eo applicetur latus polygoni, quoties fieri potest (§. 342 *Geom.*).
4. Polygono regulari circulo inscripto simile circumscribetur (§. 355 *Geom.*).

SCHOLION.

47. *Ne molesta sit rationis lateris polygoni ad radium ex canone sinuum investigatio, in tabula hic exhibemus latera polygonorum istiusmodi particulis expressa, qualium radius habet* 10000000: *In praxi tot notæ versus dextram resecantur, quot per circumstantias singulares superfluæ judicabuntur.*

Num. Later.	Quantitas Lateris	Num. Later.	Quantitas Lateris
III	17320508	VIII	7653668
IV	14142135	IX	6840402
V	11755705	X	6180339
VI	10000000	XI	5634651
VII	8677674	XII	5176380

PROBLEMA XIX.

Tab. I. Fig. 11. 48. *Super data recta AB polygonum regulare describere: & dato polygono regulari ABCDE circulum circumscribere.*

RESOLUTIO.

Non alia re opus est, quam ut ratione lateris ad radium ex tabula præcedente assumta quæratur radius in ea mensura, in qua datur latus AB (§. 302 *Arithm.*): dato enim latere AB & radio AL, polygonum describi potest (§. 342 *Geom.*). Si vero intervallo radii ex A & B super latere polygoni uno fiat intersectio in L, habebitur centrum L circumscribendi circuli (§. 37 *Geom.*).

PROBLEMA XX.

49. *Datis sinu verso AB & sinu BC in mensura communi, non in particulis radii decimalibus, invenire arcum FAC in gradibus.* Tab. I. Fig. 12.

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

1. Quæratur ex his datis semidiameter AD (§. 328 *Geom.*).
2. Datis jam in triangulo DBC præter rectum B (§. 3) lateribus BC & DC, invenitur angulus ADC (§. 40): qui indicat numerum graduum in arcu AC (§. 59 *Geom.*), cujus duplus est arcus FC (§. 291 *Geom.*). *Q. e. i. & d.*

SCHOLION.

50. *Hujus problematis usus est in inveniendo segmento circuli* (§. 436 Geom.).

PROBLEMA XXI.

51. *Datis in figura rectilinea quacunque omnibus lateribus AB, BC, CD, DE, EA & angulis* o & y; *invenire diagonales.* Tab. I. Fig. 13.

RESOLUTIO.

1. In △ ABE datis duobus lateribus AB & AE una cum angulo *o* invenitur primum angulus A (§. 40); dein diagonalis BE (§. 36).

2. Eo-

2. Eodem modo resoluto triangulo BCD invenitur diagonalis BD. *Q. e. f.*

PROBLEMA XXII.

Tab.I. Fig.13. 52. *Datis in figura rectilinea quacunque duobus lateribus AB & BC, una cum diagonalibus BE & BD atque angulis* o, x *&* y; *invenire latera reliqua CD, DE & EA.*

RESOLUTIO.

1. Datis in triangulo ABE duobus lateribus AB & BE cum angulo intercepto o invenitur primum angulus u (§. 40) & deinde porro AE (§. 36).
2. Eodem prorsus modo in triangulis reliquis BED & BCD investigantur latera ED & DC. *Q. e. f.*

PROBLEMA XXIII.

Tab.I. Fig.13. 53. *Datis in figura rectilinea quacunque omnibus lateribus AB, BC, CD, DE, EA & tot angulis quot sunt latera demtis tribus, C & D, invenire diagonales BD & BE.*

RESOLUTIO.

1. In triangulo BCD datis lateribus BC & CD cum angulo intercepto C investigetur angulus m (§. 40), quo ex angulo D subducto relinquitur angulus n, atque porro diagonalis BD (§. 36).
2. Datis jam in triangulo BDE lateribus BD & DE cum angulo intercepto n, eodem prorsus, quo ante, modo reperitur diagonalis BE. *Q. e. f.*

PROBLEMA XXIV.

Tab.II. Fig.22. 54. *Datis in figura rectilinea quacunque latere AB una cum angulis* o, x, y, e, u *&* n; *invenire diagonales AC, AD, BD & BE una cum lateribus BC & AE.*

RESOLUTIO.

1. Datis in triangulo ABC angulis o & B ($= e+u+n$) una cum latere AB inveniuntur latus BC & diagonalis AC (§. 36).
2. Similiter datis in triangulo ABD angulis $o+x$ & $e+u$ una cum latere AB, inveniuntur diagonales BD & AD (*§. cit.*).
3. Denique datis in triangulo ABE angulis A ($=o+x+y$) & e una cum latere AB, inveniuntur latus AE & diagonalis BE. *Q. e. f.*

SCHOLION.

55. *Cum Ichnographiæ arearum optime perficiantur, datis omnibus lateribus itemque diagonalibus (§. 363. Geom.); horum problematum in planimetria usus est non contemnendus. Qui tamen praxi operam dant molestias calculi fugiunt; lucro magis quam accurationi intenti.*

PROBLEMA XXV.

56. *Metiri distantiam duorum locorum BC ex eodem tertio A accessorum.* Tab.I. Fig.14.

RESOLUTIO.

1. Investigetur quantitas anguli A, puncto A ad arbitrium assumpto (§. 152 *Geom.*), nec non rectarum AB & AC (§. 126 *Geom.*).
2. Datis in △ BAC duobus lateribus AB & AC cum angulo intercepto A, inveniatur primum angulus B (§. 40) & hinc porro distantia BC (§. 36). *Q. e. f.*

SCHOLION.

57. *Exempla non addimus, cum problemata, quibus triangula in hac trigonometriæ applicatione solvuntur, jam in superioribus fuerint exemplis illustrata. Ut tamen de commoda stationis electione A judicari possit, quædam adhuc addenda sunt. Nimirum lineas AB & AC, quæ sunt latera trianguli resolvendi BAC satis accurate in campo metiri licet (§. 126): sed in metiendo angulo facile aliquot scrupulis primis vel in excessu, vel in defectu peccamus: cum tamen hoc angulo erroneo in calculo utamur tanquam vero, fieri omnino non potest quin distantia erronea obtineatur. Quamobrem de quantitate erroris admittendi hic nobis dispiciendum.*

THEOREMA V.

Tab.II. Fig.15. 58. *Si error aliquot scrupulorum in quantitate anguli A admittatur, laterum vero BA & AC magnitudo fuerit accurata; erit arculi CD errorem CAD metientis quantitas, ad DE differentiam distantiæ veræ BC ab erronea per calculum producta BD; ut sinus totus, ad sinum anguli BCA, qui lateri AB opponitur.*

DEMONSTRATIO.

Etenim si in angulo BAC metiendo peccetur, ut prodeat tantillo major BAD, ob rectarum AC & AD æqualitatem *per hypoth.* triangulum BAC degenerat in alterum BAD. Describatur ex A intervallo AC tanquam radio arcus CD, qui per punctum D ob AC = AD (§. 40 *Geom.*) necessario transit. Quoniam angulus CAD nonnisi aliquot scrupulorum est, arcus exiguus CD, qui eum metitur (§. 57 *Geom.*), pro recta haberi, &, si ejus ad peripheriam detur ratio, in eadem mensura determinari potest, in qua datur latus AC (§. 435 *Geom.*). Describatur similiter ex centro B intervallo BC arcus CE, qui ex eadem ratione pro recta haberi poterit, eritque ob BC = BE (§. 40 *Geom.*) ED differentia inter distantiam veram BC & erroneam BD: anguli vero ACD, BCE & CED sunt recti (§. 308 *Geom.*), consequenter BCE = ACD (§. 145 *Geom.*), atque adeo BCA = ECD (§. 91 *Arithm.*). Est vero ut sinus totus ad CD ita sinus anguli ECD sive BCA *per demonstr.* ad ED (§. 33): ergo etiam ut sinus totus ad sinum anguli BCA ita CD ad ED (§. 173 *Arithm.*). *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

59. Eodem ergo manente errore CD in Angulo A metiendo admisso, error in distantia admissus ED major est, si angulus BCA major fuerit; minor autem, si hic quoque minor fuerit (§. 205. 206 *Arith.*).

COROLLARIUM II.

60. Statio itaque in A ea eligenda, quæ acutum valde efficit angulum BCA (§. 59): quod obtinetur, si angulus A fuerit major recto (§. 240 *Geom.*) & latus AC > AB (§. 189 *Geom.*).

COROLLARIUM III.

63. Cum angulus BAD major sit angulo BMD (§. 288 *Geom.*); præstat eligi stationem A viciniorem, quam remotiorem (§. 59).

SCHOLION.

61. *Supponimus hic parti lateris AB congruere semidiametrum instrumenti goniometrici, dum angulum metimur, lateri vero AC respondere regulam mobilem* (§. 152 Geom.).

COROLLARIUM IV.

63. Quoniam error ED in distantia definienda admissus major est, si quantitas arcus CD major fuerit (§. 58), quantitas autem arcus

arcus CD major prodeit, eodem errore CAD admisso si latus AC longius, quam si brevius fuerit, ideo hinc quoque patet, stationem viciniorem præstare remotiori.

SCHOLION.

64. Ceterum hinc apparet, praxes accuratissimas esse, quæ solis lineis in campo mensuratis nituntur, ubi in earum positione ob errorem in angulorum quantitate commissum aberrari nequit. Dedimus hic speciem aliquod eorum, quæ circa praxin Geometriæ accuratam expendi merentur, ut ostenderemus, theoriam accuratam parere praxin accuratam, & ad theoriam perfecte addiscendam excitemus, qui olim praxi operam daturi. Falluntur enim, qui sibi persuadent, per theoriam addisci non posse certas praxium accuratarum circumstantias, tum demum observandas, ubi manum praxi admoveris. Etenim plerumque tantum confuse observantur; per theoriam vero accurate determinantur.

PROBLEMA XXVI.

Tab. I. Fig. 15. 65. *Invenire distantiam duorum locorum AC, quorum unus A tantum accessibilis.*

RESOLUTIO.

1. Investigetur quantitas angulorum A & B, statione in B electa (§. 152 *Geom.*), itemque rectæ AB (§. 126 *Geom.*).
2. Inveniatur AC (§. 36). *Q. e. f.*

THEOREMA VI.

Tab. II. Fig. 23. 66. *Si in distantia AB ex duobus angulis A & ACB una cum latere AC investiganda nonnisi in angulo uno ACB metiendo aberretur; arcus BE, qui errorem in angulo BCD admisso metitur, erit ad BD differentiam inter distantiam veram AB & erroneam AD ut sinus anguli tertii* o *distantiæ stationum AC oppositi ad sinum totum.*

DEMONSTRATIO.

Illud per se patet in hoc casu distantiam erroneam calculo productam AD continuo in directum jacere veræ AB, consequenter latus CD terminans angulum erroneum ACD secare distantiam veram in præsente casu productam in D. Describatur ergo ex centro C radio CB arcus BE, qui est mensura erroris BCD (§. 57 *Geom.*), cumque nonnisi paucorum minutorum sit *ex hypothesi*, pro recta haberi potest. Quamobrem cum anguli BED & CBE sint recti (§. 309 *Geom.*), erunt anguli o & u (§. 147 *Geom.*), itemque u & x æquales recto (§. 241 *Geom.*), consequenter $o + u = x + u$ (§. 145 *Geom.*), atque ideo $o = x$ (§. 91 *Arithm.*). Est vero ut sinus anguli x (sive o *per demonstr.*) ad arcum BE; ita sinus totus ad BD (§. 33). Ergo BE est ad BD ut sinus anguli o ad sinum totum (§. 173 *Arithm.*). *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

67. Cum sinus anguli o majorem habeat ad sinum totum rationem, si major, quam ubi minor fuerit (§. 203 *Arithm.*); eodem errore in metiendo angulo ACB admisso, hoc est, arcu BE existente eodem, minor erit error in distantia determinanda admissus BD, ubi angulus o major, quam ubi minor fuerit (§. 206 *Arithm.*).

COROLLARIUM II.

68. Unde consequitur, talem hoc in casu fieri debere stationum A & C electionem, ut anguli A & C sint admodum obliqui, angulus vero o evadat recto proximus: id quod obtinetur, si anguli A & C junctim sumti tantillo excedant rectum (§. 240 *Geom.*).

COROLLARIUM III.

69. Anguli obtusi eundem sinum habent cum acutis, qui ipsis deinceps ponuntur (§. 5). Quamobrem si recto fuerint multo majores, perinde est in præsenti casu, ac si angulus *o* esset valde acutus. Quodsi autem angulum *o* in electione stationum obtusum desideres, tantillo rectum excedere debet, consequenter anguli A & C simul a recto tantillo deficiant necesse est.

COROLLARIUM IV.

70. Si angulus *o* fuerit rectus, arcus BE cum ipsa BD coincidit, atque adeo errori in distantia admisso æqualis reperitur, ubi in eadem mensura determinatur, in qua datur distantia stationum AC ex radio nempe CB (§. 435 *Geom.*).

COROLLARIUM V.

71. Errore adeo in angulo C existente eodem, qui in distantia admittitur minimus omnium est, ubi angulus *o* fuerit rectus.

THEOREMA VII.

Tab.II. Fig.23. 72. *Si in dimetienda distantia locorum AB ex duobus angulis A & C & uno latere AC error etiam in altero angulo metiendo A admittatur præter eum, qui in angulo C committitur; erit errorem in angulo A commissum metiens arcus DI distantia uno errore implicita AD tanquam radio descriptus ad errorem inde in distantia productum IH ut sinus anguli tertii* o *quantitate erroris primi* m *diminuti ad ejus cosinum.*

DEMONSTRATIO.

Etenim si AH fuerit recta positione data, in quam ob errorem in angulo A metiendo admissum promovetur distantia AB, recta errorem primum *m* terminans CD continuanda, donec illi in H occurrat, eritque AH distantia ex duplici errore *m* & *k* admisso. Jam distantia uno errore implicita AD tanquam radio describatur arcus DI mensura erroris *k* (§. 57 *Geom.*); erit is tum ad AD. tum ad AI perpendicularis (§. 309 *Geom.*), consequenter anguli DIH & ADI recti (§. 75 *Geom.*), cumque arcus DI sit paucorum minutorum (§. 59 *Geom.*) pro recta haberi potest. Hinc porro ut in demonstratione præcedente colligitur esse $y = x = o - m$ (§. 239 *Geom.*). Est vero ut sinus anguli y ad DI ita sinus anguli z ad IH (§. 36). Ergo DI ad IH ut sinus anguli y ad sinum anguli z (§. 173 *Arithm.*), sive cosinum anguli y (§. 241 *Geom.*). *Q. e. d.*

SCHOLION.

73. *Si in dimetiendo angulo peccetur in defectu, error in distantia admissus eodem modo determinatur, nisi quod tum fiat subtractivus, atque adeo unus alterum imminuere, immo prorsus compensare possit, ubi alter additivus, alter subtractivus fuerit. Sed plura non addimus ob rationem paulo ante dictam.*

PROBLEMA XXVII.

74. *Invenire distantiam duorum locorum inaccessorum AB.* Tab.II. Fig.17.

RESOLUTIO.

1. Statione commoda in C electa investigetur quantitas anguli ACB, itemque angulorum D & E atque BCE (§. 152 *Geom.*), punctis D & E cum C in eadem linea designatis (§. 125 *Geom.*).
2. Investigetur etiam quantitas rectarum DC & CE (§. 126 *Geom.*).

3. Sum-

3. Summa angulorum ACB & BCE, itemque BCE & E subtrahatur ex 180°, ut relinquantur anguli ACD & CBE (§. 148 *Geom.*): eodemque modo inveniatur angulus DAC.
4. Datis jam in triangulis DAC & CBE angulis cum latere uno, nempe DC in primo, CE in altero, inveniuntur AC & CB (§. 36) & hinc porro angulus CAB (§. 40), tandemque AB (§. 36).

PROBLEMA XXVIII.

Tab. II. Fig. 18. 75. *Invenire altitudinem accessibilem AB.*

RESOLUTIO.

1. Statione in E electa instrumentoque (§. 284 *Geom.*) rite collocato, investigetur quantitas anguli ADC (§. 152 *Geom.*).
2. Quæratur porro distantia stationis ab altitudine DC (§. 126 *Geom.*), quæ erit ad AC perpendicularis (§. 227 *Geom.*).
3. Cum adeo C sit rectus (§. 78 *Geom.*), in triangulo ACD invenietur AC (§. 36).
4. Huic si addatur BC; prodibit altitudo integra AB. *Q. e. i.*

THEOREMA VIII.

Tab. II. Fig. 19. 76. *Si in quantitate anguli A investiganda aberretur, erit altitudo vera BD ad falsam BC ut tangens anguli veri DAB ad tangentem anguli erronei CAB.*

DEMONSTRATIO.

Assumto AB pro sinu toto, erit DB tangens anguli DAB; CB autem tangens anguli CAB (§. 7). Sunt itaque altitudines BD & BC ut tangentes angulorum DAB & BAC. *Quod erat unum.*

Eodem modo se habet demonstratio, si angulus erroneus sit minor vero.

COROLLARIUM I.

77. Quoniam posita eadem quantitate anguli veri atque erronei eadem est ratio altitudinis veræ ad erroneam (§. 76); error plurium pedum committitur in altitudine majore quam in minore.

COROLLARIUM II.

78. Quia tangentes arcuum majorum & valde exiguorum seu recto vel minuto proximorum minorem rationem inter se habent quam tangentes mediocrium seu semirecto vicinorum, minore nempe ad majorem relata, canone tangentium teste; si idem error committitur in angulo majore aut valde exiguo & mediocri; error in altitudine admissus major erit in casu priore, quam in posteriore.

SCHOLION.

79. Sit e. gr. angulus verus BAD 30°, AB 67′: erit altitudo vera 5°8′6″. Ponamus assumi angulum erroneum BAC 31°: is producet altitudinem erroneam BC 4° 0′2″ (§. 36). Sit in distantia minore DE angulus DEB recto proximus 86° & assumatur per errorem angulus 87°: reperietur altitudo erronea 5°1′6″, quæ erroneam supra inventam excedit 1°1′4″.

COROLLARIUM III.

80. Quoniam itaque in distantia minore EB angulus E major est quam DAB in majore AB (§. 188 *Geom.*), in distantia autem valde remota difficulter anguli admodum exigui quantitas exacte determinatur: in metiendis altitudinibus distantia stationis ab altitudine assumenda est mediocris, ita ut angulus DEB non multum abeat a semirecto.

THEO-

THEOREMA IX.

Tab.II. Fig.20. 81. *Si instrumentum in A non fuerit horizontaliter collocatum, sed vel quantitate anguli BAD versus horizontem inclinatum vel quantitate anguli EAB ab eodem reclinatum; erit altitudo vera ad falsam ut tangens anguli veri CAB ad tangentem erronei CAD vel CAE.*

DEMONSTRATIO.

Sumto enim AB pro radio, CB est tangens anguli veri CAB (§. 7). Inferendum ergo: ut sinus totus ad tangentem CAB ita AB ad altitudinem veram. Infertur autem per errorem: ut sinus totus ad tangentem CAD ita AB ad altitudinem erroneam. Quamobrem ut tangens CAB ad tangentem CAD ita altitudo vera ad erroneam (§. 196 *Arithm.*). *Quod erat primum.*

Idem eodem modo ostenditur, si instrumentum quantitate anguli EAB a situ horizontali reclinetur. *Quod erat alterum.*

SCHOLION.

82. *Eadem ergo hic locum habent corollaria, quæ modo theoremati præcedenti subjecimus. Cæterum patet altitudines exactas non inveniri ob duplicem errorem, ex vitioso nempe situ tam lineæ AC, quam AB commissum.*

PROBLEMA XXIX.

83. *Metiri altitudinem inaccessam AB.* Tab.II. Fig.21.

RESOLUTIO.

1. Eligantur duæ stationes G & E cum altitudine AB in eadem recta (§. 284 *Geom.*) tanto intervallo DF distantes, ut angulus FAD non sit nimis exiguus, nec altera statio G nimis vicina altitudini AB (§. 78. 80).
2. Investigetur quantitas angulorum ADC, AFC & CFB (§. 152 *Geom.*), itemque distantiæ FD longitudo (§. 126 *Geom.*).
3. Inveniatur primum in triangulo AFD, ex datis angulo D *per observationem*, & angulo AFD (§. 149 *Geom.*) & latere FD, latus AF (§. 36); dein, ex notis in triangulo ACF præter rectum C angulo F & latere AF, latus AC itemque CF (§. 36); tandem, ex cognitis in triangulo FCB præter rectum C angulo CFB & latere CF, latus CB (§. 36).
4. Addantur AC & CB. Ita prodit altitudo quæsita AB (§. 86 *Arithm.*).

Finis Trigonometriæ planæ.

ELEMENTA

Fig: Trigonometr. Tab: I.



Fig: Trigonometr: Tab: II.



ELEMENTA ANALYSEOS MATHEMATICÆ TAM FINITORUM QUAM INFINITORUM.

PRÆFATIO.

APICEM totius Eruditionis humanæ conscendimus Analysin tradituri: est enim Ars, per calculum quantitatum generalem, proprio Marte inveniendi veritates in Mathesi non minus pura, quam applicata. Elementis Arithmeticæ communis atque Geometriæ hactenus expositis instructus & Analysi adjutus multa inveniet, quæ ex aliorum scriptis non sine tædio alias haurire deberet; immo omnibus adhuc ignorata deteget. Ea vero perfectissima est studiorum nostrorum ratio, quæ paucis memoriæ mandatis aptos reddit ad inveniendum quodlibet, eo maxime tempore, quo ejus cognitione opus. Nec major intellectus perfectio concipitur promptitudine, ex datis quibusdam, alia incognita eliciendi. Accedit, in moderna Analysi, artis ratiocinandi perfectissima occurrere exempla. Notiones enim signis expressæ imaginationi præsentia sistunt, quæ alias ultra ejus sphæram ascenderent: longa ratiociniorum series, quibus non sine multa attentione ac circumspectione notionum nexus detegitur, in artem signorum combinatoriam convertitur, constanter eandem & principiis paucis ac manifestis superstructam. Illud autem prorsus mirabile existit, ope Analyseos unica sæpius linea tot veritates exprimi, quas juxta communem methodum exponendas ac demonstrandas volumina integra non caperent. Hinc, unius lineæ intuitu, inte-

integras fere diſciplinas, paucorum minutorum ſpatio, addiſcere licet, quibus, juxta communem methodum comprehendendis, anni complures vix ſufficerent. Solidam ergo in Matheſi eruditionem conſecuturus Analyſi ſtudeat opus eſt. Ne autem, non tam difficultate (ea enim revera nulla eſt), quam novitate rei deterritus a præſtantiſſimo ſtudiorum genere arceatur; Arithmeticam ſpecioſam familiarem ſibi reddat, neglectis ſub initium regularum rationibus, ſicubi difficultatem faceſſant, & exemplis numericis in locum earundem ſubſtitutis. Ubi ad exempla Algebraica pervenerit, non inutile judicamus, ut tyrones data per numeros variis modis explicent & idem problema in caſibus ſpecialibus aliquoties ſolvant: ita enim futurum, ut calculo facilius adſueſcant & ejus rationes ſimplices perſpiciant. Neque vero putandum eſt, integram Analyſin jamdum eſſe inventam; quin potius tenendum, plurima adhuc ſubſidia deeſſe poſterorum induſtria detegenda. Certe quæ in elementis Geometriæ docuimus, per modernam Analyſin non omnia eruuntur, inprimis ſi a linearum & ſuperficierum ſitu pendent. Quamobrem *Leibnitius*, vir in omni eruditione ſummus, pro ea, quæ ipſi eſt, ingenii perſpicacitate novam quandam *Analyſin ſitus* excogitavit, peculiari calculi generi (quem *calculum* ſitus appellat) ſuperſtructam, a calculo magnitudinum, quibus in noſtra Analyſi utimur, toto cœlo differentis. Immo qui hactenus reperta animo comprehenderit & ad ſolvenda problemata cum cura adhibuerit, pluribus regulis inveniendi artem ipſe locupletabit. Ceterum quæ vel in Arithmetica, vel in Geometria elementari ſtudio prætermiſſa, ea per Analyſin eruimus, ex Geometria quoque ſublimiori inveſtigantes, quæ præ reliquis ſcitu neceſſaria.

ELEMENTA

ELEMENTA ANALYSEOS MATHEMATICÆ.

PARS PRIMA,

ELEMENTA ANALYSEOS FINITORUM TRADIT.

SECTIO PRIMA,

DE ARITHMETICA SPECIOSA.

CAPUT PRIMUM.

De Arithmetica Rationalium.

DEFINITIO I.

1. ANALYSIS *Mathematica* est Methodus resolvendi problemata Mathematica.

DEFINITIO II.

2. *Arithmetica speciosa* est, quæ computum quantitatum seu numerorum indeterminatorum docet. Vocatur etiam *Logistica speciosa.*

HYPOTHESIS I.

3. *Quantitatum datarum signa sint literæ alphabeti priores*, a, b, c, d &c. *quæsitarum postremæ* z, y, x &c. *Quantitates æquales eadem litera indigitentur.*

SCHOLION I.

4. *Nempe cum quantitates datæ ac quæsitæ tanquam distinctæ intellectui repræsententur per diversas notiones; eædem quoque tanquam distinctæ repræsentandæ sunt imaginationi per signa diversa.*

SCHOLION II.

5. *Nos* Cartesium *sequimur in Geometria. Angli nonnulli, exemplo* Harrioti *in Artis Analyticæ praxi, incognitas quantitates vocalibus; cognitas consonantibus designant.* Vieta *hujus Logisticæ inventor usus est literis majoribus; qui eam primus perfecit* Harriotus *& ipsum secutus* Cartesius *literas minores substituerunt.*

HYPOTHESIS II.

6. *Si quantitatum denominandarum quædam relationes mutuæ dantur, aut aliunde tanquam cognitæ supponi possunt; eas quoque in denominatione exprimi consultum est.*

E. gr. Si fuerint duæ quantitates quæsitæ, quarum una alterius tripla, & una vocetur x, major rectius dicetur $3x$, quam y. Similiter cum quantitas major sit aggregatum ex semisumma duarum quantitatum & earundem semidifferentia; minor vero differentia inter semisummam & semidifferentiam earundem quantitatum (§. 39 *Trigonom.*); consultum sæpius est, ut semisumma dicatur x & semidifferentia y, atque hinc quantitas major $x+y$, minor $x-y$, quam ut ipsa major x & minor y vocetur.

SCHOLION.

7. *Quinam fructus ex commoda quantitatum denominatione expectandi, ex subsequentibus patebit. Breviatur calculus idemque facilitatur: resolutiones problematum sæpe magis genuinæ inveniuntur. Alii suo loco sese offerent. Plura circa denominationem moneri possent, nisi consultius judicaremus ea per exemplum, quam per præcepta doceri.*

HYPOTHESIS III.

8. *Signa operationum arithmeticarum retineantur, quæ in Arithmetica communi tradidimus* (§. 63. 65. 68. 71. 254. 295.), *nisi quod quantitates se mutuo dividentes, ubi commodum fuerit, instar fractionum scribantur.*

E. gr. $\frac{a}{b} = a : b$; $\frac{3}{4} = 3 : 4$.

SCHOLION.

9. *Vulgo multiplicationis signum est* ×. *E. gr.* ab *scribitur* a×b. *Sed cum hoc signum facile cum litera* x *a typothetis confundatur; usus ejus merito improbatur.*

HYPOTHESIS IV.

10. *Si vel unus, vel ambo factores ex pluribus literis componuntur; compositi parenthesi ( ) includuntur.* E. gr. factum ex $a+b-c$ in d ita scribitur: $(a+b-c)d$. Similiter factum ex $a+b-c$ in $d-g$ hunc in modum: $(a+b-c)(d-g)$.

SCHOLION.

11. *Vulgo hæc facta ita scribunt.* $d \times \overline{a+b-c}$ & $\overline{a+b-c} \times \overline{d-g}$. *Sed cum hæc scriptio typothetis molestias creet, inprimis si ex alio capite linearum supra literas ducendarum numerus multiplicatur, signis Leibnitianis utendum esse judicamus, quæ non inutiliter in Actis Eruditorum Lipsiensibus usurpantur & ab admodum* R. P. Guidone Grando (*a*) *in Italia primum introducta.*

HYPOTHESIS V.

12. *Si quantitatum se mutuo dividentium una, vel ambæ ex literis pluribus componuntur; signo parentheseos ( ) similiter utimur, nisi circumstantiæ singulares suadeant, eas fractionum instar scribi.*

E. gr. Quotus ex $a+b$ per c ita scribitur; $(a+b) : c$. Quotus vero ex $a+b$ per $c-d$ ita exprimitur; $(a+b):(c-d)$. Similiter $a:(a+b)$ designat quotum ipsius a per $a+b$ divisi. Iidem quoti communiter ita scribuntur: $\frac{a+b}{c}$, $\frac{a+b}{c-d}$, $\frac{a}{a+b}$.

(*a*) In Quadratura circuli & Hyperbolæ part. 2. p. m. 58.

HYPOTHESIS VI.

13. *Exponentes indeterminati tam rationum, quam dignitatum indicentur per* m, n, r, s, t *&c.*

E. gr. x^m, y^n, z^r &c. designant potentias indeterminatas diversi generis (§. 254 *Arith.*); mx, ny, rz multipla vel submultipla diversa quantitatum x, y, z, prout m, n, r vel numeros integros, vel fractos designant (§. 136 *Arithm.*).

HYPOTHESIS VII.

14. *Si radix ex pluribus literis componitur, parenthesi includitur & exponens ipsi suffigitur, ut ante.*

E. gr. $(a+b-c)^2$ designat quadratum ex $a+b-c$; $(a+b-c)^n$ potentiam quamlibet seu indeterminatam ipsius $a+b-c$.

SCHOLION.

15. *Communiter ita scribunt* $\overline{a+b-c}^m$, $\overline{a+b-c}^n$.

DEFINITIO III.

16 *Quantitas* signo + affecta dicitur *positiva*, item *affirmativa* atque *nihilo major*: quæ vero signo — afficitur, *privativa*, item *negativa* atque *nihilo minor*, a nonnullis *absurda*.

COROLLARIUM I.

17. Quoniam + est signum additionis (§. 63 *Arithm.*); — vero signum subtractionis (§. 65 *Arithm.*): quantitas positiva prodit, si vera aliqua nihilo additur, e. gr. $0+3=+3$, $0+a=+a$; privativa relinquitur, si quantitas aliqua vera ex nihilo subtrahitur. e. gr. $0-3=-3$, $0-a=-a$.

SCHOLION.

18. *Ponamus, te habere nummorum nihil, tibique donari* 100: *habebis ergo* 100 *nummos, adeoque plus nihilo. Plus nempe habes quam ante. Hi nummi quantitatem positivam constituunt. Ponamus e contrario, te nihil habentem solvere debere* 100 *nummos,* 100 *ergo nummorum debitum contrahes, adeoque, antequam solutio fiat, minus nihilo habebis. Solvendi enim sunt* 100 *nummi, ut nihil habeas. Hoc debitum quantitas negativa est. Notandum vero quantitates positivas initio vel solitarie positas signo nullo affici. Cur vero positivæ dicantur nihilo majores, negativæ nihilo minores; ex corollario patet.*

COROLLARIUM. II.

19. Sunt adeo quantitates privativæ verarum, per quas intelliguntur, defectus; consequenter non quantitates veræ.

SCHOLION II.

20. *Defectum per eam quantitatem metimur, quæ deficit, & sic intelligibilis evadit.*

COROLLARIUM III.

21. Si residuo additur, quod fuerat ablatum, ea prodit quantitas, ex qua subtractio facta (§. 106 *Arithm.*). Ergo $-a+a=0$, $-3+3=0$ (§. 17): hoc est, $-a$ & $+a$, itemque -3 & $+3$ se mutuo destruunt.

COROLLARIUM IV.

22. Quoniam defectus unus alterum excedere potest (e. gr. si 7 deficiunt, plura desunt, quam ubi 3 deficiunt), quantitates vero privativæ sunt verarum defectus (§. 19); ideo quantitas una privativa aliquoties sumta alteram superare potest. Quamobrem quantitates privativæ inter se homogeneæ sunt (§. 32 *Arithm.*).

COROLLARIUM V.

23. Sed quia defectus positivæ quantitatis aliquoties sumtus positivam superare nequit, cum potius multo magis ab ea deficiat (§. 17); quantitates privativæ positivis heterogeneæ sunt (§. 32 *Arithm.*).

COROLLARIUM VI.

24. Cum adeo quantitates privativæ positivis heterogeneæ (§. 23), privativis homogeneæ sint, (§. 22); inter privativam & positivam ratio intercedere nequit, inter privativas vero ratio datur (§. 126 *Arithm.*). E. gr. $-3a : -5a = 3 : 5$.

SCHOLION III.

25. *Non mirum videri debet inter quantitates privativas* $-3a$ *&* $-5a$ *eandem esse rationem, quæ est inter positivas* $+3a$ *&* $+5a$. *Quod enim quantitates quatuor, quarum binæ binis heterogeneæ sunt, proportionales esse possint, tum ex rationum doctrina intelligitur, tum ex Geometria manifestum est, in qua eandem rationem inter lineas esse demonstravimus, quæ inter superficies datur.* E. gr. *Parallelogramma æqualium basium rationem altitudinum habent* (*§.* 389 Geom.) *& in praxi regulæ trium pretia sumuntur ut mercium quantitates; licet pretia mercibus heterogenea sint. Falluntur autem, qui inter* 1 *&* -1 *atque inter* -1 *&* 1 *rationem eandem esse sibi persuadent* (*§.* 24).

THEOREMA I.

26. *Quantitas qualibet pro unitate assumi potest.*

DEMONSTRATIO.

Quantitas enim quælibet in se una est (§. 3 *Arithm.*), nec ad aliam determinatam tanquam ad unitatem jam refertur (§. 13 *Arithm.*). Ergo ipsa pro unitate assumi potest (§. 4 *Arithm.*). *Q. e. d.*

PROBLEMA I.

27. *Quantitates tam eodem, quam diversis signis affectas addere.*

RESOLUTIO.

1. Si quantitates eadem litera notatæ eodem signo afficiuntur; numeri iis præfixi adduntur ut in Arithmetica communi.
2. Si signis diversis afficiuntur, additio mutatur in subtractionem & residuo præfigitur signum majoris.
3. Quantitates diversis literis notatæ junguntur mediante signo + (§. 3).

$$\begin{array}{rrrrrl} 4a & +2b & -2c & -5d & -g & \qquad a-b \\ 5a & -2b & +6c & +2d & -3g & \qquad\quad\;\; c \\ \hline 9a & & +4c & -3d & -4g. & \qquad a-b+c \end{array}$$

DEMONSTRATIO.

Cum litera quælibet, qua quantitas aliqua indigitatur, pro unitate assumi possit (§. 26); erit $a+a+a+a=4a$, consequenter $4a+5a=9a$ (§. 96 *Arithm.*). Eodem modo patet esse $-g-3g=-4g$. *Quod erat unum.*

Quoniam $6c=4c+2c$ *per demonstr.* erit $6c-2c=4c+2c-2c$ (*§.* 91 *Arithm.*). Sed $2c-2c=0$ (*§.* 21). Ergo $6c-2c=4c$. Similiter $-5d=-3d-2d$, *per demonstr.* Sed $-5d+2d=-3d-2d+2d$ (*§.* 88 *Arith.*) & $-2d+2d=0$ (*§.* 21). Ergo $-5d+2d=-3d$. *Quod erat alterum.*

Tertium per se patet (§. 8).

SCHOLION.

28. *Ut hic calculus facilius intelligatur, ponamus* a *denotare thalerum*, b *grossum*, c *nummum; habebimus*

$$\begin{array}{l} 7a-9b+5c=7\text{ th.}-9\text{ gr.}+5\text{ num.} \\ 3a+5b-9c=3\qquad\;\; +5\qquad -9 \\ \hline 10a-4b-4c=10\text{th.}-4\text{ gr.}-4\text{ num.} \end{array}$$

Atque per idem exemplum facilius quoque capitur ratio, cur in casu diversitatis signorum additio in subtractionem mutetur & residuo signum majoris quantitatis relinquatur. Nimirum in summa 10 *thalerorum deficiunt* 9 *grossi: quamobrem si quinque addantur, defectus minuitur & ad* 4 *reducitur. Quoniam vero non* 5 *grossi integri, sed demtis* 9 *nummis, summæ adjiciendi, summa* 10 th. $-$ 4 gr. *excedit genuinam* 9 *nummis, qui adeo auferendi. Jam cum in nume-*

numero superiori, cui inferior additur, occurrant 5 nummi, hi quidem actu auferri possunt: qui vero adhuc desiderantur 4, tanquam defectus notandi. Et hac quidem ratione regula a primo inventore detecta.

THEOREMA II.

29. *In subtractione quantitatum compositarum signa subtrahendæ mutantur in contraria, nempe* $+$ *in* $-$ *&* $-$ *in* $+$.

DEMONSTRATIO.

Si $c+d$ fuerit subtrahenda ex $a+b$; differentiam esse debere $a+b-c-d$, adeoque signa $+$ in quantitate subtrahenda in $-$ mutari, ex *hypoth.* 3 (§.8) patet. Sed si $c-d$ subtrahenda ex $a+b$ & integrum c subtrahitur, quantitas major subducta, quam fieri debebat. Ergo quod plus justo subtractum est d, iterum addendum. Prodit ergo $a+b-c+d$. *Q. e. d.*

PROBLEMA II.

30. *Quantitates tam eodem, quam diversis signis affectas a se invicem subtrahere.*

RESOLUTIO.

1. Si quantitates eadem litera notatæ signa eadem habent & minor e majore subtrahenda; subtractio ut in Arithmetica communi (§.103 *Arith.*) absolvitur.
2. Si vero major e minori subducenda; contraria ratione minor e majore subtrahitur & residuo præfigitur signum $-$, si quantitates signo $+$ afficiuntur; signum vero $+$, si signo $-$ gaudent.
3. Si quantitates diversa signa habent; in additionem mutatur subtractio & aggregato præfigitur signum ejus quantitatis, ex qua subtractio facta est.
4. Si quantitates diversis literis notatæ, signa subtrahendæ tantum in contraria mutantur.

$$
\begin{array}{l}
8a - 5c + 9d = 8\text{th.} - 5\text{ gr.} + 9\text{ num.}\\
6a - 8c - 7d = 6 \quad - 8 \quad - 7\\
\hline
2a + 3c + 16d = 2\text{ th.} + 3\text{ gr.} + 16\text{ num.}
\end{array}
$$

$$
\begin{array}{l}
9b + 15c - 7d + 8e - f\\
6b + 20c - 9d - 9e + 7f\\
\hline
3b - 5c + 2d + 17e - 8f
\end{array}
$$

$$
\begin{array}{ll}
a+b-c & a+d\\
d-e+f & c-e-g\\
\hline
a+b-c-d+e-f & a+d-c+e+g
\end{array}
$$

DEMONSTRATIO.

Cum quantitates eadem litera notatæ sint vel unitates eædem, vel ejusdem unitatis multiplæ aut submultiplæ (§. 26); erit $8a - 6a = 2a$ (§. 35. 103 *Arithm.*). *Quod erat unum.*

Si quantitas major $20c - 9d$ ex minore $15c - 7d$ subtrahenda; erit residuum $15c - 7d - 20c + 9d$ (§.29). Sed $15c - 20c = -5c$ & $-7d + 9d = 2d$ (§. 27). Ergo $15c - 7d - 20c + 9d = -5c + 2d$. *Quod erat alterum.*

Si $-9e + 7f$ subtrahi debent ex $8e - f$; erit residuum $8e - f + 9e - 7f$ (§.29). Sed $-f - 7f = -8f$ & $8e + 9e = 17e$ (§. 27). Ergo $8e - f + 9e - 7f = 17e - 8f$. *Quod erat tertium.*

Quartum patet per theor. 2. (§.29).

Aliter.

1. Signa quantitatis subtrahendæ mutentur in contraria (§. 29): quo facto
2. Additio fiat (§. 27), seu quæ se mutuo destruunt deleantur.

E. gr.

E. gr. ex $9b + 15c - 7d + 8e - f$ subtrahi debet $6b + 20c - 9d - 9e + f$ fiat (§. 29) $+6b - 20c + 9d + 9e - f$; erit (§. 27) residuum $3b - 5c + 2d + 17e - 8f$. Nimirum $+6b - 6b$, $+15c - 15c$, $-7d + 7d$, se mutuo destruunt (§. 21).

SCHOLION.

31. *Mirum videri poterat, quod cum quantitates privativæ positivis heterogeneæ sint (§. 23), heterogeneæ autem nec addi (§. 61* Arithm.), *nec a se invicem subtrahi possint (§. 64* Arithm.), *privativæ tamen positivis addantur & ab iis subtrahantur. Enim vero rem curatius perpendens animadvertes proprie loquendo, privativam nunquam addi positivæ, nec ab eadem subtrahi: sed in additione subtrahi, quod plus justo fuerat additum (§. 27); in subtractione addi, quod plus justo fuerat subductum (§. 30).*

THEOREMA III.

32. *Si quantitas positiva per positivam multiplicetur aut dividatur, in utroque casu quantitas prodit positiva.*

DEMONSTRATIO.

Est enim in multiplicatione ut unitas ad factorem unum; ita alter ad productum (§ 66 *Arithm.*). Sed uterque factor est positivus, *per hypoth.* Ergo & factum positivum esse debet (§. 24). *Quod erat unum.*

Si $+a$ ducitur in $+b$, factum est $+ab$, *per demonstr.* Ergo si $+ab$ dividitur per $+a$, quotus erit $+b$; si per $+b$, quotus $+a$ (§. 210 *Arithm.*). *Quod erat alterum.*

THEOREMA IV.

33. *Si quantitas negativa per positivam multiplicetur aut dividatur, in utroque casu quantitas prodit negativa.*

DEMONSTRATIO.

Multiplicare idem est ac quantitatem aliquam aliquoties sibimetipsi addere (§. 67 *Arithm.*). Est vero summa quantitatum negativarum negativa (§. 27). Ergo factum ex negativa in positivam negativum est. *Quod erat unum.*

Factum ex $-a$ in $+b$ est $-ab$ *per demonstr.* Ergo si $-ab$ dividitur per $+b$, quotus est $-a$ (§. 210 *Arithm.*). *Quod erat alterum.*

THEOREMA V.

34. *Si quantitas negativa per negativam multiplicetur aut dividatur, quantitas positiva prodit.*

DEMONSTRATIO.

Quantitas privativa per privativam proprie loquendo multiplicari nequit (§. 66 *Arithm.*): id quod ipsa notio quantitatis privativæ insinuat (§. 19), utpote quæ repugnat actui positivo, qualis est iterata ejusdem quantitatis additio, in qua multiplicatio consistit (§. 67 *Arithm.*). Quare hæc multiplicatio proprie tantum locum habet, ubi privativæ positivis junguntur, ita ut addi rursus debeat, quod plus justo fuerat subtractum: id quod evidentissime ita demonstramus.

Sit ACDB parallelogrammum rectangulum & in eo AC$=a$, CD$=b$. Ducatur EF ipsi CD parallela (§. 258 *Geom.*); erit ob rectos ad E & F (§. 230 *Geom.*) & EF$=$AB, itemque AE$=$BF (§. 238 *Geom.*), ABFE rectangulum (§. 100 *Geom.*). Eodem modo ostenditur, ducta HG ipsi BD parallela; fore Tab. I. *Fig.* 1.

re GHBD & BHIF, consequenter AEIH rectangula. Sit ergo AE$=c$, GD $=d$: erit EC$=a-c$, CG$=b-d$, atque hinc ACDB$=ab$, AEIH$=bc-dc$ & HGDB $=ad$(§.375 *Geom.* & §. 33 *Analyſ.*). Quodſi areas rectangulorum AI, & HD ſubtrahas ab area rectanguli AD; relinquitur area rectanguli ECGI, hoc eſt, factum ex $a-c$ in $b-d$ (§. 375 *Geom.*). Reperitur adeo $(a-c)$ $(b-d)$ $=ab-ad-bc+cd$ (§.30). Unde apparet, factum ex $-c$ in $-d$ eſſe $+cd$. *Quod erat unum.*

In diviſione quærimus, quoties quantitas una in altera contineatur (§. 69 *Arithm.*). Diviſurus ergo quantitatem privativam per privativam quærit, quoties defectus unus in altero contineatur (§. 19): quotus adeo qui idem indicat (§. 69 *Arithm.*), utique quantitas poſitiva eſſe debet. *Quod erat alterum.*

SCHOLION.

35. *Poſſunt etiam theorema 3 & 4 ope rectanguli demonſtrari.*

THEOREMA VI.

36. *Si quantitas poſitiva per negativam multiplicatur aut dividitur, quantitas privativa prodit.*

DEMONSTRATIO.

Cum in multiplicatione quantitas multiplicanda toties ſibimetipſi addatur, quoties multiplicans unitatem continet (§. 66 *Arith.*); quantitas vero privativa ſit defectus alicujus quantitatis (§. 19): proprie loquendo poſitiva per privativam multiplicari nequit. Hinc denuo multiplicatio tantum locum habet, ubi privativæ poſitivis junguntur, ita ut ſubtrahatur, quod plus juſto fuit additum: id quod ita demonſtramus.

Sint LMON & PMOQ rectangula & in iis NO$=a$, MO$=b$, QO$=c$, erit NQ$=a-c$, area PQOM$=bc$, LNOM$=ab$, (§. 368 *Geom.*), conſequenter LNQP$=b(a-c)=ab-bc$. Ergo b ductum in $-c$ efficit $-bc$. *Quod erat unum.* Tab. I. Fig. 2.

Factum ex $-c$ in $-d$ eſt $+cd$ (§. 34). Ergo ſi $+cd$ dividis per $-c$, quotus eſſe debet $-d$ (§. 210 *Arithm.*). *Quod erat alterum.*

THEOREMA VII.

37. *In multiplicatione ac diviſione eadem ſigna efficiunt* $+$, *diverſa* $-$.

DEMONSTRATIO.

Si quantitates ſe mutuo multiplicantes aut dividentes fuerint poſitivæ vel privativæ; quantitas prodit in utroque caſu poſitiva (§. 32. 34): ſi vero altera privativa, altera poſitiva, quantitas prodit privativa (33. 36). Ergo eadem ſigna efficiunt $+$, diverſa $-$. *Q. e. d.*

PROBLEMA III.

38. *Quantitates tam eodem, quam diverſis ſignis affectas in ſe invicem ducere.*

RESOLUTIO.

Omnia hic fiunt ut in Arithmetica communi (§.111 *Arithm.*), niſi quod notetur regula: *eadem ſigna faciunt* $+$; *diverſa* $-$ (§. 37).

$$\begin{array}{r}
a + c \\
b + d \\
\hline
+ ad + cd \\
ab + bc \\
\hline
ab + ad + bc + cd
\end{array}
\qquad
\begin{array}{rrrr}
a + b - d \\
a - b - d \\
\hline
- ad & - bd & + dd \\
- ab - bb & + bd & \\
aa + ab - ad & & \\
\hline
aa - bb - 2ad & & + dd
\end{array}$$

$$\begin{array}{l}
10 = 8 + 4 - 2 \\
2 = 8 - 4 - 2 \\
\hline
- 16 - 8 + 4 \\
- 32 - 16 + 8 \\
64 + 32 - 16 \\
\hline
20 = 64 \quad - 48 \quad + 4
\end{array}$$

Item

$$\begin{array}{l}
8 = 10 - 2 \\
7 = 10 - 3 \\
\hline
- 30 + 6 \\
100 - 20 \\
\hline
56 = 100 - 50 + 6 = 50 + 6
\end{array}$$

S C H O L I O N.

39. *Exemplum posterius demonstrationem exhibet ocularem multiplicationis per digitos. Nimirum 2 & 3 sunt distantiæ factorum a denario per digitos in utraque manu erectos repræsentari solitæ; quod relinquitur, factis ex distantiis istis in denarium a 100 subductis, indicatur digitis residuis in utraque manu &, ut ab erectis distinguantur, depressis, singulis nempe pro totidem denariis sumtis. Ita in nostro casu in altera manu deprimuntur digiti 2, in altera 3, simul 5, adeoque quinque numerantur decades. Summæ adjicitur factum ex digitis in utraque manu erectis in se invicem.*

P R O B L E M A IV.

40. *Quantitates compositas dividere.*

R E S O L U T I O.

Si quantitas una per alteram actu dividi potest, orta nempe ex divisore in aliam (§. 210 *Arithm.*); divisio instituitur ut in numeris (§. 117 *Arithm.*), notata tamen regula: *eadem signa faciunt* +, *diversa* − (§. 37).

In aliis casibus tantum observanda, quæ supra præcepimus (§. 8).

E. gr. dividere jubemur $aa - bb - 2ad + dd$ per $a - b - d$.

$$\begin{array}{l}
 aa - bb - 2ad + dd\,(a + b - d \\
a - b - d)\, aa - ab \quad - ad \\
\hline
\quad + ab - bb - ad + dd \\
\quad + ab - bb - bd \\
\hline
\quad\quad + bd - ad + dd \\
\quad\quad - ad + bd + dd \\
\hline
\quad\quad\quad 0 \quad 0 \quad 0
\end{array}$$

P R O B L E M A V.

41. *Fractionem fractioni addere, aut unam ex altera subtrahere.*

R E S O L U T I O.

Omnia hic fiunt ut in Arithmetica communi (§. 236. 237. *Arithm.*).

E. gr. sint fractiones addendæ $\frac{a}{b}$ & $\frac{c}{d}$. Reductæ ad eandem denominationem erunt $\frac{ad}{bd}$ & $\frac{bc}{bd}$, (§. 235 *Arithm.*). Ergo summa $\frac{ad + bc}{bd}$ (§. 27).

Similiter sit fractio $\frac{a}{b}$ subtrahenda ex $\frac{c}{d}$ Reductæ erunt $\frac{ad}{bd}$ & $\frac{bc}{bd}$, ut ante. Ergo differentia $\frac{bc - ad}{bd}$ (§. 30).

P R O B L E M A VI.

42. *Fractionem per fractionem multiplicare aut dividere.*

R E S O L U T I O.

Denuo hic omnia fiunt ut in Arithmetica communi (§. 239. 243 *Arithm.*).

E, gr,

E. gr. Sint fractiones se mutuo multiplicaturæ $\frac{a}{b}$ & $\frac{c}{d}$: erit factum $\frac{ac}{bd}$.

Sint fractiones se mutuo divisuræ $\frac{ac}{db}$ & $\frac{a}{b}$; erit quotus $\frac{ac}{bd}\cdot\frac{b}{a} = \frac{acb}{abd} = \frac{c}{d}$ (§. 231 *Arithm.*).

COROLLARIUM I.

43. Cum $a = \frac{a}{1}$ (§. 59 *Arithm.*); erit factum ex a in $\frac{c}{d}$, hoc est, ex integra quantitate in fractam, $\frac{c}{d}\cdot\frac{a}{1} = \frac{ac}{d}$. Unde patet, numeratorem fractæ multiplicandum esse per integram, si fractio per integrum multiplicari debet: quemadmodum fit in Arithmetica communi (§. 242 *Arithm.*).

COROLLARIUM II.

44. Ergo quotus ex $\frac{c}{d}$ per a, hoc est, ex quantitate fracta per integram divisa, $\frac{c}{d}\cdot\frac{1}{a} = \frac{c}{ad}$. Unde patet, denominatorem dividendi multiplicandum esse per divisorem & factum subscribendum numeratori immutato, si fractio per integrum dividenda.

PROBLEMA VII.

45. *Quantitatem quamcunque per divisorem compositum dividere, utut divisionem exactam non admittat.*

RESOLUTIO.

Divisio instituatur ut in Arithmetica communi (§. 117 *Arithm.*), tamdiu continuanda, donec quotus legem manifestet juxta quam termini ejus in infinitum progrediuntur, observata subtractionis, itemque multiplicationis ac divisionis lege de signorum mutatione (§. 29. 37).

E. gr. Si quantitas dividenda b, dividens $a+c$, erit:

$$
\begin{array}{lllll}
a+c)\ b & & & & \left(\frac{b}{a} - \frac{bc}{a^2} + \frac{bc^2}{a^3} - \frac{bc^3}{a^4}\ \text{\&c. in infin.}\right. \\
\quad b + \frac{bc}{a} & & & & \\
\hline
\quad -\frac{bc}{a} & & & & \\
\quad -\frac{bc}{a} - \frac{bc^2}{a^2} & & & & \\
\hline
\qquad + \frac{bc^2}{a^2} & & & & \\
\qquad + \frac{bc^2}{a^2} + \frac{bc^3}{a^3} & & & & \\
\hline
\qquad\quad - \frac{bc^3}{a^3}\ \text{\&c. in inf.} & & & &
\end{array}
$$

Nimirum si b per a dividitur, quotus est $\frac{b}{a}$ (§. 8). Factum ex $\frac{b}{a}$ in $a+c$ est $\frac{ab}{a} + \frac{bc}{a}$ (§. 43), hoc est, $b + \frac{bc}{a}$ (§. 223 *Arithm.*): quod ex dividenda b subductum relinquit $-\frac{bc}{a}$ (§. 29). Si porro $-\frac{bc}{a}$ per a dividitur, erit quotus $-\frac{bc}{a^2}$ (§. 44). Factum ergo ex $a+c$ in $-\frac{bc}{a^2}$, hoc est, $-\frac{abc}{a^2} - \frac{bc^2}{a^2}$ (§. 43. 37), seu $-\frac{bc}{a} - \frac{bc^2}{a^2}$ (§. 223 *Arithm.*), ex dividenda $-\frac{bc}{a}$ subtractum relinquit $+\frac{bc^2}{a^2}$ (§. 29). Unde patet quomodo divisio continuanda. Inventis autem vel quinque terminis, tum quotus, tum ipsa divisionis ratio insinuat, quorum constare ex infinita terminorum serie, quorum numeratores sunt potentiæ ipsius

 c,

c, quarum exponentes a numero ordinis unitate differunt, per b multiplicatæ; denominatores vero potentiæ ipsius a, quarum exponentes æquantur numero ordinis terminorum. E. gr. in termino tertio potentia ipsius c in numeratore secunda est potentia vero ipsius a in denominatore tertia.

Corollarium I.

46. Si $b = 1$ & $a = 1$, substituto valore hoc in quoto, prodit $1 - c + c^2 - c^3$ &c. in infin. Quare $\frac{1}{1+c} = 1 - c + c^2 - c^3$ &c. in infin.

Corollarium II.

47. Quodsi termini in quoto continuo decrescant, series dat quotum vero quantumlibet propinquum. E. gr. si $b = 1$, $c = 1$ & $a = 2$; valoribus his substitutis in serie generali, aut divisione ut in exemplo universali instituta, reperietur $\frac{1}{3} = \frac{1}{2+1} = \frac{1}{2} - \frac{1}{4} + \frac{1}{8} - \frac{1}{16} + \frac{1}{32} - \frac{1}{64} + \frac{1}{128}$ &c. Ponamus jam seriem terminari in termino quarto; in defectu quidem peccabitur, sed qui minor quam $\frac{1}{32}$. Si eadem terminetur in sexto; denuo peccabitur in defectu, sed qui minor $\frac{1}{128}$. Series igitur quo longius continuatur, eo propius ad verum quotum accedit.

Scholion.

48. *Similiter invenietur* $\frac{1}{4} = \frac{1}{3+1} = \frac{1}{3} - \frac{1}{9} + \frac{1}{27} - \frac{1}{81} + \frac{1}{243}$ &c. in infin. $\frac{1}{5} = \frac{1}{4+1} = \frac{1}{4} - \frac{1}{16} + \frac{1}{64} - \frac{1}{256}$ &c. in infin. $\frac{1}{6} = \frac{1}{5+1} = \frac{1}{5} - \frac{1}{25} + \frac{1}{125} - \frac{1}{625}$ &c. in infin. *En legem constantem, juxta quam omnes fractiones, quarum numerator unitas, per series infinitorum terminorum exprimere licet. Sunt nempe illæ series progressiones geometricæ decrescentes, ita quidem ut numerator semper sit unitas, denominator termini primi idemque exponens rationis unitate differat a denominatore fractionis resolvendæ.*

Corollarium III.

49. Si termini in quoto continuo crescunt, series a quoto tanto magis discedit, quo longius continuatur, nec quoto æqualis fit, nisi terminetur ultimumque residuum sub signo suo adjiciatur. E. gr. Sit $\frac{1}{3} = \frac{1}{1+2}$; reperietur quotus $1 - 2 + 4 - 8 + 16 - 64 + 128$ &c. Terminus unus 1 superat $\frac{1}{3}$ excessu $\frac{2}{3}$: termini duo deficiunt $\frac{4}{3}$. Termini tres excedunt $\frac{8}{3}$, quatuor deficiunt $\frac{16}{3}$. Et ita porro. Ponamus seriem terminari in -8; erit $\frac{1}{1+2} = 1 - 2 + 4 - 8 + \frac{16}{3}$. Sed $1 - 2 + 4 - 8 = -5 = -\frac{15}{3}$. Ergo $\frac{1}{1+2} = \frac{16}{3} - \frac{15}{3} = \frac{1}{3}$. Similiter si sit $\frac{1}{2} = \frac{1}{1+1}$; reperietur quotus $1 - 1 + 1 - 1 + 1 - 1$ &c. ubi termini numero pares $= 0$ deficiunt continuo $\frac{1}{2}$; termini autem numero impares conficiunt 1, consequenter excessus $= \frac{1}{2}$. Ergo $\frac{1}{1+1} = 1 - \frac{1}{2}$, vel $= 0 + \frac{1}{2}$. Ponamus seriem universalem (§. 46) terminari in $-c^3$: erit $\frac{1}{1+c} = 1 - c + c^2 - c^3 + \frac{c^4}{1+c} = (1 + c - c\; c^2 + c^2 + c^3 - c^3 - c^4 + c^4) : (1 + c)$ (§. 235 *Arithm.*) $= \frac{1}{1+c}$ (§. 21).

Scholion I.

50. *Tyrones hoc problema cum suis corollariis sub initium prætermittere possunt, donec inferius ad illud provocetur.*

Scho-

SCHOLION II.

51. *Quoniam si* $\frac{1}{2} = \frac{1}{1+1}$ *in seriem resolvitur, quotus a fractione proposita, quantumlibet continuatus, continuo differt* $\frac{1}{2}$ (*§.* 49), *resolutio in præsenti casu irrita evadit. Unde patet fons erroris, quem commisit* Guido Grandus *in Tractatu de quadratura circuli & hyperbolæ cor. 3. prop. 7. part. 1. p. m. 29, ubi infert ob* $1 - 1 + 1 - 1 + 1 - 1 + 1 - 1$ &c. *in infinitum* $= 0$ *summam infinitarum nullitatum esse* $\frac{1}{2}$. *Nec veritatem attigisse liquet* Leibnitium *in Actis Eruditorum Tom. 5. Supplement. p. 264. & seqq.*

DEFINITIO IV.

52 Series *quæ ad verum valorem continuo appropinquant, dicuntur* convergentes: *quæ ab eodem continuo recedunt*, divergentes.

COROLLARIUM I.

53. Ergo series fractionum continuo decrescentium (*§.* 47. 48) sunt convergentes: ceteræ vero, quarum termini continuo crescunt (*§.* 49), divergentes.

PROBLEMA VIII.

54. *Potentiam quamcunque per aliam ejusdem radicis multiplicare vel dividere.*

RESOLUTIO.

I. In multiplicatione addantur exponentes, summa est exponens facti.

$$\begin{array}{ccccc} x^3 & y^m & y^n & a^m & x^n \\ x^4 & y^m & y^n & a^r & x^s \\ \hline x^7 & y^{2m} & y^{m+n} & a^{m+r} & x^{n+s} \end{array}$$

II. In divisione exponens dignitatis dividentis subtrahatur ab exponente dividendæ; residuum est exponens quoti

$$\frac{x^7}{x^4}\left(x^3 \qquad \frac{y^{m+n}}{y^n}\right(y^m \qquad \frac{a^m\, x^n}{a^r\, x^s}\left(a^{m-r}\, x^{n-s}\right.$$

DEMONSTRATIO.

Cum exponentes dignitatum in progressione Arithmetica (§. 251. 333 *Arithm.*), dignitates in Geometrica (§. 250. 332 *Arithm.*) progrediantur; illi pro harum Logarithmis recte habentur (§. 334 *Arithm.*). Ergo summa exponentium, quos habent dignitates se mutuo multiplicantes, est exponens facti (*§.* 337 *Arithm.*); differentia exponentium, quos habent dignitates se mutuo dividentes, est exponens quoti (§. 343 *Arithm.*). *Q. e. d.*

SCHOLION.

55. *Progressiones istæ hæ sunt:*

$x^0.\ x^1.\ x^2.\ x^3.\ x^4.\ x^5.\ x^6.\ x^7.$ &c.

$0.\ 1.\ 2.\ 3.\ 4.\ 5.\ 6.\ 7.$ &c.

Nempe $x : x = x^1 : x^1 = x^0$ (*§.* 54). *Sed* $x : x = 1$ (*§.* 69 Arithm.). *Ergo* $x^0 = 1$ (*§.* 87 Arithm.).

PROBLEMA IX.

56. *Potentiam quamcunque datam ad aliam dati exponentis evehere, aut ex eadem dati similiter exponentis radicem extrahere.*

RESOLUTIO.

I. Quoniam potentia data, intuitu ejus ad quam evehenda, radix est (*§.* 246 *Arithm.*) & exponentes logarithmi dignitatum existunt *per demonstr. in probl. præc.* (§. 54): exponens potentiæ novæ habebitur, potentiæ datæ exponente in exponentem ejus, ad quam evehi debet, ducto (§.341 *Arithm.*).

E. gr. Potentia x^m evecta ad dignitatem n est x^{mn}. Potentia y^3 evecta ad dignitatem 2 est y^6.

II. Non absimili modo liquet, Exponentem radicis haberi, si exponens dignitatis datæ dividatur per exponentem radicis datum (§. 341. *Arithm.*).

E. gr. Radix quadrata ex x^6 est x^3: radix n ex x^{mn} est x^m: radix n ex x^m est $x^{m:n}$.

COROLLARIUM.

57. Est itaque $\sqrt{x} = x^{1:2}$, $\sqrt[3]{x} = x^{1:3}$ $\sqrt[n]{x^m} = x^{m:n}$ (§.341 *Arithm.*), consequenter quantitates irrationales ad expressionem rationalem reduci possunt.

SCHOLION.

58. *Quantum in Analysi commodi afferat hæc reductio ex capite subsequente elucescet Etenim si quantitates irrationales ad formam rationalium reducantur; peculiari pro iis calculo opus non est, sed rationalium instar tractari possunt: quemadmodum primi docuerunt* Leibnitius *atque* Newtonus.

CAPUT II.

De Arithmetica Irrationalium.

PROBLEMA X.

59. *Quantitates irrationales diversæ denominationis reducere ad eandem.*

RESOLUTIO.

Sint quantitates reducendæ $\sqrt[m]{x^n}$ & $\sqrt[s]{y^r}$. Quoniam $\sqrt[m]{x^n} = x^{n:m}$ & $\sqrt[s]{y^r} = y^{r:s}$ (§. 57) diversitas denominationis ab exponentibus diversis pendet, exponentes vero fractiones sunt, quæ ad alias ipsis æquales, sed ejusdem denominationis reduci possunt (§.235 *Arithm.*). Ergo quantitates surdæ reducuntur ad eandem denominationem, exponentibus earundem ad eandem reductis. Erit adeo $x^{n:m} = x^{ns:ms}$ & $y^{r:s} = y^{mr:ms}$ seu $x^{n:m} = \sqrt[ms]{x^{ns}}$ & $y^{r:s} = \sqrt[ms]{y^{mr}}$ (§. 57).

E. gr. Sint quantitates reducendæ $\sqrt{2}$ & $\sqrt[3]{5}$. Quoniam $\sqrt{2} = 2^{1:2}$ & $\sqrt[3]{5} = 5^{1:3}$ (§. 57); erunt reductæ $2^{3:6}$ & $5^{2:6}$ (§. 235 *Arithm.*), hoc est, $\sqrt[6]{2^3}$ & $\sqrt[6]{5^2}$ (§. 57), seu, 2 actu ad potentiam tertiam & 5 ad secundam evehendo, $\sqrt[6]{8}$ & $\sqrt[6]{25}$.

SCHOLION.

60. *Quodsi quis ægre admiserit reductionem ad eandem denominationem in exponentibus quantitatum irrationalium factam; is easdem formulas, quas ejus ope elicuimus, per algebram investigare potest, quemadmodum inferius docebimus.*

PROBLEMA XI.

61. *Quantitates irrationales ad simpliciorem expressionem reducere.*

RESO-

RESOLUTIO.

Sit quantitas reducenda $\sqrt[m]{a^n x^m}$. Quoniam ea æqualis eſt ipſi $a^{n:m} x^{m:m}$ (§.57) & $x^{m:m} = x$ (§.56.) erit $\sqrt[m]{a^n x^m} = a^{n:m} x = x\sqrt[m]{a^n}$. Locum ergo habet reductio, ſi quantitas ſub ſigno radicali per iſtiusmodi potentiam, quæ eundem cum radicali ſigno exponentem habet, diviſibilis. Diviſio nempe actu inſtituenda, quoto ſub ſigno radicali relicto & diviſoris radice eidem præfixa.

E. gr. Sit reducenda $\sqrt[3]{16} = \sqrt[3]{8.2}$. Quoniam 8 eſt cubus perfectus, cujus radix 2: habebimus $\sqrt[3]{16} = 2\sqrt[3]{2}$. Eodem modo reperitur $\sqrt[3]{24} = \sqrt[3]{8.3} = 2\sqrt[3]{3}$; $\sqrt{18} = \sqrt{9.2} = 3\sqrt{2}$; $\sqrt[4]{48} = \sqrt[4]{16.3} = 2\sqrt[4]{3}$.

COROLLARIUM I.

62. Si quantitates irrationales ejuſdem gradus ad ſimpliciorem expreſſionem reductæ ſub ſignis radicalibus eandem quantitatem relinquant; erunt inter ſe ut quantitates rationales ſignis præfixæ (§.178 *Arith.*), conſequenter quantitates irrationales inter ſe commenſurabiles eſſe poſſunt (§. 160 *Arithm.*).

E.gr. $\sqrt{8} = \sqrt{4.2} = 2\sqrt{2}$ & $\sqrt{18} = \sqrt{9.2} = 3\sqrt{2}$. Ergo $2\sqrt{2} : 3\sqrt{2} = 2 : 3$, hoc eſt, $\sqrt{8} : \sqrt{18} = 2 : 3$. In caſu reliquo ſunt incommenſurabiles.

SCHOLION I.

63. *Iſtud quantitatum irrationalium genus* communicantium *nomine venire ſolet.*

COROLLARIUM II.

64. Per præſens adeo problema invenitur ratio rationalis irrationalium, ſi qua datur.

COROLLARIUM III.

65. Quia $\sqrt[m]{a^n x^m} = x\sqrt[m]{a^n}$ (§. 61); quantitas ex parte rationalis, ex parte irrationalis ad pure irrationalem reducitur, ſi quantitas rationalis ad eam dignitatem evehitur, cujus gradum indicat exponens ſigno radicali præfixus, & dignitas per quantitatem ſub ſigno radicali multiplicatur. E. gr. $5\sqrt{2} = \sqrt{2.25} = \sqrt{50}$ & $5\sqrt[3]{3} = \sqrt{3.5^3} = \sqrt{3.125} = \sqrt{375}$.

SCHOLION II.

66. *Quodſi quæſiveris, quomodo in reſolutione innoteſcat, utrum quantitas ſub ſigno radicali poſita per potentiam aliquam requiſitam ſit diviſibilis nec ne, & quænam ſit iſta potentia; in diviſores reſolvenda eſt, inter quos locum obtineant neceſſe eſt omnes potentiæ a prima uſque ad requiſitam, ſi cum numeris nobis res fuerit. E. gr. Quæritur an $\sqrt[4]{368}$ ſit diviſibilis per aliquam potentiam quarti gradus. Reſoluturus numerum 368 in ſuos diviſores, reperiet*

2	184
4	92
8	46
16	23

tentando nempe diviſionem per numeros minores & quotos majores a latere ponendo. Invenies hic 2 potentiam primi gradus, 4 potentiam ſecundi, 8 potentiam tertii & 16 potentiam quarti. Ergo 16 eſt diviſor quæſitus, conſequenter $\sqrt[4]{368} = 2\sqrt[4]{23}$.

PROBLEMA XII.

67. *Quantitates irrationales addere aut unam ex altera ſubtrahere.*

RESOLUTIO.

Si quantitates irrationales fuerint communicantes, adeoque reductæ (§.61) fuerint

fuerint commensurabiles (§. 63); quantitates rationales extra vinculum adduntur & a se invicem subtrahuntur, ibique summa, hic differentia denuo præfigitur signo radicali. Reliqua omnia sunt ut in additione & subtractione rationalium.

Ita reperietur $\sqrt{8}+\sqrt{18}=2\sqrt{2}+3\sqrt{2}$ (§. 61) $=5\sqrt{2}=\sqrt{50}$ (§. 65) & $\sqrt[3]{24}+\sqrt[3]{81}=\sqrt[3]{3\cdot 8}+\sqrt[3]{3\cdot 27}=2\sqrt[3]{3}+3\sqrt[3]{3}=5\sqrt[3]{3}=\sqrt[3]{375}$.

Similiter $\sqrt{18}-\sqrt{8}=3\sqrt{2}-2\sqrt{2}=\sqrt{2}$ & $\sqrt[3]{375}-\sqrt[3]{81}=5\sqrt[3]{3}-3\sqrt[3]{3}=2\sqrt[3]{3}=\sqrt[3]{24}$.

Contra $\sqrt{7}$ & $\sqrt{5}$ cum sint incommensurabiles (§. 62); summa erit $\sqrt{7}+\sqrt{5}$ (§. 27), & differentia $\sqrt{7}-\sqrt{5}$ (§. 30).

Hinc & intelliguntur exempla in compositis tum in additione:

$$\begin{array}{l} 4\sqrt{3}-5\sqrt{2}+7\sqrt{7}+8\sqrt{5} \\ \sqrt{3}+9\sqrt{2}+3\sqrt{7}-4\sqrt{5} \\ \hline 5\sqrt{3}+4\sqrt{2}+10\sqrt{7}+4\sqrt{5} \text{ summa;} \end{array}$$

hoc est $\sqrt{3.25}+\sqrt{2.16}+\sqrt{7.100}+\sqrt{5.16}$
seu $\sqrt{75}+\sqrt{32}+\sqrt{700}+\sqrt{80}$
tum in subtractione

$$\begin{array}{l} 5\sqrt{2}-7\sqrt{3}+8\sqrt{10} \\ 3\sqrt{2}+5\sqrt{3}-9\sqrt{10} \\ \hline 2\sqrt{2}-12\sqrt{3}+17\sqrt{10} \text{ different.} \end{array}$$

hoc est $\sqrt{2.4}-\sqrt{3.144}+\sqrt{10.289}$
seu $\sqrt{8}-\sqrt{432}+\sqrt{28900}$

DEMONSTRATIO.

Omnia manifesta sunt ex demonstratione probl. 1 & 2 (§. 27. 30).

PROBLEMA XIII.

68. *Quantitates irrationales per irrationales multiplicare ac dividere.*

RESOLUTIO.

Multiplicentur aut dividantur quantitates sub signo radicali; ibi facto, hic quoto præfigatur signum idem radicale cum suo exponente. Quodsi radicales quantitates fuerint diversæ denominationis ante omnia reducantur ad eandem (§. 59).

E. gr. in multiplicatione $\sqrt{3}.\sqrt{5}=\sqrt{15}$ & $\sqrt{12}.\sqrt{3}=\sqrt{36}=6$. Item in compositis

$$\begin{array}{rr} \sqrt{3}+\sqrt{2} & \sqrt{2}+\sqrt{3} \\ \sqrt{3}-\sqrt{2} & \sqrt{2}+\sqrt{3} \\ \hline -\sqrt{6}-2 & +\sqrt{6}+3 \\ 3+\sqrt{6} & 2+\sqrt{6} \\ \hline 3-2=1 & 2\sqrt{6}+5 \end{array}$$

$$\begin{array}{l} 7\sqrt{3}-5\sqrt{2} \\ 5\sqrt{8}+3\sqrt{6} \\ \hline +21\sqrt{18}-15\sqrt{12} \\ 35\sqrt{24}-100 \\ \hline 35\sqrt{24}+21\sqrt{18}-15\sqrt{12}-100 \end{array}$$

hoc est $70\sqrt{6}+63\sqrt{2}-30\sqrt{3}-100$

$$\begin{array}{l} \sqrt{8}+\sqrt{2}+\sqrt{32} \\ \sqrt{8}+\sqrt{2}+\sqrt{32} \\ \hline +16+8+32 \\ +4+2+8 \\ 8+4+16 \\ \hline 98 \end{array}$$

Similiter in divisione $\sqrt{8}:\sqrt{2}=\sqrt{4}=2$ & $\sqrt{12}:\sqrt{6}=\sqrt{2}$. Item in compositis.

$$\begin{array}{l} \sqrt{3})\ \sqrt{15}-\sqrt{6}+\sqrt{12}\ (\sqrt{5}-\sqrt{2}+2 \\ \quad \sqrt{15} \\ \hline \quad -\sqrt{6}+\sqrt{12} \\ \quad -\sqrt{6} \\ \hline \qquad \sqrt{12}=2\sqrt{3} \\ \qquad\qquad 2\sqrt{3} \\ \hline \qquad\qquad 0 \end{array}$$

SCHO-

SCHOLION I.

69. *Interdum etiam divisio locum habet, si divisor compositus est. Sed cum rarissimus sit ejus usus & ea divisione ignorata maxime præclaros in Analysi progressus facere detur, nec difficultate res careat; eam hic exponi superfluum judicamus. Docet ipsam* Ozanamus *in Novis Elementis Algebræ* (a).

SCHOLION II.

70. *Ceterum ex tradito hactenus calculo liquet, si quantitatem duplici signo radicali affici contingat, e. gr. si fuerit* $(3+\sqrt{2})\sqrt{\sqrt{2}}$, *operationes omnes eodem modo peragi, modo notetur, quantitatem sub primo vinculo eodem modo tractari debere, quo rationalem in antecedentibus tractavimus. E. gr.*

$$\begin{array}{l} \sqrt{(8\sqrt{3})} = 2\sqrt{(2\sqrt{3})} \ (\text{§. } 61) \\ \sqrt{(9\sqrt{12})} = \sqrt{(2.9\sqrt{3})} = 3\sqrt{(2\sqrt{3})} \\ \hline \sqrt{(8\sqrt{3})} + \sqrt{(9\sqrt{12})} = 5\sqrt{(2\sqrt{3})} \\ \qquad = \sqrt{(50\sqrt{3})} \\ \qquad = \sqrt{\sqrt{7500}}. \end{array}$$

Similiter in multiplicatione

$$\begin{array}{l} 3+\sqrt{2} \\ \sqrt{\sqrt{2}} \\ \hline 3\sqrt{\sqrt{2}}+\sqrt{(2\sqrt{2})} \\ \text{hoc est } \sqrt{(9\sqrt{2})}+\sqrt{(2\sqrt{2})} \\ \text{seu } \sqrt{\sqrt{162}}+\sqrt{\sqrt{8}} \end{array} \qquad \begin{array}{l} \sqrt{\sqrt{5}}+\sqrt{\sqrt{2}} \\ \sqrt{(5\sqrt{5})} \\ \hline 5+\sqrt{(5\sqrt{10})} \\ \text{seu } 5+\sqrt{\sqrt{250}} \end{array}$$

$$\begin{array}{l} \sqrt{(3+\sqrt{2})} \\ \sqrt{(5-\sqrt{3})} \\ \hline -3\sqrt{3}-\sqrt{6} \\ 15+5\sqrt{2} \\ \hline \sqrt{(15+5\sqrt{2}-3\sqrt{3}-\sqrt{6})} \end{array} \qquad \begin{array}{l} \sqrt{(3+\sqrt{2})} \\ \sqrt{(3-\sqrt{2})} \\ \hline -3\sqrt{2}-2 \\ 9+3\sqrt{2} \\ \hline \sqrt{7} \end{array}$$

Dicuntur istiusmodi Radices, *qualis est* $\sqrt{(3+\sqrt{2})}$, universales.

(a) Nouveaux Elemens d'ALGEBRE, *Lib. I.* Probl. 4. & *seqq. p.* 7. & *seqq.*

SCHOLION III.

71. Radices *vero* imaginariæ *dicuntur, si quantitas sub signo radicali fuerit negativa, veluti* $\sqrt{-2}$, *cum quadratum* -2 *sit quantitas impossibilis, propterea quod omne quadratum sit positivum* (§. 246 Arithm. & §. 37 Anal.). *Facile autem patet additionem & subtractionem radicum imaginariarum eodem modo fieri debere ac realium.* Ita $\sqrt{-18}+\sqrt{-8} = 3\sqrt{-2}+2\sqrt{-2} = 5\sqrt{-2} = \sqrt{-50}$ & $\sqrt{-18}-\sqrt{-8} = \sqrt{-2}$. *Quoniam vero quantitas privativa sub signo radicali consideratur instar positivæ in multiplicatione signum non mutatur, sed facto perinde ac factoribus præfigitur signum* $-$: *alias enim factores imaginarii efficerent factum reale, quod utique absurdum. Quamobrem regula de signis tantummodo observatur respectu radicum, minime vero respectu quantitatum sub signo radicali positarum.*

$$\text{E.gr.} \begin{array}{l} \sqrt{-5}-\sqrt{-7} \\ \qquad \sqrt{-3} \\ \hline \sqrt{-15}-\sqrt{-21} \end{array} \qquad \begin{array}{l} \sqrt{-3}+\sqrt{-2} \\ \quad +\sqrt{-3} \\ \hline -3+\sqrt{-6} \end{array}$$

$$\begin{array}{l} \sqrt{-8}+\sqrt{-2} \\ \sqrt{-8}+\sqrt{-2} \\ \hline +4+2 \\ -8-4 \\ \hline -6 \end{array}$$

Nimirum $\sqrt{-2}.\sqrt{-2} = -2$ & $+1.-1 = -1$. *Ergo* $-1.-2 = +2$

$$\begin{array}{l} 3\sqrt{-5}+2\sqrt{-3} \\ 3\sqrt{-5}-2\sqrt{-2} \\ \hline -6\sqrt{-10}-4\sqrt{-6} \\ -45+6\sqrt{-15} \\ \hline -45-6\sqrt{-10}+6\sqrt{-15}-4\sqrt{-6} \end{array}$$

CAPUT III.

De usu Calculi Litteralis in inveniendis Theorematis.

PROBLEMA XIV.

72. *Invenire, qualis numerus prodeat ex parium additione, subtractione ac multiplicatione.*

Quoniam numerus par per 2 dividi potest (§. 72. *Arithm.*), dicatur $2a$. Similiter alius numerus par sit $=2c$. Erit

$$\begin{array}{llll} & 2a & 2a & 2a \\ & 2c & 2c & 2c \\ \hline \text{Summa} & 2a+2c & \text{Diff. } 2a-2c & \text{Fact. } 4ac \end{array}$$

Theorema: Summa, item differentia atque factum duorum numerorum parium est numerus par.

PROBLEMA XV.

73. *Invenire, qualis numerus prodeat, si parem impari addas, vel parem ab impari subtrahas, vel denique parem per imparem multiplices.*

Numerus par sit $2a$ (§. 72 *Arith.*), impar $2c+1$ (§. 73 *Arithm.*). Erit

$$\begin{array}{ll} 2c+1 & 2c+1 \\ 2a & 2a \\ \hline 2a+2c+1 \text{ Summa:} & 2c+1-2a \text{ Diff.} \end{array}$$

$$\begin{array}{r} 2c+1 \\ 2a \\ \hline 4ac+2a \text{ Factum.} \end{array}$$

Theorema. Si parem impari addas aut unum ex altero subtrahas; ibi aggregatum, hic differentia est numerus impar. Si vero numerus par & impar se mutuo multiplicent, factum est numerus par.

PROBLEMA XVI.

74. *Invenire, qualis prodeat numerus, si impar impari addatur, aut unus ex altero subtrahatur, aut si impar imparem multiplicet.*

Sint numeri impares $2a+1$ & $2b+1$ (§. 73 *Arithm.*): erit

$$\begin{array}{ll} 2a+1 & 2a+1 \\ 2b+1 & 2b+1 \\ \hline 2a+2b+2 \text{ Summa.} & 2a-2b \text{ Different.} \end{array}$$

$$\begin{array}{r} 2a+1 \\ 2b+1 \\ \hline +2a+1 \\ 4ab+2b \\ \hline 4ab+2a+2b+1 \text{ Factum.} \end{array}$$

Theorema: Si numerus impar impari additur aut ab eo subtrahitur, ibi summa, hic differentia est numerus par. Si vero impar imparem multiplicet, factum est numerus impar.

PROBLEMA XVII.

75. *Invenire, qualis numerus prodeat, si meros numeros pares, aut numeros impares multitudine pari, aut denique numeros impares multitudine impari addas.*

Sint numeri pares $2a$, $2b$, $2c$, $2d$, &c. erit summa $2a+2b+2c+2d$ &c. numerus par (§. 72 *Arithm.*).

Theorema: Summa numerorum parium quotcunque est numerus par.

Sint

Sint numeri impares $2a+1$, $2b+1$, $2c+1$, $2d+1$ &c. (§.73 *Arithm.*) numerus eorundem $2m$ (§.72 *Arithm.*). Erit summa $2a+2b+2c+2d$ &c. $+2m$, numerus par (§. 72 *Arithm.*). Tot scilicet sunt unitates, quot termini.

Theorema. Summa numerorum imparium quotcunque multitudine pari est numerus par.

Sint numeri impares ut ante $2a+1$, $2b+1$, $2c+1$, $2d+1$ &c. numerus eorundem $2m+1$. Erit summa $2a+2b+2c+2d$ &c. $+2m+1$, numerus impar (§. 73 *Arithm.*).

Theorema. Summa numerorum imparium quotcunque, si numero impares fuerint, est numerus impar.

S C H O L I O N.

76. *Notetur in his problematibus denominandi artificium, quod consistit in analytica expressione numeri paris & imparis, quæ eorum definitiones repræsentat.*

P R O B L E M A XVIII.

77. *Invenire qualis sit numerus, per quem impar parem metitur.*

Quodsi numerus impar parem metitur, erit par factum ex impari per parem, (§. 74 *Arithm.*), adeoque $(2a+1)\,2b = 4ab+2b$. Est igitur $(4ab+2b):(2a+1)=2b$ (§. 210 *Arithm.*).

Theorema. Impar metiens parem eum metitur per parem.

C O R O L L A R I U M I.

78. Patet simul, numerum, qui metitur parem per imparem, esse parem.

C O R O L L A R I U M II.

79. Et quoniam $(2ab+b):(2a+1)=b$; liquet porro, si impar metiatur parem, illum quoque hujus dimidium metiri.

P R O B L E M A XIX.

80. *Invenire qualis sit numerus, per quem impar imparem metitur.*

Quodsi impar imparem metitur, erit hic factum ex impari in imparem (§. 73. 74), adeoque $(2a+1)(2b+1)$ seu $4ab+2a+2b+1$. Est igitur $(4ab+2ab+2b+1):(2a+1)=2b+1$ numerus impar (§ 210. *Arithm.*).

Theorema Impar metiens imparem eum metitur per imparem.

P R O B L E M A XX.

81. *Determinare differentiam quadratorum, quorum radices unitate differunt.*

Sit radix una $=n$, erit altera $n+1$: quadratum majoris n^2+2n+1 (§. 246 *Arith.*).
minoris n^2

Differentia $2n+1$

Theorema. Differentia duorum quadratorum, quorum radices unitate differunt, est numerus impar duplo radicis minoris unitate aucto æqualis, seu summa radicum.

C O R O L L A R I U M I.

82. Facillime ergo construuntur Tabulæ numerorum quadratorum pro radicibus in serie naturali progredientibus. Summa nempe radicis antecedentis & consequentis continuo additur quadrato antecedenti, ut prodeat consequens.

C O R O L L A R I U M II.

83. Si $n=1$, erit $2n+1=3$: si $n=2$, erit $2n+1=5$: si $n=3$ erit $2n+1=7$: si $n=4$, erit $2n+1=9$ &c. Differentiæ itaque numerorum quadratorum sunt numeri impares in continua serie progredientes: unde ex continua numerorum imparium additione nascuntur numeri quadrati.

Radic.	Num. impar.	Num. Quadr.
1	1	1
2	3	4
3	5	9
4	7	16
5	9	25
6	11	36
7	13	49
8	15	64
9	17	81
10	19	100

PROBLEMA XXI.

84. *Determinare differentiam duorum cuborum, quorum radices unitate differunt.*

Sint radices n & $n+1$: erit

Cubus major n^3+3n^2+3n+1 (248 *Arithm.*).
minor n^3

Differentia $3n^2+3n+1$, hoc est, $n^2+2n+1+2n^2+n$. Sed $n^2+2n+1=(n+1)^2$. Ergo differentia inventa $(n+1)^2+2n^2+n$.

Theorema. Differentia duorum numerorum cubicorum, quorum radices unitate differunt, est aggregatum ex quadrato radicis majoris, duplo quadrato minoris & radice minore.

COROLLARIUM.

85. Constructo itaque numerorum quadratorum canone (§. 82), per solam additionem inde porro construitur canon numerorum cubicorum.

PROBLEMA XXII.

86. *Determinare quantitatem rectanguli ex summa duarum quantitatum in majorem vel in minorem, itemque in differentiam eorundem.*

Sit quantitas major Q, minor q: erit summa $Q+q$, differentia $Q-q$. Hinc (§. 375 *Geom.*)

$$\begin{array}{c} Q+q \\ Q \\ \hline Q^2+Qq \end{array} \qquad \begin{array}{c} Q+q \\ q \\ \hline Qq+q^2 \end{array} \qquad \begin{array}{c} Q+q \\ Q-q \\ \hline -Qq-q^2 \\ Q^2+Qq \\ \hline Q^2-q^2 \end{array}$$

Theorema. Rectangulum ex summa duarum quantitatum (e. gr. linearum) in alterutram æquatur rectangulo partis unius in alteram atque quadrato partis alterutrius. Rectangulum vero ex summa in differentiam æquale est differentiæ quadratorum partium.

COROLLARIUM.

87. Quodsi rectangula Q^2+Qq & $Qq+q^2$ addantur; prodit $Q^2+2Qq+q^2$ quadratum ipsius $Q+q$ (§. 261 *Arithm.*). Quare rectangula ex toto in partem alterutram simul æquantur quadrato totius.

PROBLEMA XXIII.

88. *Si totum sit divisum in duas partes æquales & in duas inæquales, determinare rectangulum partium inæqualium.*

Sint partes æquales a & a, differentia inter partem æqualem & inæqualem b; erit inæqualium major $a+b$, minor $a-b$; consequenter $(a+b)(a-b)=a^2-b^2$. Ergo si addatur b^2, habebitur a^2.

Theorema. Si totum sit divisum in duas partes æquales & inæquales; erit rectangulum partium inæqualium una cum quadrato differentiæ partis æqualis ab inæquali, æquale quadrato partis æqualis.

COROL-

COROLLARIUM.

89. Quoniam $(a + b^2) = a^2 + 2ab + b^2$ & $(a - b)^2 = a^2 - 2ab + b^2$ (§. 261 *Arithm.*); erit summa $2a^2 + 2b^2$, hoc est, summa quadratorum partium inæqualium æqualis est duplo quadrato partis dimidiæ & duplo quadrato differentiæ partis æqualis ab inæquali.

PROBLEMA XXIV.

90. *Determinare alia rectangula ex partibus duabus, in quas totum aliquod divisum.*

Sint partes Q & q: erit totum $Q + q$, hujus quadratum $Q^2 + 2Qq + q^2$. Quodsi Q^2 addas; prodibit $2Q^2 + 2Qq + q^2 = 2Q(Q + q) + q^2$.

Theorema. Quadratum totius una cum quadrato partis unius æquale est rectangulo ex duplo ejusdem partis in totum atque quadrato partis alterius.

Quodsi $2Q + q$ in seipsum ducas; prodibit $4Q^2 + 4Qq + q^2$.

Theorema. Quadratum ex toto & parte una æquatur quadrato partis alterius una cum quadruplo quadrato partis illius & quadruplo rectangulo partium in se invicem.

PROBLEMA XXV.

91. *Determinare quantitatem rectanguli ex toto in partes tres inæquales diviso atque parte una.*

Sit totum $a + b + c$; erit $(a + b + c)c = ac + bc + c^2$.

Theorema. Rectangulum ex toto in tres partes inæquales diviso in partem unam æquatur quadrato ejusdem partis atque rectangulo ex eadem in summam duarum reliquarum.

PROBLEMA XXVI.

92. *Determinare quantitatem rectanguli ex linea in partes quotcunque divisa & insecta altera.*

Sint partes lineæ sectæ a, b, c, &c. erit linea secta $= a + b + c$ &c. Sit porro linea insecta $= d$: erit $(a + b + c$ &c.$) d = ad + bd + cd$ &c.

Theorema. Si linea recta fuerit in partes quotcunque divisa & præterea alia insecta, erit rectangulum sub iis comprehensum æquale rectangulis sub insecta & singulis sectæ partibus contentis.

PROBLEMA XXVII.

93. *Determinare quantitatem rectangulorum ex toto in duas partes diviso in partes singulas.*

Sit totum $= a$ & b, erit $(a + b)a = a^2 + ab$ & $(a + b)b = ab + b^2$. Ergo Summa $= a^2 + 2ab + b^2 = (a + b)^2$ (§. 261 *Arithm.*),

Theorema. Si recta secta sit utcunque, erunt rectangula sub tota & partibus comprehensa quadrato totius æqualia.

PROBLEMA XXVIII.

94. *Determinare quantitatem rectanguli ex toto in duas partes æquales diviso & adjecto in adjectum.*

Sit totum in duas partes æquales divisum $= 2a$ & adjectum $= c$; erit compositum $= 2a + c$ consequenter $(2a + c)c = 2ac + c^2$. Sed $(a + c)^2 = a^2 + 2ac + c^2$. Ergo differentia $= a^2$.

Theorema. Rectangulum sub toto & adjecto in adjectum una cum Quadrato partis dimidiæ est æquale Quadrato compositi ex dimidio & adjecto.

PROBLEMA XXIX.

95. *Invenire theorema generale pro binomio ad dignitatem quamcunque evehendo.*

Sit $a + b$ radix binomia. Ducatur ea in se ipsam, erit $(a+b)^2 = a^2 + 2ab + b^2$; $(a+b)^3 = a^3 + 3a^2b + 3ab^2 + b^3$ &c. (§. 229 *Arith.*): ceu videre est ex Tabula, quam hic exhibemus.

$1a$	$1b$									
$1a^2$	$2ab$	$1b^2$								
$1a^3$	$3a^2b$	$3ab^2$	$1b^3$							
$1a^4$	$4a^3b$	$6a^2b^2$	$4ab^3$	$1b^4$						
$1a^5$	$5a^4b$	$10a^3b^2$	$10a^2b^3$	$5ab^4$	$1b^5$					
$1a^6$	$6a^5b$	$15a^4b^2$	$20a^3b^3$	$15a^2b^4$	$6ab^5$	$1b^6$				
$1a^7$	$7a^6b$	$21a^5b^2$	$35a^4b^3$	$35a^3b^4$	$21a^2b^5$	$7ab^6$	$1b^7$			
$1a^8$	$8a^7b$	$28a^6b^2$	$56a^5b^3$	$70a^4b^4$	$56a^3b^5$	$28a^2b^6$	$8ab^7$	$1b^8$		
$1a^9$	$9a^8b$	$36a^7b^2$	$84a^6b^3$	$126a^5b^4$	$126a^4b^5$	$84a^3b^6$	$36a^2b^7$	$9ab^8$	$1b^9$	
$1a^{10}$	$10a^9b$	$45a^8b^2$	$120a^7b^3$	$210a^6b^4$	$252a^5b^5$	$210a^4b^6$	$120a^3b^7$	$45a^2b^8$	$10ab^6$	$1b^{10}$

Ex Tabulæ hujus consideratione manifestum est; terminos potentiarum componi ex quibusdam factis litteralibus & numeris præfixis, quos *Uncias* cum *Oughtredo* (*a*) vocant. Patet autem ulterius, facta reperiri, si fiant duæ progressiones Geometricæ, quarum prima a potentia desiderata partis primæ radicis incipiat & in unitate desinat, altera vero ab unitate incipiat & in desiderata potentia partis secundæ radicis desinat, atque termini ejusdem ordinis in utraque serie in se invicem ducantur. E. gr. quærenda potentia sexta: scribe

$a^6.\ a^5.\ a^4.\ a^3.\ a^2.\ a.\ 1.$ series I.
$1.\ b.\ b^2.\ b^3.\ b^4.\ b^5.\ b^6$ series II.

erunt $a^6 + a^5b + a^4b^2 + a^3b^3 + a^2b^4 + ab^5 + b^6$ facta, ex quibus componitur potentia sexta ipsius $a + b$.

Apparet denique, uncias reperiri, si exponentes potentiarum secundæ seriei seu ipsius b sub exponentibus potestatum primæ seriei seu ipsius a scribantur & nota prima ex serie superiore sumatur pro numeratore, prima ex inferiore pro denominatore fractionis, quæ vicem subit unciæ termini secundi potestatis; similiter factum ex nota prima in secundam ex serie superiore sumatur pro numeratore, factum ex prima in secundam ex serie inferiori pro denominatore fractionis, quæ unciæ termini tertii potentiæ æqualis &c. E. gr. pro potentia sexta erit:

6. 5.

(*a*) Clavis Mathematicæ c. 12. §. 6. p. m. 38.

6. 5. 4. 3. 2. 1.
1. 2. 3. 4. 5. 6.

Hinc $\frac{6}{1}=6$ uncia termini ſecundi potentiæ ſextæ; $\frac{6.5}{1.2}=\frac{30}{2}=15$ uncia termini tertii; $\frac{6.5.4}{1.2.3}=\frac{120}{6}=20$ uncia termini quarti; $\frac{6.5.4.3}{1.2.3.4}=\frac{6.5}{1.2}=\frac{30}{2}=15$ uncia termini quinti; $\frac{6.5.4.3.2}{1.2.3.4.5}=\frac{6}{1}=6$ uncia termini ſexti; $\frac{6.5.4.3.2.1}{1.2.3.4.5.6}=1$ uncia termini ultimi.

Habemus adeo methodum datam radicem binomiam ad quamcunque potentiam determinatam evehendi. Quodſi vero regulam pro potentia indeterminata deſideres, non alia re opus eſt, quam ut exponens dicatur m: ita habebimus

$$a^m.\ a^{m-1}.\ a^{m-2}.\ a^{m-3}.\ a^{m-4}.\ a^{m-5}$$
$$1.\ b.\ b^2.\ b^3.\ b^4.\ b^5 \text{ \&c.}$$

adeoque $a^m + a^{m-1}b + a^{m-2}b^2 + a^{m-3}b^3 + a^{m-4}b^4 + a^{m-5}b^5$ &c. quæ ſunt facta pro terminis potentiæ indeterminatæ in infinitum continuandæ. Similiter inveniuntur unciæ, ut ante. Cum enim exponentes ſint:

$$\frac{m}{1}.\ \frac{m-1}{2}.\ \frac{m-2}{3}.\ \frac{m-3}{4}.\ \frac{m-4}{5}.\ \frac{m-5}{6} \text{ \&c.}$$

erit $\frac{m}{1}$, uncia termini ſecundi potentiæ;
$\frac{m.m-1}{1.2}$, uncia tertii;
$\frac{m.m-1.m-2}{1.2.3}$, uncia quarti;
$\frac{m.m-1.m-2.m-3}{1.2.3.4}$, uncia quinti;
$\frac{m.m-1.m-2.m-3.m-4}{1.2.3.4.5}$, uncia ſexti;
$\frac{m.m-1.m-2.m-3.m-4.m-5}{1.2.3.4.5.6}$, uncia ſeptimi &c.

Quare ſi has uncias in facta ipſis reſpondentia & paulo ante reperta ducas; prodibit formula binomii ad potentiam indeterminatam elevati;

$$\begin{aligned}
&a^m \\
&+\tfrac{m}{1}a^{m-1}b \\
&+\tfrac{m.m-1}{1.2}a^{m-2}b^2 \\
&+\tfrac{m.m-1.m-2}{1.2.3}a^{m-3}b^3 \\
&+\tfrac{m.m-1.m-2.m-3}{1.2.3.4}a^{m-4}b^4 \\
&+\tfrac{m.m-1.m-2.m-3.m-4}{1.2.3.4.5}a^{m-5}b^5 \\
&+\tfrac{m.m-1.m-2.m-3.m-4.m-5}{1.2.3.4.5.6}a^{m-6}b^6
\end{aligned}$$

&c. in infinitum

Quoniam vero $a^{m-1}=a^m:a$; $a^{m-2}=a^m:a^2$; $a^{m-3}=a^m:a^3$; $a^{m-4}=a^m:a^4$; $a^{m-5}=a^m:a^5$; &c. in infinit. (§. 54) his valoribus ſubſtitutis (§. 15 *Arithm.*) formula in ſequentem degenerat:

$$\begin{aligned}
&a^m \\
&+\frac{m.a^m b}{1.a} \\
&+\frac{m.m-1.a^m b^2}{1.2.a^2} \\
&+\frac{m.m-1.m-2.a^m b^3}{1.2.3.a^3} \\
&+\frac{m.m-1.m-2.m-3.a^m b^4}{1.2.3.4.a^4} \\
&+\frac{m.m-1.m-2.m-3.m-4.a^m b^5}{1.2.3.4.5.a^5} \\
&+\frac{m.m-1.m-2.m-3.m-4.m-5.a^m b^6}{1.2.3.4.5.6.a^6}
\end{aligned}$$

&c. in infinitum.

Quodſi jam porro cum viro ſummo *Iſaaco Nevvtono* (a) ponamus $a=P$ & $b:a=Q$; erit $a^m=P^m$; $b^2:a^2=Q^2$; $b^3:a^3=Q^3$; $b^4:a^4=Q^4$; $b^5:a^5=Q^5$ &c.

(a) In epiſtola A. 1676 ad *Leibnitium* data apud *Walliſium* Operum Vol. III. f. 622.

&c. consequenter his valoribus substitutis formula:

$$P^m$$
$$+\frac{m}{1}P^mQ$$
$$+\frac{m.\overline{m-1}}{1.2.}P^mQ^2$$
$$+\frac{m.\overline{m-1}.\overline{m-2}}{1.2.\;3.}P^mQ^3$$
$$+\frac{m.\overline{m-1}.\overline{m-2}.\overline{m-3}}{1.2.\;3.\;4.}P^mQ^4 \quad \&c.$$

Ponatur porro $P^m = A$; erit $\frac{m}{1}P^mQ = \frac{m}{1}AQ$.

Sit $\frac{m}{1}P^mQ = B$; erit $\frac{m.\overline{m-1}}{1.2}P^mQ^2 = \frac{m-1}{2}BQ$.

Sit $\frac{m-1}{2}BQ = C$; erit $\frac{m.\overline{m-1}.\overline{m-2}}{1.2.\;3.}P^mQ^3 = \frac{m-2}{3}CQ$.

Sit $\frac{m-2}{3}CQ = D$; erit $\frac{m.\overline{m-1}.\overline{m-2}.\overline{m-3}}{1.2.\;3.\;4}P^mQ^4 = \frac{m-3}{4}DQ$

Sit $\frac{m-3}{4}DQ = E$; erit $\frac{m.\overline{m-1}.\overline{m-2}.\overline{m-3}.\overline{m-4}}{1.2.\;3.\;4.\;5}P^mQ^5 = \frac{m-4}{5}EQ$

Sit $\frac{m-4}{5}EQ = F$; erit $\frac{m.\overline{m-1}.\overline{m-2}.\overline{m-3}.\overline{m-4}.\overline{m-5}}{1.2.\;3.\;4.\;5.\;6}P^mQ^6 = \frac{m-5}{6}FQ$

&c. in infinitum

Habetur ergo tandem

$$(a+b)^m = (P+PQ)^m = P^m + \frac{m}{1}AQ + \frac{m-1}{2}BQ + \frac{m-2}{3}CQ + \frac{m-3}{4}DQ + \frac{m-4}{5}EQ + \frac{m-5}{6}FQ \text{ \&c. in infinit.}$$

SCHOLION I.

96. *Equidem hoc theorema nonnisi per inductionem eruimus, quæ inter demonstrandi methodos locum minime habet: sed cum hæc inductio fundetur in observatione legis constantis atque necessariæ, in inveniendo tuto adhibetur, etsi consultum sit, reperta alio postea modo demonstrari.*

SCHOLION II.

97. *Ut vero theorema facilius intelligatur, exemplo numerico id illustrare lubet. Ponamus ergo inveniri debere dignitatem quartam radicis* 18 *seu* 10 + 8: *erit* $m=4$, $P=10$, $Q=8:10=\frac{4}{5}$, *consequenter*

$$Pm = 10^4 = 10000 = A$$
$$mAQ = 4.10000.\tfrac{4}{5} = \tfrac{160000}{5} = 32000 = B$$
$$\frac{m-1}{2}BQ = \tfrac{3}{2}.32000.\tfrac{4}{5} = \tfrac{6}{5}.32000 = 6.6400 = 38400 = C$$
$$\frac{m-2}{3}CQ = \tfrac{2}{3}.38400.\tfrac{4}{5} = \tfrac{8}{15}.38400 = \tfrac{307200}{15} = 20480 = D$$
$$\frac{m-3}{4}DQ = \tfrac{1}{4}.20480.\tfrac{4}{5} = \tfrac{1}{5}.20480 = \tfrac{20480}{5} = 4096 = E$$
$$\frac{m-4}{5}EQ = 0.4096.\tfrac{4}{5} = 0.$$

10000	= A
32000	= B
38400	= C
20480	= D
4096	= E
103976	Dignitas quarta ipsius 18.

Eadem dignitas invenitur, si 18 *in duas quascunque partes alias, e. gr. in* 6 & 12 *secetur: quo in casu erit* $P=6$ & $Q=12:6=2$, *consequenter*

$$Pm = 6^4 = 1296 = A$$
$$mAQ = 4.1296.2 = 8.1296 = 10368 = B$$
$$\frac{m-1}{2}BQ = \tfrac{3}{2}.10368.2 = 3.10368 = 31104 = C$$
$$\frac{m-2}{3}CQ = \tfrac{2}{3}.31104.2 = \tfrac{4}{3}.31104 = \tfrac{124416}{3} = 41472 = D$$

$$\frac{m-3}{4}DQ = \tfrac{1}{4}.41472.2 = \tfrac{2}{4}.41472 = \frac{41472}{2} = 20736 = E$$

$$\frac{m-4}{5}EQ = 0.20736 = 0.$$

1296	= A
10368	= B
31104	= C
41472	= D
20736	= E
104976	Dignitas quarta ipsius 18.

Patet adeo seriem terminari, si m *explicetur per numerum determinatum.*

Corollarium I.

98. Si m explicetur per numerum fractum, series $P^m + \frac{m}{1}AQ + \frac{m-1}{2}BQ$ &c. exprimet radicem indeterminatam ipsius $P + PQ$ (§. 57), adeoque idem theorema extractioni radicis inservit. E.gr. Sit ex $aa - xx$ extrahenda radix quadrata; erit $m = \frac{1}{2}$ (*§. cit.*), $P = x^2$ & $Q = - x^2 : a^2$. Unde

$$P^m = a^{2:2} = a = A$$

$$\frac{m}{1}AQ = \tfrac{1}{2}a. - x^2 : a^2 = - \frac{x^2}{2a} = B$$

$$\frac{m-1}{2}BQ = (\tfrac{1}{2} - 1) : 2 \frac{-x^2}{2a.}\frac{-x^2}{a^2} = \frac{1-2.}{4.}\frac{x^4}{2a^3} = \frac{-x^4}{8a^3} = C.$$

$$\frac{m-2}{3}CQ = (\tfrac{1}{2} - 2) : 3. \frac{-x^4.}{8a^3.}\frac{-x^2}{a^2} = \frac{1-4.}{6.}\frac{x^6}{8a^5} = \frac{-3}{6.}\frac{x^6}{8a^5} = \frac{-x^6}{16a^5} = D$$

$$\frac{m-3}{4}DQ = (\tfrac{1}{2} - 3) : 4. \frac{-x^6.}{16a^5.}\frac{-x^2}{a^2} = \frac{1-6.}{8.}\frac{x^8}{16a^7} = \frac{-5x^8}{128a^7} = E$$

$$\frac{m-4}{5}EQ = (\tfrac{1}{2} - 4) : 5. \frac{-5x^8.}{128a^7.}\frac{-x^2}{a^2} = \frac{1-8.}{10.}\frac{5x^{10}}{128a^9} = \frac{-7x^{10}}{256a^9} \text{ \&c. in infin.}$$

Est adeo $\sqrt{(a^2 - x^2)} = a - \frac{x^2}{2a.} - \frac{x^4}{8a^3} - \frac{x^6}{16a^5} - \frac{5x^8}{128a^7} - \frac{7x^{10}}{256a^9}$ &c. in infinit.

Scholion III.

99. *Si cui molestus evadit fractionum calculus, is cum* Newtono *in formula generali substituat pro* m *exponentem fractum* m : n *formulam sequentem obtenturus*:

$$(P + PQ)^{m:n} = P^{m:n} + \frac{m}{n}AQ + \frac{m-n}{2n}BQ + \frac{m-2n}{3n}CQ + \frac{m-3n}{4n}DQ + \frac{m-4n}{5n}EQ$$

&c. *Hac vero formula ubi utetur quantitates ad potentiam evecturus, pro* n *assumet* 1.

Scholion IV.

100. *Ex numerorum determinatorum potentiis radicem extracturus adhibeat formulam* $a^m + \frac{m}{1}a^{m-1}b$ &c. *quam in dato casu determinet, numero pro* m *substituto.* E. gr. *Sit ex* 104976 *extrahenda radix quartana; erit* m = 4 : *unde habetur* $a^4 + 4a^3b + 6a^2b^2 + 4ab^3 + b^4$ *& juxta hoc theorema extractio radicis quartanæ eodem modo peragitur, quo quadratam & cubicam* (§.269.270 Arithm.). *inquisivimus. Nimirum cum præter* a^4 *seu quadratoquadratum partis primæ radicis quatuor auferri debeant facta, resecentur versus dexteram notæ quatuor & potentia quarta proxime accedens ad* 10 *nempe* 1, *erit* a^4. *En calculi typum:*

10	4976(18	
1		
$\cancel{9}$	$\cancel{4}\cancel{9}\cancel{7}\cancel{6}$	
$4a^3 =$	$\cancel{4}\ .\ .\ .$	
$4a^3b = 3$	$2\ .\ .\ .$	
$6a^2b^2 = 3$	$8\ 4\ .\ .$	
$4ab^3 = 2$	$0\ 4\ 8\ .$	
$b^4 =$	4096	
	$\cancel{9}\cancel{4}\cancel{9}\cancel{7}\cancel{6}$	
	0	

$$4a^3 = 4$$
$$b = 8$$
$$4a^3b = 32$$

$$b^2 = 64$$
$$a^2 = 1$$
$$a^2b^2 = 64$$
$$6$$
$$6a^2b^2 = 384$$

$$b^3 = 512$$
$$4a = 4$$
$$4ab^3 = 2048$$

Si radix plures, quam tres notas habuerit; operatio altera repetenda, ut in extractione radicum quadratarum ac cubicarum (§. cit. Arithm.). *Quodsi numerus, ex quo radix extrahenda, non sit dignitas perfecta; dignitas proxime minor sit* = P *&* *residuum post extractionem more vulgari institutam per eandem divisum* = Q, m = 1 *&* n *exponens dignitatis, cujus radix desideratur. Ita ope theorematis in* Schol. præc. *obtinetur series infinita certa progressionis lege residuam partem radicis exhibens.*

E. gr. *Quæratur* $\sqrt{2}$. *Quoniam quadratum proxime minus* = 1 *&* *residuum hoc ex* 2 *subducto* = 1; erit P = 1, Q = 1. *Præterea* m = 1 *&* n = 2. Hinc

$$P^{m:n} = 1 = A$$

$$\frac{m}{n} AQ = \frac{1}{2} = B$$

$$\frac{m-n}{2n} BQ = -\frac{1}{4}\cdot\frac{1}{2} = -\frac{1}{2.4} = C$$

$$\frac{m-2n}{3n} CQ = -\frac{3}{6}\cdot -\frac{1}{2.4} = +\frac{1.3}{2.4.6} = D$$

$$\frac{m-3n}{4n} DQ = -\frac{5}{8}\cdot +\frac{1.3}{2.4.6} = -\frac{1.3.5}{2.4.6.8} = E$$

$$\frac{m-4n}{5n} EQ = -\frac{7}{10}\cdot -\frac{1.3.5}{2.4.6.8} = +\frac{1.3.5.7}{2.4.6.8.10} \text{ \&c.}$$

Est ergo $\sqrt{2} = 1 + \frac{1}{2} - \frac{1}{2.4} + \frac{1.3}{2.4.6} - \frac{1.3.5}{2.4.6.8} + \frac{1.3.5.7}{2.4.6.8.10} -$ &c. $= 1 + \frac{1}{2} - \frac{1}{8} + \frac{1}{16} - \frac{5}{128} + \frac{7}{256}$ &c. in infinitum.

Ubi series fractionum denotat partem radicis unitate minorem. Ceterum cum $\sqrt{2}$ *sit diagonalis quadrati, posito ejus latere* = 1 (§. 420 Geom.); *habetur jam valor diagonalis in terminis rationalibus, unde rationes prope veræ ad praxin quantumlibet sufficientes duci possunt.* E. gr. *si pro diagonali sumatur* $1 + \frac{1}{2}$, *erit ratio* $1 + \frac{1}{2} : 1$ ($= 3 : 2$) *justo major quam diagonalis ad latus, sed excessus consistet infra* $\frac{1}{8}$. *Si pro diagonali sumatur* $1 + \frac{1}{2} - \frac{1}{8}$ *seu* $\frac{11}{8}$; *erit ratio* $\frac{11}{8} : 1$ ($= 11 : 8$) *justo minor quam diagonalis ad latus, sed defectu infra* $\frac{1}{16}$ *existente: & ita porro.*

COROLLARIUM II.

101. Quoniam polynomium pro binomio haberi potest, sumtis pluribus partibus pro una; eadem formula polynomiis ad datam dignitatem evehendis inservit.

E. gr. Si trinomium $c + d + g$ ad dignitatem aliquam, e. gr. quartam evehendum; ponatur in formula $a^m + \frac{m}{1}a^{m-1}b$ &c. $c = a$ & $d + g = b$: erit $(c + d + g)^4 = c^4 + 4c^3(d + g) + 6c^2(d + g)^2 + 4c(d + g)^3 + (d + g)^4$. Nempe $a^m = c^4$, $ma^{m-1}b = 4c^3(d + g)$, $\frac{m.m-1}{1.\ 2.} a^{m-2}b^2 = 6c^2(d + g)$, $\frac{m.m-1.m-2}{1.\ 2.\ 3.} a^{m-3}b^3 = 4c(d + g)^3$,

m,

$\frac{m.m-1.m-2.m-3}{1.\ 2.\ 3.\ 4} a^{m-4} b^4 = (d+g)^4$. Est vero vi ejusdem theorematis $(d+g)^2 = d^2 + 2dg + g^2$, $(d+g)^3 = d^3 + 3d^2g + 3dg^2 + g^3$, $(d+g)^4 = d^4 + 4d^3g + 6d^2g^2 + 4dg^3 + g^4$. Ergo $(c+d+g)4 = c^4 + 4c^3d + 4c^3g + 6c^2d^2 + 12c^2dg + 6c^2g^2 + 4cd^3 + 12cd^2g + 12cdg^2 + 4cg^3 + d^4 + 4d^3g + 6d^2g^2 + 4dg^3 + g^4$.

COROLLARIUM III.

102. Quare si infinitinomium fuerit $a + by + cy^2 + dy^3 + ey^4 + fy^5 + gy^6$ &c. in infinit. & in formula pro a substituatur a, pro b autem $by + cy^2 + dy^3 + ey^4 + fy^5 + gy^6$ &c. in infinit. prodibit formula generalis pro infinitinomio ad datam potentiam evehendo aut ex eadem radicem extrahendo. Est enim

$$
\begin{array}{llr}
b^2 = & b^2y^2 + 2bcy^3 + c^2y^4 + 2cdy^5 & \\
 & \qquad\qquad + 2bdy^4 + 2bey^5 & \\
 & & + d^2y^6 \text{ \&c.} \\
 & & + 2cey^6 \text{ \&c.} \\
 & & + 2bfy^6 \text{ \&c.} \\
b^3 = & b^3y^3 + 3b^2cy^4 + 3bc^2y^5 + c^3y^6 & \text{\&c.} \\
 & & + 3bdy^5 + 6bcdy^6 \text{ \&c.} \\
 & & + 2b^2ey^6 \text{ \&c.} \\
b^4 = & \qquad + b^4y^4 + 4b^3cy^5 + 6b^2c^2y^6 & \text{\&c.} \\
 & & + 4b^3dy^6 \text{ \&c.} \\
b^5 = & \qquad\qquad + b^5y^5 + 5b^4cy^6 & \text{\&c.} \\
b^6 = & \qquad\qquad\qquad + b^6y^6 & \text{\&c.}
\end{array}
$$

Hos ergo valores si in formula $a^m + \frac{m}{1} a^{m-1} b + \frac{m.m-1}{1.\ 2.} a^{m-2} b^2 + \frac{m.m-1.m-2}{1.\ 2.\ 3.} a^{m-3} b^3$ &c. substituas & terminos homogeneos, in quibus nempe eadem potentia ipsius y occurrit, decenter coordines; prodibit formula pro infinitinomio:

$$
\begin{array}{l}
a^m \\
+ \frac{m}{1} a^{m-1} by \\
+ \left.\begin{array}{l} \frac{m.m-1}{1.\ 2} a^{m-2} b^2 \\ + \frac{m}{1} a^{m-1} c \end{array}\right\} y^2 \\
+ \left.\begin{array}{l} \frac{m.m-1.m-2.}{1.\ 2.\ 3} a^{m-3} b^3 \\ + \frac{m.m-1}{1.\ 1} a^{m-2} bc \\ + \frac{m}{1} a^{m-1} d \end{array}\right\} y^3 \\
+ \left.\begin{array}{l} \frac{m.m-1.m-2.m-3}{1.\ 2.\ 3.\ 4} a^{m-4} b \\ + \frac{m.m-1.m-2}{1.\ 2.\ 1} a^{m-3} b^2 c \\ + \frac{m.m-1}{1.\ 2} a^{m-2} c^2 \\ + \frac{m.m-1}{1\ \ 1} a^{m-2} bd \\ + \frac{m}{1} a^{m-1} e \end{array}\right\} y^4 \\
+ \left.\begin{array}{l} \frac{m.m-1.m-2.m-3.m-4}{1.\ 2.\ 3.\ 4.\ 5} a^{m-5} b^5 \\ + \frac{m.m-1.m-2.m-3}{1.\ 2.\ 3.\ 1} a^{m-4} b^3 c \\ + \frac{m.m-1.m-2}{1.\ 2.\ 1} a^{m-3} b^2 d \\ + \frac{m.m-1.m-2}{1.\ 2.\ 1} a^{m}\ 3bc^2 \\ + \frac{m.m.-1}{1.\ 1} a^{m-2} cd \\ + \frac{m.m-1}{1.1} a^{m-2} be \\ \frac{m}{1} a^{m-1} f \end{array}\right\} y^5
\end{array}
$$

$$\left.\begin{array}{l}
+\frac{m.m-1.m-2.m-3.m-4.m-5}{1.2.3.4.5.6}a^{m-6}b^6 \\
+\frac{m.m-1.m-2.m-3.m-4}{1.2.3.4.1}a^{m-5}b^4c \\
+\frac{m.m-1.m-2.m-3}{1.1.1.4}a^{m-4}b^2c^2 \\
+\frac{m.m-1.m-2.m-3}{1.2.3.1}a^{m-4}b^3d \\
+\frac{m.m-1.m-2}{1.2.3}a^{m-3}c^3 \\
+\frac{m.m-1.m-2}{1.1.1}a^{m-3}bcd \\
+\frac{m.m-1.m-2}{1.1.3}a^{m-3}b^2e \\
+\frac{m.m-1}{1.2}a^{m-2}d^2 \\
+\frac{m.m-1}{1.1}a^{m-2}ce \\
+\frac{m.m-1}{1.1}a^{m-2}bf \\
+\frac{m}{1}a^{m-1}g
\end{array}\right\} y^5$$

&c. &c. in infinit.

COROLLARIUM IV.

103. Eodem modo patet, si infinitinomium fuerit $ay + by^2 + cy^3 + dy^4 + ey^5 + fy^6$ &c. ad dignitatem m evehendum; in serie antecedente tantum omnes terminos multiplicandos esse per y^m, ita ut unciæ retineantur eædem iidemque coëfficientes, dignitates vero ipsius y sint $y^m + y^{m+1} + y^{m+2} + y^{m+3} + y^{m+4} + y^{m+5} + y^{m+6}$ &c.

SCHOLION V.

104. *Constat adeo idem theorema; quod pro binomio dedimus, etiam infinitinomio ad dignitatem desideratam evehendo sufficere. Tyrones illud sub initium studii analytici prætermittant, donec inferius in analysi infinitorum eodem opus habuerint. Immo infinitinomium ad potestatem determinatam facile evehitur per formulas speciales superius allatas. E. gr. Sit* $hx + ix^2 + kx^3 + lx^4 + mx^5 +$ &c. *evehenda ad dignitatem secundam: cum* $(a+b)^2 = a^2 + 2ab + b^2$, *erit*

$$\begin{array}{l}
h^2x^2 + 2hix^3 + i^2x^4 \\
\qquad + 2hkx^4 + 2ikx^5 + k^2x^6 \text{ \&c.} \\
\qquad\qquad + 2hlx^5 + 2ilx^6 \text{ \&c.} \\
\qquad\qquad\qquad + 2hmx^6 \text{ \&c.}
\end{array}$$

(§. 265 Arithm.). *Nimirum primo sumuntur duo tantummodo termini, veluti hic* $hx + ix^2$ *& quæritur ejus potentia desiderata, veluti hic secunda. Deinde* $hx + ix^2$, *habentur pro termino uno,* kx^3 *pro altero, atque sic denuo per formulam binomii determinatur potentia desiderata, veluti hic secunda. Porro* $hx + ix^2 + kx^3$ *sumuntur pro termino uno &* lx^4 *pro altero, & ita porro. Quæ eadem series invenitur, si in generali (§. 102) fiat* $m = 2$, $y = x$, $a = h$, $b = i$, $c = k$, $d = l$, $e = m$, &c. *Est enim:*

$$\begin{array}{l}
a^m y^m = h^2x^2 \\
\frac{m}{1} a^{m-1} b\, y^{m+1} = 2hix^3 \\
\frac{m.m-1}{1.2} a^{m-2} b^2\, y^{m+1} = \frac{2}{2} h^0i^2x^4 = i^2x^4. \\
\frac{m}{1} a^{m-1} c\, y^{m+2} = 2hkx^4 \text{ \&c.}
\end{array}$$

SCHOLION VI.

105. *Ceterum notetur artificium, quo casus infiniti, immo infinities infiniti, ad regulam eandem reducuntur.*

PROBLEMA XXV.

106. *Determinare summam termini primi & ultimi in progressione arithmetica.*

Sit

Sit terminus primus, differentia terminorum ſive creſcentium, ſive decreſcentium d, erit (ʃ. 333 *Arithm.*).

$$\begin{array}{cccccc} a. & a \pm d. & a \pm 2d. & a \pm 3d. & a \pm 4d. & a \pm 5d. \\ & a \pm 4d. & & a \pm 2d. & & a. \\ \hline & 2a \pm 5d. & & 2a \pm 5d. & & 2a \pm 5d. \end{array}$$

Item

$$\begin{array}{ccccc} a. & a \pm d. & a \pm 2d. & a \pm 3d. & a \pm 4d \\ & a \pm 3d. & 2. & & a. \\ \hline & 2a \pm 4d. & 2a \pm 4d & & 2a \pm 4d \end{array}$$

Theorema. In progreſſione arithmetica tam creſcente, quam decreſcente, ſumma termini primi & ultimi æqualis eſt ſummæ duorum quorumlibet mediorum ab extremis æquidiſtantium aut medii duplo, ſi numerus terminorum impar.

$$\begin{array}{lccccccc} \text{E. gr.} & 3. & 6. & 9. & 12. & 15. & 18. & 21. \\ & & & & 12 & 9 & 6 & 3 \\ \hline & & & & 24 = & 24 = & 24 = & 24 \end{array}$$

Corollarium I.

107. Habetur ergo ſumma progreſſionis arithmeticæ, ſi ſumma termini primi & ultimi ducatur in dimidium terminorum numerum.

Corollarium II.

108. Quodſi adeo ſit terminus primus a, differentia d, numerus terminorum n, erit ultimus $a + (n-1)d$ (ʃ. 333 *Arithm.*), conſequenter ſumma progreſſionis $\frac{1}{2} n\,(2a + (n-1)\,d)$ (ʃ. 107) $= an + \frac{1}{2}(n^2 - n)\,d$. Ex datis itaque termino primo a, differentia d & numero terminorum n invenitur ſumma progreſſionis, ſi facto ex termino primo in numerum terminorum addatur factum ex differentia eorundem in ſemidifferentiam numeri terminorum a quadrato ejuſdem. E. gr. Sit $a = 3$, $n = 7$, $d = 3$, erit ſumma $= 21 + \frac{49-7}{2} \cdot 3 = 21 + \frac{42}{2} \cdot 3 = 21 + 21 \cdot 3 = 21 + 63 = 84$.

Scholion.

109. *Notent tyrones regulas ex ſymbolis eruturi, ab initio gradatim eſſe progrediendum, exprimendo nempe ſigillatim quodlibet ſymbolum per rem denotatam & quamlibet operationem ſignis repræſentatam per nomina convenientia. E. gr. in* an *eſt* a *terminus primus &* n *numerus terminorum*, ex hypoth. *Sed* an *eſt factum ex* a *in* n (ʃ. 8). *Ergo pro* an *ſubſtituitur in regula factum ex termino primo in numerum terminorum. Porro* n^2 *eſt quadratum ipſius* n (ʃ. 254 Arithm.). *Sed* n *eſt numerus terminorum ergo* n^2 *quadratum numeri terminorum. Signum* — *indicat ſubtractionem* (ʃ. 8.). *Quare* $n^2 - n$ *differentia numeri terminorum ab ejus quadrato &* $\frac{1}{2}(n^2 - n)$ *ſemidifferentia iſta. Porro* d *eſt differentia terminorum* ex hypoth. *adeoque* $\frac{1}{2}(n^2 - n)$ d *factum ex illa ſemidifferentia in differentiam terminorum. Denique ſignum* + *indicat facta hactenus explicata eſſe addenda. Hac quidem ſyllabizatione opus habent, qui ſine mora ſymbolicas expreſſiones quantitatum ſibi familiares reddere geſtiunt.*

Corollarium III.

110. Sit $a = 1$, $d = 2$, hoc eſt, ſit ſeries numerorum imparium 1. 3. 5. 7 &c. erit

 ſum-

summa $= n + ni - n$ (§. 108) $= n^2$ (§. 21). Patet adeo numeros quadratos prodire continua numerorum imparium additione, consequenter differentias numerorum quadratorum esse numeros impares: id quod supra alia ratione fuit demonstratum (§. 83).

COROLLARIUM IV.

111. Sit $a = n = \frac{1}{2}d$, erit summa $= n^2 + n^3 - n^2$ (§. 108) $= n^3$ (§. 21). Quilibet adeo cubus resolvitur in progressionem arithmeticam, cujus terminus primus, semidifferentia & numerus terminorum sunt radici ejus æquales. Ita $8 = 2 + 6$, $27 = 3 + 9 + 15$, $64 = 4 + 12 + 20 + 28$.

SCHOLION.

112. *Patet modus ex formulis algebraicis eruendi theoremata specialia, qui continetur sub problemate logico de specierum notionibus ex notione generis formandis* (§. 712 Log.).

DEFINITIO IV.

113. *Denominator* rationis est quotus ex divisione termini majoris per minorem emergens.

COROLLARIUM I.

114. Major ergo prodit, minore per denominatorem multiplicato (§. 212 *Arithm.*): minor vero habetur, majore per denominatorem diviso (§. 210 *Arithm.*). Unde si terminus minor a, denominator m, erit major ma; si terminus major a, minor erit $\frac{a}{m}$. Quare $a : ma$ exprimit rationem minoris inæqualitatis; $a : \frac{1}{m}$ vero rationem majoris (§. 133 *Arithm.*). Immo quoniam $\frac{a}{m} = a . \frac{1}{m}$ (§. 43); si m explicetur per fractionem, cujus numerator unitas denominator idem cum denominatore rationis, $a : ma$ rationem quamcunque designat.

COROLLARIUM II.

115. Quia in ratione majoris inæqualitatis antecedens major consequente (§. 133 *Arithm.*); ejus denominator idem est cum exponente (§. 136 *Arithm.*).

COROLLARIUM III.

116. In ratione minoris inæqualitatis exponens rationis $\frac{a}{ma}$ (§. 136. *Arithm.* & §. 114 *Analys.*): hoc est, $\frac{1}{m}$ (§. 231 *Arithm.*). Æquatur ergo fractioni, cujus numerator unitas, denominator idem cum denominatore rationis.

SCHOLION.

117. *Exponens & denominator rationis Autoribus voces synonymæ sunt. Aliter vero veteres, aliter recentiores exponentem definiunt. Nos veterum definitionem retinuimus in Arithmetica* (§. 136), *tum quod naturam rationum clare explicet, tum quod ad demonstrandum utilis. Etenim si rationis 2 : 3 exponens dicatur* $\frac{2}{3}$; *inde intelligitur, antecedentem terminum esse æqualem duabus tertiis consequentis, adeoque pro mensura, qua utrumque metimur, assumi tertiam consequentis partem. Hinc vero clarius cognoscitur rationis hujus natura, quam si cum recentioribus nonnullis dicas exponentem esse* $1\frac{1}{2}$: *quod innuit, antecedentem in consequente contineri* $1\frac{1}{2}$. *Recentiores vero exponentem rationis eodem modo definientes, quo denominatorem definimus, ideo eundem exponentem constituunt rationum majoris & minoris inæqualitatis* (§. 115), *quod nomen etiam in casu posteriori suggerat* (§. 147 Arithm.) *& demons-*

demonstrationibus analyticis commodior videatur: quem in finem nos exponentis loco nunc denominatorem assumimus.

PROBLEMA XXX.

118. *Determinare factum ex termino primo in ultimum progressionis geometricæ.*

Sit terminus primus a, denominator m; erit progressio (§. 332 *Arithm.* & §. 114 *Analys.*).

$$\begin{array}{l} a.\ ma.\ m^2a.\ m^3a.\ m^4a.\ m^5a.\ m^6a. \\ m^5a \qquad m^3a.\ m^2a \qquad a \\ \hline m^6a^2 = m^6a^2 = m^6a^2 = m^6a^2 \end{array}$$

Theorema. In progressione geometrica factum extremorum æquatur facto mediorum ab extremis æquidistantium, itemque medii quadrato, si numerus terminorum impar.

$$\begin{array}{l} \text{E. gr. } 3.\ 6.\ 12.\ 24.\ 48.\ 96 \\ \qquad\qquad\qquad 12 \quad 6 \quad 3 \\ \hline 288 = 288 = 288 \end{array}$$

PROBLEMA XXXI.

119. *Determinare quotum ex divisione differentiæ terminorum primi ac ultimi per denominatorem unitate mulctatum emergentem.*

Sit terminus primus a, denominator m, numerus terminorum n; erit terminus ultimus $m^{n-1}a$, differentia primi $m^{n-1}a - a$. Hæc si dividatur per $m-1$, erit quotus $m^{n-2}a + m^{n-3}a + m^{n-4}a + m^{n-5}a + m^{n-5}a + m^{n-7}a$ &c.

$$\begin{array}{ll} m-1)\,m^{n-1}a - a & (m^{n-2}a + m^{n-3}a \\ \quad m^{n-1}a - m^{n-2}a & \qquad + m^{n-4}a \\ \hline + m^{n-2}a - a & \qquad + m^{n-5}a \\ \quad m^{n-2}a - m^{n-3}a & \qquad + m^{n-6}a \\ \hline & \qquad + m^{n-7}a \\ + m^{n-3}a - a & \qquad \text{\&c.} \\ \quad m^{n-3}a - m^{n-4}a & \\ \hline + m^{n-4}a - a & \\ \quad m^{n-4}a - m^{n-5}a & \\ \hline + m^{n-5}a - a & \\ \quad m^{n-5}a - m^{n-6}a & \\ \hline + m^{n-6}a - a & \\ \quad \text{\&c.} & \end{array}$$

Quodsi n determinetur, e.gr. per 7, erit $n-7=0$, consequenter $m^{n-7}a = m^0 a = a$, adeoque divisio terminatur. Unde patet

Theorema 1. Si differentia termini primi & ultimi progressionis geometricæ dividatur per denominatorem unitate mulctatum, quotus est summa omnium terminorum excepto maximo.

Et cum sit $m-1 : 1 = m^{n-1}a - a : m^{n-2}a + m^{n-3}a$ &c. $+ a$ (§. 174 169 *Arithm.*); patet porro

Theorema 2. In progressione geometrica est ut denominator unitate mulctatus ad unitatem ita differentia termini maximi & minimi ad summam omnium terminorum excepto maximo.

COROLLARIUM I.

120. Quodsi ergo quoto ex divisione differentiæ termini maximi & minimi per denominatorem unitate mulctatum emergenti maximus addatur; summa totius progressionis habetur.

COROLLARIUM II.

121. Sit adeo terminus primus a denominator m, numerus terminorum n, erit terminus ultimus seu maximus $m^{n-1}a$, adeoque summa $m^{n-1}a + (m^{n-1}a - a):(m-1) = (m^n a - m^{n-1}a + m^{n-1}a - a):(m-1)$ (§.

(§. 235 *Arithm.*) $= (m^n a - a) : (m - 1)$ (§. 21), consequenter si eadem summa dicatur s, $m - 1 : m^n - 1 = a : s$, (§. 302 *Arithm.*). Est adeo terminus primus (seu minimus) progressionis ad ejus summam ut denominator unitate mulctatus ad ejus dignitatem, cujus exponens numero terminorum æqualis, unitate itidem mulctatam. Sit e. gr. $m = 2$, $a = 1$, $n = 8$, erit summa $(256 - 1) : 1 = 255$.

COROLLARIUM III.

122. Quoniam si terminus primus a, denominator m; terminus ultimus $m^{n-1} a$, summa $(m^n a - a) : (m - 1)$ (§. 121) : erit differentia inter terminum ultimum & summam $(m^{n-1} a - a) : (m - 1)$ & differentia inter primum & summam $\frac{m^n a - a}{m - 1} - a$

$$= \frac{m^n a - a - ma + a}{m - 1} \quad (\text{§. 235 } \textit{Arithm.})$$

$= \frac{m^n a - ma}{m - 1}$. Est ergo differentia prior ad posteriorem ut $(m^{n-1} a - a) : (m - 1)$ ad $(m^n a - ma) : (m - 1)$, hoc est, ut $m^{n-1} a - a$ ad $m^n a - ma$ (§. 178 *Arithm.*), hoc est, ut 1 ad m (§. 181 *Arithm.*), seu ut unitas ad denominatorem.

COROLLARIUM IV.

123. Quare si differentia inter terminum primum & summam dividatur per differentiam inter summam & terminum ultimum; quotus est denominator (§. 69 *Arithm.*).

PROBLEMA XXXII.

124. *Investigare rationum symptomata.*

Non alia re opus est, quam ut termini analytice exprimantur (§. 114) & tentatis quotlibet mutationibus exploretur, utrum duarum rationum exponentes sint æquales nec ne, (§. 149 *Arithm.*). Sint itaque duæ quantitates a & ma; erit

$$\text{I.}\quad \frac{a : ma}{c \quad c} \qquad ac : mac = a : ma$$

$$\text{II.}\quad \frac{a : ma}{c \quad c} \qquad \frac{a}{c} : \frac{ma}{c} = a : ma$$

$$\text{III.}\quad \frac{\begin{array}{c} a : ma \\ b : mb \end{array}}{} \qquad a - b : ma - mb = a : ma = b : mb$$

$$\text{IV.}\quad \frac{\begin{array}{c} a \quad ma \\ b \quad mb \end{array}}{} \qquad a + b : ma + mb = a : ma = b : mb.$$

Sit porro

$$a : ma = b : mb$$

erit alternatim $a : b = ma : mb$

inverse $ma : a = mb : b$

conversim $a + ma : a = b + mb : b$

composite $a + ma : ma = b + mb : mb$

Divisim $ma - a : a = mb - b : b$

$ma - a : ma = mb - b : mb$

Item : $a^n : m^n a^n = b^n : m^n b^n$

$a : mac = b : mbc$

$a : \frac{ma}{c} = b : \frac{mb}{c}$

$ac : ma = bc : mb$

$\frac{a}{c} : ma = \frac{b}{c} : mb$

$ac : mac = b : mb$

$\frac{a}{c} : \frac{ma}{c} = b : mb$

$ac : mac = bd : mbd$

$\frac{a}{c} : \frac{ma}{c} = \frac{b}{d} : \frac{mb}{d}$

$ac : mad$

$ac : mad = bc : mbd$

$\frac{a}{c} : \frac{ma}{d} = \frac{b}{c} : \frac{mb}{d}$

Sit ordinate $a : ma = b : mb$

& $ma : mna = mb : mnb$

erit ex æquo $a : mna = b : mnb$

Sit perturbate $a : ma = b : mb$

& $ma : mna = \frac{b}{n} : b$

erit ex æquo $a : mna = \frac{b}{n} : mb$

Ipsæ nimirum expressiones, si quoti reducentur per regulas fractionum, rationum similitudinem in omnibus loquuntur. E. gr. $ac : mac = 1 : m$ & $b : mb = 1 : m$. En utrobique exponentem eundem $1 : m$!

COROLLARIUM.

125. Cum sit in progressione geometrica $+ m - 1 : 1 = m^{n-1}a - a : m^{n-2}a + m^{n-3}a + m^{n-4}a$ &c. $+ a$ (*th.* 2. §. 119), sit vero $m - 1 : 1 = ma - a : a$ (§. 124 *n.* 1.); $ma - a : a = m^{n-1}a - a : m^{n-2}a + m^{n-3}a + m^{n-4}a$ &c. $+ a$, hoc est, excessus termini secundi supra primum est ad primum ut excessus ultimi sive maximi supra primum ad summam omnium terminorum demto maximo.

PROBLEMA XXXIII.

126. *Investigare symptomata progressionum geometricarum ab unitate incipientium.*

Si terminus primus est unitas, secundus idem est cum denominatore rationis (§. 114). Est vero terminus secundus vel numerus primus, vel compositus & in casu altero vel quadratus, vel potentia alia cujuscunque ordinis vel nulla.

Cum numerus primus in se non possit dividi nisi per unitatem solam (§. 75 *Arithm.*), charactere primitivo m recte exprimitur. Unde emergit series in ratione geometrica progredientium:

$1.\ m^1.\ m^2.\ m^3.\ m^4.\ m^5.\ m^6$, &c.

Quoniam termini omnes prodeunt continuata multiplicatione secundi in seipsum §. 334 *Arith.*); per nullum quoque numerum primum dividi possunt exacte nisi per secundum, seu nullus numerus primus terminos metitur præter secundum. In formula generali idem ad oculum patet: etenim $m^2 m^3 m^4 m^5 m^6$ &c. non posse dividi nisi per m, patet (§. 54). Et cum terminus secundus in hoc casu sit potentia prima, termini sequentes sint potentiæ continuo ordine progredientes ejusdem numeri (§. 254 *Arithm.*); terminus quilibet major dividi potest per quemlibet minorem, sed per nullum alium (§. 54). Habemus adeo

Theorema 1. Si numerorum ab unitate continue proportionalium proximus unitati primus est, maximum nullus alius metitur præter eos, qui sunt in serie, consequenter nec primus alius, nisi secundus seu ab unitate proximus.

Et quoniam in omni casu numerorum ab unitate continue proportionalium termini ultra secundum sunt potentiæ continuo ordine progredientes ejusdem termini secundi, qui communis omnium radix est (§. 334. 254 *Arithm.*); igitur in genere patet

Theorema 2. In serie numerorum ab unitate continue proportionalium minor quilibet quemlibet majorem metitur per aliquem numerum, qui est in serie.

Cum terminus compositus exacte dividi possit per numerum alium præter unitatem (§. 76 *Arith.*); exprimetur idem per mn. Quare si in progressione geometrica ab unitate incipiente terminus secundus sit mn; erit series

$$1. mn. m^2 n^2. m^3 n^3. m^4 n^4. m^5 n^5. m^6 n^6. \&c.$$

atque adeo patet numeros primos m & n, qui metiuntur secundum terminum, metiri quoque ceteros omnes, nec præter eos alium quendam numerum primum ceterorum quemcunque metiri. Unde habemus

Theorema 3. Si ab unitate fuerint numeri quotcunque continue proportionales, primus numerus, qui metitur ultimum, metietur & unitati proximum ac omnes intermedios.

In utraque serie exponens termini secundi est 1, tertii 2, quarti 3, quinti 4 &c. consequenter exponens in loco impari est numerus par, in loco pari est impar, & quidem in loco quarto seu a secundo tertio exponens est ternarius, & duobus locis intermissis sequitur continuo numerus per ternarium divisibilis, seu quem ternarius metitur. Similiter in loco septimo seu a secundo sexto exponens senarius est & quinque locis intermissis continuo sequitur exponens, quem senarius metitur. Singula hinc intuitive patent, quod exponentes ex continua unitatis additione nascantur. Hisce vero notatis prodit

Theorema 4. Si numeri quotcunque fuerint ab unitate continue proportionales, secundus (unitate seclusa) quadratus erit & uno intermisso omnes: tertius autem cubus est, & duobus intermissis omnes: sextus vero cubus simul & quadratus & quinque intermissis omnes.

Si terminus primus fuerit unitas, secundus numerus quadratus, vel cubus, vel potentia cujuscunque gradus, erunt series

$$1. m^2. m^4. m^6. m^8. m^{10}. m^{12} \&c.$$
$$1. m^3. m^6. m^9. m^{12}. m^{15}. m^{18} \&c.$$
$$1. m^n. m^{2n}. m^{3n}. m^{4n}. m^{5n}. m^{6n} \&c.$$

Quoniam in qualibet serie termini continuo prodeunt multiplicatione per secundum, exponens secundi continuo additur exponenti termini cujuscunque dati, ut prodeat proxime sequens (§. 54), consequenter cum exponentes omnium terminorum, qui a secundo sequuntur, sint multipli exponentis termini secundi, per secundi quoque termini exponentem dividi possunt, consequenter omnes termini sunt dignitates ejus gradus, cujus dignitas est secundus (§. 56). Habemus itaque

Theorema 5. Si in serie continue proportionalium ab unitate numerorum terminus secundus seu ab unitate primus est quadratus, reliqui omnes quadrati erunt; si idem fuerit cubus, reliqui etiam omnes cubi erunt; si idem fuerit dignitas cujuscunque gradus, quarti, quinti, sexti &c. reliqui etiam omnes erunt dignitates ejusdem gradus, quarti, quinti, sexti &c.

SCHO-

SCHOLION.

127. *Patet adeo, per calculum literalem facillime symptomata rationum & progressionum geometricarum ab unitate incipientium vel ignorata, vel oblivioni tradita reperiri.*

PROBLEMA XXXIV.

128. *Invenire rationem superficierum atque corporum in geometria elementari explicatorum.*

Sit parallelogrammorum & triangulorum altitudo communis a, bases sint b & c: erunt illorum areæ ab & ac (§. 375. 387 *Geom.*), horum $\frac{1}{2}ab$ & $\frac{1}{2}ac$ (§. 392 *Geom.*). Sunt ergo ut ab ad ac, hoc est, ut b ad c (§. 181 *Arithm.*).

Theorema 1. Parallelogramma & triangula æque alta basium rationem habent.

Eodem modo invenitur

Theorema 2. Parallelogramma & triangula æqualium basium sunt in ratione altitudinum.

Sit diameter circuli a, peripheria ma (§. 114): erit quadratum diametri a^2, area circuli $\frac{1}{4}ma^2$ (§. 429 *Geom.*). Est ergo illud ad hanc ut a^2 ad $\frac{1}{4}ma^2$, hoc est, ut a ad $\frac{1}{4}ma$ (§. 181 *Arithm.*).

Theorema 3. Quadratum diametri est ad aream circuli, ut diameter ad quartam peripheriæ partem.

Sint bases parallelogrammorum & triangulorum similium a & b, altitudines ma & mb (§. 114 *Anal.* & §. 396 *Geom.*): erunt areæ ut ma^2 ad mb^2 (§. 375. 387. 392 *Geom.*), hoc est, ut a^2 ad b^2 (§. 124).

Theorema 4. Parallelogramma & triangula similia sunt ut quadrata basium; seu (quia quodlibet latus pro basi assumi potest §. 113 *Geom.*) ut quadrata laterum homologorum.

Sint bases parallelepipedorum, prismatum, cylindrorum, pyramidum, conorum, a & b, altitudo communis c: erunt corpora ista ut ac ad bc (§. 536. 539. 541. 548 *Geom.*), hoc est, ut a ad b (§. 113). Eodem modo c assumi potest pro basi communi ita ut a & b sint altitudines.

Theorema 5. Parallelepipeda, prismata, cylindri, pyramides & coni ejusdem altitudinis basium rationem habent; eandem vero basin habentes sunt in ratione altitudinum.

Non absimili modo alia hujus generis theoremata investigantur.

PROBLEMA XXXV.

129. *Invenire, quoties quantitates quotlibet permutari queant, hoc est, ordo earum variari possit.*

Sint quantitates duæ a & b. Cum aut scribi possit ab, aut ba; patet esse numerum variationum $2=2.1$. Sint tres quantitates a, b, c. Ordines earum erunt

$$\begin{array}{ccc} c & a & b \\ a & c & b \\ a & b & c \\ \hline c & b & a \\ b & c & a \\ b & a & c \end{array}$$

id quod patet, c primum cum ab, dein cum ba combinando. Unde numerus variationum $3.2.1=6$.

Quodsi quantitates fuerint quatuor, una quælibet quatuor modis combinari

nari poteſt cum quolibet ordine trium: unde numerus variationum emergit $6.4 = 4.3.2.1 = 24$.

Similiter ſi quantitates fuerint quinque, unaquælibet juncta cum quolibet ordine quatuor quantitatum pariet variationes 5. Unde numerus omnium variationum $24.5 = 5.4.3.2.1$. Quare ſi numerus quantitatum fuerit n; erit numerus variationum $n.\ n-1.\ n-2.\ n-3.\ n-4.\ n-5$ &c.

Si eadem quantitas bis occurrat; reperietur variatio duorum *bb*; trium *bab*, *abb*, *bba*, quatuor *cbab*, *bcab*, *babc* &c. adeoque numerus variationum in caſu primo $1 = (2.1):2.1$, in ſecundo $3 = (3.2.1):2.1$, in tertio $12 = (4.3.2.1):2.1$. Quodſi litera quinta accedat, in quolibet ordine quantitatum quatuor pariet variationes quinque: unde numerus omnium variationum $60 = (5.4.3.2.1):2.1$. Hinc intelligitur, ſi numerus quantitatum ſit n; fore omnium variationum numerum $(n.\ n-1.\ n-2.\ n-3.\ n-4\ \&c):2.1$.

Si eadem quantitas ter occurrat, erit in tribus nulla variatio; in quatuor variationes ſunt *baaa*, *abaa*, *aaba*, *aaab*, adeoque numerus variationum $4 = (4.3.2.1):3.2.1$. Quinta ſi accedat, in quolibet ordine quatuor quantitatum quinque variationes pariet: unde numerus omnium variationum $(5.4.3.2.1):3.2.1$. Eodem modo, ſi ſexta aſſumatur, reperietur numerus variationum $(6.5.4.3.2.1):3.2.1$. Unde colligitur, ſi numerus quantitatum ſit n, fore numerum omnium variationum $(n.\ n-1.\ n-2.\ n-3.\ n-4.\ n-5\ \&c.):3.2.1$.

Si eadem quantitas quater occurrat, erit in quatuor variatio nulla. Quodſi vero quinta accedat, variationes ſunt *baaaa*, *abaaa*, *aabaa*, *aaaba*, *aaaab*. Quare numerus variationum eſt $5 = (5.4.3.2.1):4.3.2.1$. Si ſexta aſſumatur, in quolibet ordine quantitatum quinque variationes ſex pariet, adeoque numerus variationum $30 = (6.5.4.3.2.1):4.3.2.1$. Unde conſtat, ſi numerus quantitatum ſit n, fore numerum omnium variationum $(n.\ n-1.\ n-2.\ n-3.\ n-4.\ n-5.\ \&c.):4.3.2.1$.

Ex his formulis ſpecialibus colligitur generalis. Nempe ſi n denuo ſit quantitatum numerus, m numerus qui indicat quoties eadem quantitas occurrit: erit $(n.\ n-1.\ n-2.\ n-3.\ n-4.\ n-5.\ n-6.\ n-7.\ n-8.\ n-9\ \&c.):(m.\ m-1.\ m-2.\ m-3.\ m-4.\ m-5.\ m-6\ \&c.)$. Nimirum ſeries continuanda, donec continua unitatis ſubtractio ex n & m relinquat 0.

Eodem modo ulterius progredi licet, tandemque reperietur, ſi numerus quantitatum fuerit n, numeri qui indicant quoties earum aliquæ repetuntur, ſint l, m, r &c. formula univerſaliſſima $(n.\ n-1.\ n-2.\ n-3.\ n-4.\ n-5.\ n-6.\ \&c.):(l.\ l-1.\ l-2.\ l-3.\ l-4\ \&c.\ m.\ m-1.\ m-2.\ m-3.\ \&c.\ r.\ r-1.\ r-2.\ r-3.\ r-4.\ r-5.\ \&c.)$. E. gr. ſit $n=6$, $l=3$, $m=3$, $r=0$; erit numerus variationum (6.

$(6.5.4.3.2.1):(3.2.1.3.2.1) = (6.5.4):(3.2) = 2.5.2 = 20.$

SCHOLION I.

130. *Ponamus mensæ assidere 13 personas. Quodsi quæratur, quoties loca permutare possint; reperietur numerus variationum* 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1 = 6, 227', 020, 800.

SCHOLION II.

131. *Si vox aliqua ex literis non nimis multis componatur; eadem methodo, qua in resolutione problematis usi sumus, inveniri possunt sine meditatione omnia anagrammata in omnibus linguis possibilia. E. gr. inveniri debent anagrammata vocis* amor. *Erunt variationes possibiles.*

amor	mora	oram	ramo
amro	moar	orma	raom
aomr	mroa	oarm	rmao
aorm	mrao	oamr	rmoa
armo	maor	omra	roam
arom	maro	omar	roma

Sunt adeo anagrammata vocis amor *in lingua latina* Roma, mora, Maro, oram, ramo, armo.

SECTIO SECUNDA.

DE ALGEBRA.

CAPUT PRIMUM.

De Algebra ad Problemata Arithmetica eaque determinata applicata.

DEFINITIO V.

132. A*lgebra* est methodus resolvendi problemata per æquationes.

DEFINITIO VI.

133. *Æquatio* est expressio ejusdem quantitatis per duos valores diversos, sed æquales, e. gr. $2.3 = 2+4$. *Stifelius* (*a*) definit eam per rationem æqualitatis inter duos terminos diversimode denominatos.

(*a*) In Arithmet. integra lib. 3. c. 1. p. 228. b.

DEFINITIO VII.

134. *Radix æquationis* est valor quantitatis incognitæ, quæ æquationem ingreditur. E. gr. si fuerit $a^2 + b^2 = x^2$; radix erit $\sqrt{(a^2 + b^2)}$.

DEFINITIO VIII.

135. Si valor ipsius x fuerit positivus, e. gr. $x = 3$; *Radix* dicitur *vera*.

DEFINITIO IX.

136. Si valor ipsius x fuerit negativus, e. gr. $x = -5$, dicitur *falsa*.

DEFINITIO X.

137. Si valor ipsius x fuerit *radix* quantitatis negativæ, e. gr. $\sqrt{-5}$, *imaginaria* appellatur (§. 71).

DEFINITIO XI.

138. *Æquatio* dicitur simplex si quantitas incognita fuerit unius dimensionis, e. gr. si $x=(a+b):2$.

DEFINITIO XII.

139. *Æquatio* dicitur *quadratica*, si quantitas incognita ad duas dimensiones assurgit, ut $x^2=a^2+b^2$: *cubica*, si ad tres, ut $x^3=a^3-b^3$ &c.

SCHOLION.

140. *In hac sectione tantum de æquatione simplici & quadratica agimus.*

PROBLEMA XXXVI.

141. *Problema datum Algebraice resolvere.*

RESOLUTIO.

1. Quantitates datæ a quæsitis distinguantur & datæ primis, quæsitæ ultimis Alphabeti litteris denominentur (§. 3).
2. Quærantur tot æquationes, quot quantitates incognitæ occurrunt: quod si fieri nequeat, id indicio est, *problema* non esse *determinatum*, sed unam vel plures quæsitarum pro arbitrio assumi posse. Inveniuntur autem æquationes, nisi in ipso problemate contineantur per theoremata de æqualitate quantitatum agentia.
3. Quoniam in æquatione quantitates incognitæ cognitis sunt permixtæ; ea reducenda est, ita ut ex una parte tantum compareat quantitas incognita una, ex altera vero meræ cognitæ deprehendantur. Instituitur autem hæc reductio, si quantitates subductæ addantur, additæ subtrahantur, multiplicatæ dividantur, divisæ multiplicentur, e potentiis radices extrahantur, radices ad potentias evehantur, ut perpetua æqualitas conservetur (§. 88. 91. 93. 94. 256 *Arith.*).

SCHOLION.

142. *Hæc sufficiunt pro æquationibus simplicibus reducendis; sed ad altiores aliis adhuc subsidiis opus est, quæ suo loco exponemus, nunc nonnisi extractionem radicis ex æquatione quadratica addituri.*

PROBLEMA XXXVII.

143. *Ex æquatione quadratica radicem extrahere.*

RESOLUTIO.

I. Si æquatio fuerit pura, ut $x^2=ab$; evidens est esse $x=\sqrt{ab}$.

II. Si æquatio fuerit affecta, ut $x^2 \mp ax = \mp b^2$; tum x assumatur pro una parte radicis, erit a quantitas cognita secundi termini duplum partis alterius (§. 261 *Arithm.*), adeoque $\frac{1}{2}a$ pars altera. Complebitur adeo quadratum, si addatur $\frac{1}{4}aa$ (§. *cit.*): quo facto, radix extrahi potest, ut hic factum esse apparet:

Casus I.

$$x^2+ax=b^2$$
$$\tfrac{1}{4}aa \qquad \tfrac{1}{4}aa \text{ add.}$$

$$x^2+ax+\tfrac{1}{4}a^2=\tfrac{1}{4}a^2+b^2$$

$$x+\tfrac{1}{2}a=\sqrt{(\tfrac{1}{4}a^2+b^2)}$$

$$x=\sqrt{(\tfrac{1}{4}a^2+b^2)}-\tfrac{1}{2}a$$

Casus

Casus 2.

$$x^2 - ax = b^2$$

$$x^2 - ax + \tfrac{1}{4}a^2 = \tfrac{1}{4}a^2 + b^2$$

$$\left.\begin{matrix} x - \tfrac{1}{2}a \\ \tfrac{1}{2}a - x \end{matrix}\right\} = \sqrt{(\tfrac{1}{4}a^2 + b^2)}$$

$$x = \tfrac{1}{2}a + \sqrt{(\tfrac{1}{4}a^2 + b^2)}$$

$$\text{vel } x = \tfrac{1}{2}a - \sqrt{(\tfrac{1}{4}a^2 + b^2)}$$

Quoniam $\sqrt{\tfrac{1}{4}a^2} = \tfrac{1}{2}a$, adeoque $\sqrt{(\tfrac{1}{4}a^2 + b^2)} > \tfrac{1}{2}a$, erit $\tfrac{1}{2}a - \sqrt{(\tfrac{1}{4}a^2 + b^2)}$ valor ipsius x negativus, consequenter radix falsa (§. 136), atque adeo solus valor $\tfrac{1}{2}a + \sqrt{(\tfrac{1}{4}a^2 + b^2)}$ est radix vera (§. 135).

Casus 3.

$$x^2 - ax = -b^2$$
$$\qquad \tfrac{1}{4}a^2 \quad \tfrac{1}{4}a^2 \text{ add.}$$

$$x^2 - ax + \tfrac{1}{4}a^2 = \tfrac{1}{4}a^2 - b^2$$

$$\left.\begin{matrix} x - \tfrac{1}{2}a \\ \& \ \tfrac{1}{2}a - x \end{matrix}\right\} = \sqrt{(\tfrac{1}{4}a^2 - b^2)}$$

$$x = \tfrac{1}{2}a + \sqrt{(\tfrac{1}{4}a^2 - b^2)}$$

$$\& \ x = \tfrac{1}{2}a - \sqrt{(\tfrac{1}{4}a^2 - b^2)}$$

Quoniam $\sqrt{\tfrac{1}{4}a^2} = \tfrac{1}{2}a$, adeoque $\sqrt{(\tfrac{1}{4}a^2 - b^2)} < \tfrac{1}{2}a$, erit $\tfrac{1}{2}a - \sqrt{(\tfrac{1}{4}a^2 - b^2)}$ valor ipsius x positivus, consequenter radix vera (§. 135). Habet adeo in præsente casu æquatio duas radices veras: cujus rei ratio paulo post ex exemplis patebit.

Ceterum ex multiplicatione patet esse $(\tfrac{1}{2}a - x)^2$ perinde ac $(x - \tfrac{1}{2}a)^2 = x^2 - ax + \tfrac{1}{4}a^2$.

PROBLEMA XXXVIII.

144. *Invenire numerum, cujus pars dimidia cum tertia & quarta numerum integrum unitate superat.*

Sit numerus quæsitus x, erit per conditionem problematis

$$\tfrac{1}{2}x + \tfrac{1}{3}x + \tfrac{1}{4}x = x + 1$$

hoc est $(12x + 8x + 6x) : 24 = x + 1$

seu $\tfrac{26}{24}x = x + 1$

$$\text{24. mult.}$$

$$26x = 24x + 24$$
$$24x \quad 24x \qquad \text{Subtr.}$$

$$2x = 24$$

$$\text{2 div.}$$

$$x = 12$$

Examen. $\tfrac{1}{2}x + \tfrac{1}{3}x + \tfrac{1}{4}x = 6 + 4 + 3$
$= 13 = 12 + 1$

PROBLEMA XXXIX.

145. *Invenire numerum, cujus partes aliquotæ qualescunque & quotcunque simul sumtæ ipsum superant numero dato.*

Sit numerus datus f, quæsitus x, partes aliquotæ $\frac{a}{b}x$, $\frac{c}{d}x$, $\frac{e}{g}x$ &c Erit per conditionem problematis

$$\tfrac{a}{b}x + \tfrac{c}{d}x + \tfrac{e}{g}x \text{ \&c.} = f + x$$

h.e. $\dfrac{(adg + bgc + bde)\,x}{bdg} = f + x$ (§. 235 *Arithm.*)

$$\frac{(adg + bgc + bde)\,x}{bdgx} = \frac{fdbg + bdgx}{bdgx}$$

$$(adg + bgc + bde - bdg)\,x = fbdg$$

$$x = fbdg : (adg + bgc + bde - bdg)$$

seu $adg + bgc + bde - bdg : bdg = f : x$

Æquatio ultima hanc suppeditat

Regulam: 1. Fractiones datæ reducantur ad eandem denominationem. 2. A summa numeratorum subtrahatur denominator communis 3 Per residuum dividatur factum ex eodem denominatore in numerum datum. Quotus est numerus quæsitus. E. gr. sit

ſit $a : b = \frac{1}{2}, c : d = \frac{1}{3}, e : g = \frac{1}{4}, f = 1$: erit $x = 24 : (12 + 8 + 6 - 24) = 24 : 2 = 12$.

In analogia, in quam æquationem reſolvimus, continetur hoc

Theorema. Si plures fractiones ad eandem denominationem reducuntur, erit numerus integer, cujus partes ſunt fractiones iſtæ, ad harum ſupra illum exceſſum ut communis denominator ad differentiam ejus a ſumma numeratorum.

PROBLEMA XL.

146. *Quantitatis irrationales diverſæ denominationis reducere ad eandem.*

RESOLUTIO.

Sint quantitates irrationales reducendæ $\sqrt[m]{x^n}$ & $\sqrt[s]{y^r}$, quemadmodum ſupra (§. 59). Fiat

$$\sqrt[m]{x^n} = t \qquad \sqrt[s]{y^r} = v$$

$$x^n = t^m \qquad y^r = v^s$$

$$x^{sn} = t^{ms} \qquad y^{rm} = v^{sm}$$

$$\sqrt[ms]{x^{sn}} = t \qquad \sqrt[ms]{y^{rm}} = v$$

Habemus adeo $\sqrt[m]{x^n} = \sqrt[ms]{x^{sn}}$ & $\sqrt[s]{y^r} = \sqrt[sm]{y^{rm}}$, ut ſupra (*§. cit.*); quo ipſo patet, quod dubium videri poterat (§. 60), in exponentibus quantitatum irrationalium locum habere reductionem ad eandem denominationem, ſi iidem fuerint fractiones diverſæ denominationis.

SCHOLION.

147. *Hoc artificio reductionis uti poſſumus in aliis caſibus ſimilibus. Ita multiplicationem ac diviſionem fractorum atque irrationalium eadem methodo inveſtigare licet.*

PROBLEMA XLI.

148. *Datis ſumma duarum quantitatum & earundem facto, invenire numeros.*

Sit ſumma $= a$ Semidiffer. $= x$

Fact. $= b$, erit Quant. maj. $= \frac{1}{2}a + x$

min. $= \frac{1}{2}a - x$ (§. 6).

Ergo per conditionem probl.

$$\frac{1}{4}aa - xx = b \qquad (§. 38).$$

$$xx \quad xx \quad \text{add.}$$

$$\frac{1}{4}aa = b + xx$$

$$b \quad b \quad \text{Subtr.}$$

$$\frac{1}{4}aa - b = xx$$

$$\sqrt{(\tfrac{1}{4}aa - b)} = x$$

Regula 1. A quadrato ſemiſummæ duarum quantitarum ſubtrahatur factum earundem. 2. Ex reſiduo extrahatur radix, quæ erit ſemidifferentia earundem. Sit e. gr. $a = 14$, $b = 48$: erit $\sqrt{(\frac{1}{4}aa - b)} = \sqrt{(49 - 48)} = 1$. Adeoque $\frac{1}{2}a + x = 7 + 1 = 8$; $\frac{1}{2}a - x = 7 - 1 = 6$. Sunt adeo numeri quæſiti 8 & 6. Nam $8 . 6 = 48$ & $8 + 6 = 14$.

COROLLARIUM.

149. Quoniam $\frac{1}{2}a$ eſt dimidium totius a, x differentia partis æqualis ab inæquali, b rectangulum partium inæqualium, æquatio ſecunda hoc continet *theorema*: Si totum dividatur in duas partes æquales & in duas inæquales, quadratum partis æqualis æquale eſt rectangulo inæqualium una cum quadrato differentiæ partis æqualis ab inæquali.

SCHOLION.

150. *Patet adeo, quod ſæpius caſu in theoremata incidamus dum problemata algebraice reſolvimus; qualia ſubinde annotabimus. Regulas vero, quas quilibet proprio Marte ex ultima æquatione eruere valet, in poſterum prætermittemus.*

PROBLEMA XLII.

151. *Data ſumma dignitatum ſimilium duarum quantitatum & differentia earun-*

earundem invenire quantitatẽ utramque.

Sit summa $= a$ Quantit. maj. $= y$
differentia $= b$ min. $= x$
erit per conditionem probl.

$$x^m + y^m = a \qquad y^m - x^m = b$$
$$\underline{x^m \qquad x^m \text{ subt.}} \qquad \underline{x^m \qquad x^m \text{ add.}}$$
$$y^m = a - x^m \qquad y^m = b + x^m$$

Quare (§. 87 *Arithm.*)

$$a - x^m = b + x^m$$
$$\underline{+ x^m \qquad + x^m} \text{ add.}$$
$$a = b + 2x^m$$
$$\underline{b \qquad b} \text{ subt.}$$
$$a - b = 2x^m$$
$$\underline{\qquad\qquad} \text{ (2 div.}$$
$$(a - b) : 2 = x^m$$
$$\sqrt[m]{(\tfrac{1}{2} a - \tfrac{1}{2} b)} = x$$

Sit $m = 2$, $a = 97$, $b = 65$: erit $x = \sqrt{(48\tfrac{1}{2} - 32\tfrac{1}{2})} = \sqrt{16} = 4$ & hinc $y = \sqrt{(b + x^2)} = \sqrt{(65 + 16)} = \sqrt{81} = 9$.

Examen: $x^2 + y^2 = 16 + 81 = 97$ & $y^2 - x^2 = 81 - 16 = 65$.

Æquatio antepenultima resolvitur in hanc analogiam,

$$a - b : x^m = 2 : 1 \text{ (§.299 } \textit{Arithm.}\text{).}$$

quæ sequens suppeditat.

Theorema. Excessus summæ duarum dignitatum similium supra differentiam earundem est ad dignitatem minorem in ratione dupla.

PROBLEMA XLIII.

152. *Dato itinere diurno viatoris alicujus una cum itinere diurno alterius ipsum dato tempore sequentis, invenire tempus, quo illum hic assequetur.*

Sit iter diurnum primi $= a$
secundi $= b$
tempus datum $= c$
tempus quæs. $= x$

erit iter itra tempus datum a primo confectum $= ac$, quod vero idem intra quæsitum emensus est $= ax$: iter posterioris intra tempus quæsitum reperietur $= bx$ (§. 302 *Arithm.*). Quare per conditionem problematis

$$ac + ax = bx$$
$$\underline{ax \qquad ax} \text{ subtr. quia } bx > ax$$
$$ac = bx - ax$$
$$\underline{\qquad\qquad} \; b - a \text{ div.}$$
$$ac : (b - a) = x$$

Sit $a = 6$, $b = 8$, $c = 4$: erit $x = 24 : 2 = 12$.

Examen. Quoniam primus itineri impendit 16, alter vero 12 dies antequam conveniunt, & iter diurnum primi sit 6, secundi 8; via primi est $6 \cdot 16 = 96$, secundi $8 \cdot 12 = 96$.

Æquatio penultima in hanc analogiam resolvitur (§. 299 *Arithm*).

$$b - a : a = c : x$$

quæ sequens suppeditat

Theorema: Si quidam viator alterum insequitur, tempore aliquo elapso, differentia viarum, quas eodem tempore uterque emetitur, est ad viam primi, quem alter insequitur, ut tempus ab itinere primi usque ad initium itineris secundi elapsum ad tempus, quo alter ipsum assequitur.

SCHOLION.

153. *Facile apparet, cum viatoris notio problematis resolutionem non ingrediatur, problema universalius de mobilibus quibuscunque concipi posse.*

PROBLEMA XLIV.

154. *Dato itinere diurno alicujus viatoris una cum tempore ab initio itineris elapso, invenire iter diurnum ab alio viatore conficiendum, ut in dato tempore illum assequatur.*

Sit iter diurnum primi $= a$
tempus elapsum $= b$
tempus datum $= c$
iter diurnum alterius $= x$
Erit per conditionem problematis ut in probl. preced.

$$ab + ac = cx$$
$$\overline{\qquad\qquad\qquad} \; c \text{ div.}$$
$$(ab + ac) : c = x$$

Sit e. gr. $a = 6$, $b = 4$, $c = 12$: erit $x = (24 + 72) : 12 = 96 : 12 = 8$.

Æquatio penultima in hanc resolvitur analogiam (§. 299 *Arithm.*)

$$c : b + c = a : x$$

quæ sequens suppeditat

Theorema. Si quidam viator alterum insequitur tempore aliquo elapso, erit tempus, intra quod ipsum assequitur, ad tempus ab initio itineris hujus elapsum, ut iter diurnum primi ad iter diurnum secundi.

PROBLEMA XLV.

155. *Dato intervallo locorum, ex quibus eodem tempore duo viatores egrediuntur, una cum itinere diurno uniuscujuslibet, invenire tempus, quo sibi mutuo occurrent.*

Sit intervallum locorum $= a$
iter diurnum primi $= b$
secundi $= c$
tempus occursus $= x$
erit via a primo intra tempus x confecta $= bx$, via quam alter eodem tempore emetitur $= cx$ (§. 302 *Arithm.*). Quare cum ambo junctim emensi sint totum intervallum locorum, unde egrediebantur; habebimus

$$bx + cx = a$$
$$\overline{\qquad\qquad\qquad} \; b + c \text{ div.}$$
$$x = a : (b + c)$$

Sit $a = 120$, $b = 6$, $c = 4$: erit $x = 120 : (6 + 4) = 120 : 10 = 12$. Duodecimo igitur die sibi mutuo occurrent.

SCHOLION.

156 *Problemata istiusmodi specialia sub initium difficiliora sunt solutu, quam abstracta, quoniam in his æquatio plerumque continetur, aut ex theorematibus arithmeticis facile eruitur, in illis autem ex circumstantiis problematis elicienda. Quodsi enim plures circumstantiæ occurrunt, tyrones non statim eas pervident, quæ æquationem suppeditant. Discant igitur consultius esse ut problematis abstractis solvendis primas studii Algebraici partes consecrent: insuperque notent velim, facilius problemata specialia ad abstracta seu generalia, quam vice versa abstracta ad specialia revocari, quia ista conditiones generales, unde solutio pendet, actu continent, in his vero circumstantiæ speciales, quæ ad solutionem nil conferunt, minime comparent. E. gr. problema præsens in abstracto istiusmodi est.* Invenire numerum, qui in summam duorum datorum ductus producit numerum datum. *Similiter problema* (§. 152) *in abstracto tale est:* Datis tribus quantitatibus invenire quartam, ita ut factum ex quarto in secundam æquale sit facto ex prima in aggregatum ex tertia & quarta. *Hinc apparet ratio, cur theorematum usus non statim in oculos occurrat. Nocent igitur qui inveniri ac addisci prohibent ea, quorum usus nondum constat, vel non statim primo intuitu in oculos ocurrit.*

PROBLEMA XLVI.

157. *Data summa duarum quantitatum & differentia quadratorum, invenire quantitates.*

Sit summa Quant. $= a$
differentia Quadr. $= b$
Semidiff. Quant. $= y$
erit Quant. maj. $= \frac{1}{2}a + y$.
minor $= \frac{1}{2}a - y$ (§. 5.).

Qua-

Quare

Quadratum maj. $\frac{1}{4}a^2 + ay + y^2$

min. $\frac{1}{4}a^2 - ay + y^2$

Differ. (§. 30) $2ay = b$ per condit. probl.

$2a$ div.

$y = b : 2a$

Sit $b = 40$, $a = 10$: erit $y = 40 : 20 = 2$. Hinc $\frac{1}{2}a + y = 5 + 2 = 7$ & $\frac{1}{2}a - y = 5 - 2 = 3$.

Examen: $49 - 9 = 40$.

PROBLEMA XLVII.

158. *Data summa duarum quantitatum una cum summa quadratorum, invenire quantitatem utramque.*

Sit summa $= a$

Summa Quadr. $= b$

Semidiff. Quant. $= y$

erit major $= \frac{1}{2}a + y$ } (§. 5.)

minor $= \frac{1}{2}a - y$

Quare

Quadrat. maj. $\frac{1}{4}a^2 + ay + y^2$

minoris $\frac{1}{4}a^2 - ay + y^2$

Summa $\frac{1}{2}a^2 + 2y^2 = b$

$\frac{1}{2}a$ $\frac{1}{2}a^2$ Subtr.

$2y^2 = b - \frac{1}{2}a^2$

2 div.

$y^2 = \frac{1}{2}b - \frac{1}{4}a^2$ Ext. Rad.

$y = \sqrt{(\frac{1}{2}b - \frac{1}{4}a^2)}$

Sit $a = 10$, $b = 58$: erit $y = \sqrt{(29 - 25)} = \sqrt{4} = 2$. Hinc $\frac{1}{2}a + y = 5 + 2 = 7$ & $\frac{1}{2}a - y = 5 - 2 = 3$.

Examen: $7 + 3 = 10$ & $49 + 9 = 58$.

PROBLEMA XLVIII.

159. *Invenire duos numeros ejus conditionis, ut factum ex unoquoque in radicem quadratam alterius sit æquale numero dato.*

Sit factum unum $= a$

alterum $= b$

numerus unus $= x$

alter $= y$

erit per conditionem problematis

$x\sqrt{y} = a$ Quad. $\qquad y\sqrt{x} = b$ Quad.

$x^2 y = a^2$ y div. $\qquad y^2 x = b^2$ y^2 div.

$x^2 = a^2 : y$ $\qquad x = b^2 : y^2$ Quad.

$x^2 = b^4 : y^4$

$a^2 : y = b^4 : y^4$

y^4 mult.

$a^2 y^3 = b^4$

a^2 div.

$y^3 = b^4 : a^2$

$y = \sqrt[3]{(b^4 : a^2)}$

Sit $a = 18$, $b = 12$: erit $y = \sqrt[3]{(20736 : 324)} = \sqrt[3]{64} = 4$. Ergo $x = b^2 : y^2 = 144 : 16 = 9$.

Examen. $9\sqrt{4} = 2.9 = 18$ & $4\sqrt{9} = 4.3 = 12$.

PROBLEMA XLIX.

160. *Invenire duos numeros, quorum factum æquale est numero dato, quadratum vero summæ ad quadratum differentiæ habet rationem datam.*

Sit factum $= a$ $\qquad$ Summa $= 2x$

ratio $= b : c$ $\qquad$ different. $= 2y$

erit major $= x + y$

minor $= x - y$

Ergo per conditiones problematis

$xx - yy = a$

yy y^2 add.

$xx = a + y^2$

$b : c = 4x^2 : 4y^2$ (§. 297 Arith.)

$4cx^2 = 4by^2$

$4c$ div.

$x^2 = by^2 : c$

Quare

Quare (§. 87 *Arithm.*

$a + y^2 = by^2 : c$

———————— c mult.

$ac + cy^2 = by^2$

$cy^2 \quad cy^2$ Subtr.

————————

$ac = by^2 - cy^2$

———————— $b - c$ div.

$ac : (b - c) = y^2$

$\sqrt{ac} : \sqrt{(b - c)} = y$

Sit $a = 96$, $b : c = 25 : 1$. Erit $y = \sqrt{96} : \sqrt{(25 - 1)} = \sqrt{4} = 2$ & $x = \sqrt{(a + y^2)} = \sqrt{(96 + 4)} = \sqrt{100} = 10$, consequenter numerus major $x + y = 10 + 2 = 12$ & minor $x - y = 10 - 2 = 8$.

Examen. $12 . 8 = 96$ & $100 : 4 = 25 : 1$.

PROBLEMA L.

161. *Dato pretio unius mensuræ vini, invenire quantitatem aquæ commiscendæ, ut una mensura dato alio pretio minore vendi queat.*

Sit pretium majus $= a$

minus $= b$

quantitas aquæ $= x$

Cum aquæ pretium nullum sit; erit

$1 + x : 1 = a : b$ consequenter

$b + bx = a$ (§. 297 *Arithm.*).

———————— b subtr.

$bx = a - b$

———————— b div.

$x = (a - b) : b = a : b - 1$

Sit $a = 16$, $b = 10$: erit $x = 1\frac{6}{10} - 1 = \frac{6}{10} = \frac{3}{5}$.

Theorema. Si vino pretiosiori aqua commiscenda, ut viliori pretio constet; quantitas aquæ commiscendæ est ad quantitatem vini, ut differentia pretiorum ad pretium minus.

Nempe vi æquationis penultimæ $x : 1 = a - b : b$.

Examen. Etenim si integra mensura veneat 10 grossis, tres ipsius quintæ veneunt 6 grossis (§. 302 *Arithm.*), quos si addas pretio unius mensuræ, quod est 10 grossorum, prodibunt 16 grossi pretium unius mensuræ vini generosioris.

PROBLEMA LI.

162. *Dato pretio vini generosi & pretio vilioris, determinare quantitatem vini vilioris generoso commiscendi, ut dato aliquo pretio medio venire queat.*

Sit pretium unius mensuræ vini

generosi $= a$

vilioris $= b$

medium $= c$

quantitas unius mensuræ $= 1$

quantitas vilioris commiscendi $= x$

erit pretium ejus $= bx$

quantitas generosi commiscendi $= 1 - x$

erit ejus pretium $= a - ax$

Quare per conditionem problematis

$a - ax + bx = c$

$ax \qquad ax$ add. ob $ax > bx$

————————

$a + bx = c + ax$

$bx \qquad bx$ subt.

————————

$a = c + ax - bx$

$c \quad c$ ———————— subt.

$a - c = ax - bx$

———————— $a - b$ div.

$(a - c) : (a - b) = x$

Sit $a = 16$, $b = 10$, $c = 12$; erit $x = (16 - 12) : (16 - 10) = 4 : 6 = \frac{2}{3}$.

Examen. Pretium $\frac{2}{3}$ vilioris $= 6\frac{2}{3}$, $\frac{1}{3}$ generosi $= 5\frac{1}{3}$, adeoque mensuræ mixti $= 6\frac{2}{3} + 5\frac{1}{3} = 12$.

PRO-

PROBLEMA LII.

163. *Invenire duos numeros ejus conditionis, ut factum, summa & differentia quadratorum sint inter se æqualia.*

Sit numerus major $=x$, minor $=y$: erit per conditionem problematis

$$x^2 - y^2 = xy \qquad x + y = xy$$

$$\begin{array}{rl} y \quad y & \text{subt.} \\ \hline x = xy - y & \\ \hline & x-1 \ \text{div.} \\ x:(x-1) = y & \end{array}$$

Quodsi valor ipsius y jam inventus in æquatione dexteriore substituatur, habebimus

$$\begin{array}{ll} x^2 - \dfrac{x^2}{x^2-2x+1} = \dfrac{x^2}{x-1} & \\ \hline & x^2-2x+1 \\ \hline x^4-2x^3+x^2-x^2 = x^3-x^2 & \\ \hline x^4-2x^3 = x^3-x^2 & \\ \quad x^3 \quad x^3 & \text{subtr.} \\ \hline x^4-3x^3 = -x^2 & \\ \hline & x^2 \ \text{div.} \\ x^2-3x = -1 & \\ \quad \frac{9}{4} \qquad \frac{9}{4} & (\S.\ 143) \\ \hline x^2-3x+\frac{9}{4} = \frac{9}{4}-1 = \frac{5}{4} & \\ \hline \left.\begin{array}{l} x-\frac{3}{2} \\ \frac{3}{2}-x \end{array}\right\} = \sqrt{\frac{5}{4}} = \frac{1}{2}\sqrt{5} & \\ \hline x = \frac{3}{2} \pm \frac{1}{2}\sqrt{5} & \end{array}$$

Est vero $\frac{3}{2} + \frac{1}{2}\sqrt{5}$ radix vera; sed $\frac{3}{2} - \frac{1}{2}\sqrt{5}$ non est numerus minor y, quia, si numerus minor diceretur y, ad aliam æquationem deveniretur, quemadmodum apparet, si valore ipsius x per æquationem $xy - x = y$ reperto & in æquatione $x^2 - y^2 = xy$ substituto, reductio legitime instituatur. Tunc enim reperitur $y = 1 \pm \frac{1}{2}\sqrt{5}$, ubi $1 - \frac{1}{2}\sqrt{5}$ est radix falsa, quia $\frac{1}{2}\sqrt{5} > 1$.

Examen. Est enim $x + y = 2 + \sqrt{5}$, $xy = 2 + \sqrt{5}$ & $x^2 - y^2 = 2 + \sqrt{5}$.

PROBLEMA LIII.

164. *Datis in progressione arithmetica termino primo & ultimo atque differentia terminorum, invenire numerum terminorum & summam progressionis.*

Sit terminus primus $= a$
ultimus $= b$
differentia $= d$
numerus terminorum $= x$
summa $= y$

erit (§. 333 *Arithm.* & §. 170 *Analys.*)

$$b = a + dx - d \qquad y = \tfrac{1}{2}(b+a)x$$

$$\begin{array}{ll} d \qquad\quad d & \text{add.} \\ \hline b + d = a + dx & \\ \quad a \qquad a & \text{subt.} \\ \hline b + d - a = dx & \\ \hline (b+d-a):d = x & (d \ \text{div.} \end{array}$$

Quodsi hic valor in æquatione dextra substituatur, habebymus

$y = \frac{1}{2}(b+a)\,(b+d-a):d = (b^2+bd-ab+ab+ad-a^2):2d = (b^2+bd+ad-a^2):\ 2d = \frac{1}{2}(b+a) + (b^2-a^2):2d.$

Sit $a = 2$, $b = 17$, $d = 3$: erit $x = (17+3-2):3 = 18:3 = 6$ & $y = \frac{1}{2}(17+2) + (289-4):6 = \frac{19}{2} + \frac{285}{6} = 9\frac{1}{2} + 47\frac{1}{2} = 57$.

PROBLEMA LIV.

165. *Datis termino primo; differentia terminorum & summa progressionis arithmeticæ, invenire numerum terminorum & terminum ultimum.*

Sit terminus primus $= a$
differentia $= d$
Summa $= c$
ultimus $= y$
terminorum numerus $= x$

erit (§. 333 *Arithm.* & §. 170 *Analys.*)

$\frac{1}{2}x(a+y) = c \qquad a + dx - d = y$

2 mult.

$ax + xy = 2c$

$ax \qquad ax$ Subtr.

$xy = 2c - ax$

x div.

$y = (2c - ax) : x$

Ergo (§. 87 *Arithm.*)

$(2c - ax) : x = a + dx - d.$

x mult.

$2c - ax = ax + dx^2 - dx$

$ax \qquad ax$ add.

$2c = dx^2 + 2ax - dx$

d div.

$$\frac{2c}{d} = x^2 + \frac{2a-d}{d}x$$

hoc est, si fiat $(2a - d) : d = m$

$2c : d = x^2 + mx$

$\frac{1}{4}m^2 \qquad \frac{1}{4}m^2$ add.

$\frac{1}{4}m^2 + 2c : d = x^2 + mx + \frac{1}{4}m^2$

$\sqrt{(\frac{1}{4}m^2 + 2c : d)} = x + \frac{1}{2}m$

$\frac{1}{2}m \qquad \frac{1}{2}m$ subt.

$\sqrt{(\frac{1}{4}m^2 + 2c : d)} - \frac{1}{2}m = x$

Sit $a = 2$, $d = 3$, $c = 57$: erit $m = (4-3) : 3 = \frac{1}{3}$, consequenter $x = \sqrt{(\frac{1}{36} + \frac{114}{3})} - \frac{1}{6} = \sqrt{\frac{1369}{36}} - \frac{1}{6} = \frac{37}{6} - \frac{1}{6} = \frac{36}{6} = 6$ & $y = 2 + 18 - 3 = 2 + 15 = 17$.

PROBLEMA LV.

166. *Datis termino primo & ultimo una cum summa progressionis arithmeticæ invenire numerum & differentiam terminorum.*

Sit terminus primus $= a$
ultimus $= b$
Summa $= c$
differentia $= y$
numerus terminorum $= x$

erit (§. 333 *Arithm.* & §. 107 *Analys.*)

$\frac{1}{2}x(a+b) = c \qquad a + xy - y = b$

2

$x(a+b) = 2c \qquad xy - y = b - a$

$$x = 2c : (a+b) \qquad y = \frac{b-a}{x-1}$$

$$x - 1 = \frac{2c}{a+b} - 1 \qquad = \frac{(b+a)(b-a)}{2c-a-b}$$

$$= \frac{2c-a-b}{a+b}$$

Sit $a = 2$, $b = 17$, $c = 57$: erit $x = 114 : 19 = 6$ & $y = (19.15) : (114 - 19) = 285 : 95 = 3$.

Theorema. In progressione Arithmetica est ut differentia summæ ex termino primo & ultimo a duplo summæ progressionis ad differentiam termini primi ab ultimo, ita summa termini primi & ultimi ad differentiam progressionalem.

PROBLEMA LVI.

167. *Datis differentia & numero terminorum una cum summa progressionis arithmeticæ, invenire terminum primum & ultimum.*

Sit numerus terminorum $= n$
differentia $= d$
Summa $= c$
term. I $= x$
ultimus $= y$

erit (§. 333 *Arithm.* & §. 107 *Analys.*)

$\frac{1}{2}nx + \frac{1}{2}ny = c \qquad x + nd - d = y$

h. e. $nx + \frac{1}{2}n^2 d - \frac{1}{2}nd = c$

$\frac{1}{2}n$ div.

$2x + nd - d = 2c : n$

$nd - d$ subt.

$2x = 2c : n - nd + d$

2 div.

$x = c : n - \frac{1}{2}nd + \frac{1}{2}d$

Sit

Sit $n = 6$, $d = 3$, $c = 57$: erit $x = 9\frac{1}{2} + 1\frac{1}{2} - 9 = 2$ & $y = 2 + 18 - 3 = 17$.

PROBLEMA LVII.

168 *Datis differentia terminorum, termino ultimo & summa progressionis arithmeticæ, invenire terminum primum & numerum terminorum.*

Sit terminus ultimus $= b$
terminorum differ. $= d$
Summa $= c$
terminus primus $= x$
numerus termin. $= y$

erit (§. 333 *Arithm.* & §. 107 *Analys.*)

$$\begin{array}{ll}
\frac{1}{2}y\,(x + b) = c & b = x + dy - d \\
\hline
\quad\quad\quad\quad\quad 2 & \\
y\,(b + x) = 2c & b + d - x = dy \\
\hline
y = 2c : (b + x) & (b + d - x) : d = y
\end{array}$$

Quamobrem (§. 87 *Arithm.*)

$$2c : (b + x) = (b + d - x) : d$$
$$\overline{\quad\quad\quad\quad\quad\quad\quad\quad\quad\quad} \; d \text{ mult.}$$
$$2cd : (b + x) = b + d - x$$
$$\overline{\quad\quad\quad\quad\quad\quad\quad\quad\quad\quad} \; b + x \text{ mul.}$$
$$2cd = b^2 + bd - bx + bx + dx - x^2$$
$$\overline{x^2 - dx = b^2 + bd - 2cd}$$
$$\tfrac{1}{4}d^2 \quad\quad\quad\quad \tfrac{1}{4}d^2 \;(\text{§}.143).$$
$$\overline{x^2 - dx + \tfrac{1}{4}d^2 = \tfrac{1}{4}d^2 + b^2 + bd - 2cd}$$
$$\left.\begin{array}{l} x - \frac{1}{2}d \\ \frac{1}{2}d - x \end{array}\right\} = \sqrt{(\tfrac{1}{4}d^2 + b^2 + bd - 2cd)}$$
$$x = \tfrac{1}{2}d \pm \sqrt{(\tfrac{1}{4}d^2 + b^2 + bd - 2cd)}$$

Quodsi $\frac{1}{2}d > x$, erit $\frac{1}{2}d - x$ quantitas positiva, adeoque $x = \frac{1}{2}d - \sqrt{(\frac{1}{4}d^2 + b^2 + bd - 2cd)}$: si vero $\frac{1}{2}d < x$, quantitas $\frac{1}{2}d - x$ æquivalet privativo, sed $x - \frac{1}{2}d$ positivo adeoque $x = \frac{1}{2}d + \sqrt{(\frac{1}{4}d^2 + b^2 + bd - 2cd)}$.

Sit $b = 17$, $d = 3$, $c = 57$: erit $x = \frac{3}{2} + \sqrt{(\frac{9}{4} + 289 + 51 - 342)} = \frac{3}{2} + \sqrt{(2\frac{1}{4} - 2)} = \frac{3}{2} + \sqrt{\frac{1}{4}} = \frac{3}{2} + \frac{1}{2} = \frac{4}{2} = 2$, & $y = (17 + 3 - 2) : 3 = \frac{18}{3} = 6$.

PROBLEMA LVIII.

169. *Datis summa progressionis arithmeticæ, numero terminorum & facto ex primo in ultimum, invenire terminos singulos.*

Sit factum $= a$
numerus terminorum $= n$
Summa $= c$
terminus I $= x$
ultimus $= y$

erit (§. 107 *& per condit. probl.*)

$$\begin{array}{ll}
\frac{1}{2}n\,(x + y) = c & xy = a \\
\overline{\quad\quad\quad\quad\quad} \; \frac{1}{2}n & \overline{\quad\quad} \; x \text{ div.} \\
x + y = 2c : n & y = a : x
\end{array}$$

$$\text{h.e. } x + \frac{a}{x} = \frac{2c}{n}$$
$$\overline{\quad\quad\quad\quad\quad\quad} \; x \text{ mult.}$$
$$x^2 + a = \frac{2}{n}cx$$
$$\overline{x^2 - 2cx : n = -a}$$
$$+ c^2 : n^2 \quad + c^2 : n^2$$
$$\overline{x^2 - 2cx : n + c^2 : n^2 = c^2 : n^2 - a}$$
$$\left.\begin{array}{l} x - c : n \\ c : n - x \end{array}\right\} = \sqrt{(c^2 : n^2 - a)}$$
$$x = \frac{c}{n} \pm \sqrt{(c^2 : n^2 - a)}$$

Signum + valet pro termino ultimo; signum autem − pro primo.

Sit $c = 57$, $n = 6$, $a = 34$: erit $x = \frac{57}{6} - \sqrt{(\frac{3249}{36} - 34)} = 9\frac{1}{2} - \sqrt{(90\frac{1}{4} - 34)} = 9\frac{1}{2} - \sqrt{56\frac{1}{4}} = 9\frac{1}{2} - \sqrt{\frac{225}{4}} = 9\frac{1}{2} + \frac{15}{2} = 17$ & $y = 9\frac{1}{2} - 7\frac{1}{2} = 2$.

PROBLEMA LIX.

170. *Invenire numerum terminorum in serie imparium summandorum, ut prodeat potentia data numeri dati.*

RESO-

RESOLUTIO.

Sit numerus datus $= n$
erit dignitas ejus $= n^m$
term. I. progr. $= 1$
differ. Term. $= 2$
Sit Num. term. $= x$
erit summa progress. $= x^2$ (§. 108).
Ergo *per conditionem probl.*

$$x^2 = n^m$$
$$\overline{}\ \text{Ext.Rad.}$$
$$x = n^{m:2}$$

Patet adeo, problema non esse posibile nisi in iis casibus, ubi exponens dignitatis m est numerus par, ut per 2 dividi possit.

E. gr. Sit $m = 2$, erit $x = n$, hoc est, numerus terminorum est idem cum radice quadrata, quemadmodum supra reperimus (§. 110). Sit $m = 4$; erit $x = n^2$, hoc est, numerus terminorum summandorum est radicis quadratus, si potentia quarti gradus desideretur, veluti si $n = 2$, erit $2^4 = 1 + 3 + 5 + 7 = 16$.

PROBLEMA LX.

171. *Invenire numeros impares totidem numero, quot numerus datus habet unitates, & quorum additione prodit potentia data numeri hujus dati.*

RESOLUTIO.

Sit numerus datus $= n$
dignitas ejus $= n^m$
terminus primus $= x$

Quoniam in serie numerorum imparium differentia terminorum $= 2$ & numerus terminorum est n *per hypoth.* erit summa progressionis $= nx + n^2 - n$ (§. 108), consequenter *per conditionem problematis.*

$$nx + n^2 - n = n^m$$
$$\overline{}\ n\ \text{div.}$$
$$x + n - 1 = n^{m-1}$$
$$n - 1 \quad n - 1\ \text{subtr.}$$
$$\overline{}$$
$$x = n^{m-1} - n + 1$$

Patet adeo problema esse possibile in omni casu.

Sit e. gr. $m = 2$, erit $x = n - n + 1 = 1$, ut supra (§. 110).

Sit $m = 3$, erit $x = n^2 - n + 1$, sit porro $n = 2$, erit $x = 4 - 1 = 3$, adeoque $2^3 = 3 + 5 = 8$. Sit $n = 3$, erit $x = 9 - 2 = 7$, adeoque $3^3 = 7 + 9 + 11 = 27$.

Patet adeo quomodo numeri cubici ex additione numerorum imparium procreentur.

Sit $m = 4$, erit $x = n^3 - n + 1$. Sit porro $n = 2$, erit $x = 8 - 1 = 7$, adeoque $2^4 = 7 + 9 = 16$. Sit $n = 3$, erit $x = 27 - 2 = 25$, adeoque $3^4 = 25 + 27 + 29 = 81$.

Sit $m = 5$, erit $x = n^4 - n + 1$. Sit porro $n = 2$, erit $x = 16 - 1 = 15$, adeoque $2^5 = 15 + 17 = 32$. Sit $n = 3$, erit $x = 81 - 2 = 79$, adeoque $3^5 = 79 + 81 + 83 = 243$.

SCHOLION.

172. *Mira igitur facilitate ostendimus ad captum tyronum, quomodo potentiæ cujuscunque gradus ex additione numerorum imparium procreentur, quod imperfectius multoque intricatius proponitur in Miscellaneis Berolinensibus* p. 327. & seqq.

PROBLEMA LXI.

173. *Invenire tres numeros continue proportionales, dato facto ex quadrato tertii in primum una cum denominatore rationis.*

Sit factum $= a$
denominator $= m$
terminus primus $= x$
erit secundus $= mx$
tertius $= m^2x$ } (§. 114).

Quare per conditionem problematis

$$a = m^4x^3$$
$$\overline{}\ m^4\ \text{div.}$$
$$a : m^4 = x^3$$
$$\overline{}$$
$$\sqrt[3]{(a : m^4)} = x$$

Sit

Sit e. gr. $a = 648$, $m = 3$: erit $x = \sqrt{}(648:81) = \sqrt[3]{8} = 2$.

Quare cum $1 : m^4$ sit ratio quadruplicata $1 : m$ (§. 159 *Arithm.*); sequens enascitur

Theorema: Cubus termini primi in proportione geometrica continua est ad factum ex quadrato tertii in primum in ratione quadruplicata primi ad secundum.

Problema LXII.

174. *Numerum datum in tres partes continue proportionales dividere, dato denominatore rationis.*

Sit numerus datus $= a$
denominator $= b$
pars prima $= x$
erit secunda $= bx$
tertia $= b^2x$

& per conditionem problematis.

$b^2x + bx + x = a$

$\overline{\qquad\qquad\qquad} b^2 + b + 1$ div.

$x = a : (b^2 + b + 1)$

Sit $b = 4$, $a = 42$: erit $x = 42 : (16 + 4 + 1) = 42 : 21 = 2$.

Problema LXIII.

175. *Numerum datum in terminos quotcunque proportionales resolvere, dato denominatore rationis.*

Sit numerus datus $= a$
denominator $= m$
terminus I $= x$
erit secundus $= mx$
tertius $= m^2x$
quartus $= m^3x$ &c.

Ergo per conditionem problematis.

$x + mx + m^2x + m^3x + m^4x$ &c. $= a$

$x = a : (1 + m + m^2 + m^3 + m^4$ &c.$)$

Sit $a = 364$, $m = 3$ & termini sint numero sex: erit $x = 364 : (1 + 3 + 9 + 27 + 81 + 243) = 364 : 364 = 1$. Ergo 1. 3. 9. 27. 81. 243 est series proportionalium quaesita.

Problema LXIV.

176. *Inter duos numeros datos invenire quotcunque medios continue proportionales.*

Resolutio.

Sit primus datorum $= a$
ultimus $= b$
mediorum primus $= x$
numerus mediorum $= m$

erit per conditionem problematis (§. 302 *Arithm.*)

$$a.\ x.\ \frac{x^2}{a}.\ \frac{x^3}{a^2}.\ \frac{x^4}{a^3}\ \&c.\ \frac{x^m}{a^{m-1}}\ b$$

consequenter (§. 118)

$x^{m+1} : a^{m-1} = ab$

$\overline{\qquad\qquad\qquad} a^{m-1}$ m.

$x^{m+1} = a^m b$

$\overline{\qquad\qquad\qquad}$ Ext. Rad.

$x = \sqrt[m+1]{a^m b}$

Sit $a = 1$, $b = 243$, $m = 4$; erit $m + 1 = 5$, adeoque $x = \sqrt[5]{243} = 3$, consequenter termini intermedii sunt 3. 9. 27. 81.

Scholion.

177. *Ad manus esse debet tabula dignitatum superiorum pro digitis singulis, qualis extat pro quadratis & cubis* (§. 257 *Arithm.*).

Corollarium.

178. Quodsi numerus, qui exprimit terminum desideratum, fuerit n; erit medius proportionalis $= x^n : a^{n-1}$. Quare si pro x substituatur valor modo inventus $\sqrt[m+1]{a^m b} = a^m : (m+1)\ b1 : (m+1)$, prodibit numerus quaesitus $= a^{mn} : (m+1)\ b^n : (m+1) : a^{n-1} = a^{mn} : (m+1)\ b^n : (m+1) : a(mn - m + n - 1) : (m+1) = a(m - n + 1) : (m+1)\ b^n : (m+1)$.

SCHOLION.

179. *Cadant e. gr. inter* 1 & 243 *quatuor medii proportionales continue & quæratur eorum secundus* : *erit* $a = 1$, $b = 243$, $m = 4$, $n = 2$, *adeoque* $(m - n + 1) : (m + 1) = \frac{3}{5}$, $n : (m + 1) = \frac{2}{5}$, *consequenter numerus quæsitus* $\sqrt[5]{a^3 b^2} = \sqrt[5]{59049} = 9$.

PROBLEMA LXV.

180. *Data summa termini primi & ultimi, itemque summa secundi & tertii in proportione sive continua, sive discreta, una cum denominatore rationis, invenire terminos singulos.*

Sit summa I $= a$
II $= b$
denominator $= m$
terminus primus $= x$
erit quartus $= a - x$
secundus $= mx$
tertius $= b - mx$

Quare per conditionem problematis.

$$x : mx = b - mx : a - x$$

Hinc $ax - x^2 = mbx - m^2 x^2$ x div.

$$a - x = mb - m^2 x$$

$$m^2 x - x = mb - a \qquad m^2 - 1$$

$$x = \frac{mb - a}{m^2 - 1}$$

Sit $a = 15$, $b = 11$, $m = 2$: erit $x = (22 - 15) : (4 - 1) = 9 : 3 = 3$.

Analogia, in quam æquatio penultima resolvitur, $m - 1 : m^2 - 1 = x : b - a$ hoc suppeditat

Theorema : Denominator rationis unitate minutus est ad quadratum suum unitate pariter mulctatum, ut terminus primus proportionis sive continuæ, sive discretæ ad differentiam summæ secundi & tertii a summa primi & ultimi.

PROBLEMA LXVI.

180. *Invenire tres numeros continue proportionales ejus conditionis, ut differentia primi & secundi æquetur numero dato & differentia secundi atque tertii æqualis sit itidem numero dato.*

Sit differ. I $= a$
differ. II $= b$
terminus I $= x$
erit II $= x + a$
III $= x + a + b$

Per conditionem problematis:

$$x : x + a = x + a : x + a + b$$

$$x^2 + ax + bx = x^2 + 2ax + a^2$$
$$x^2 + ax \qquad x^2 + ax \qquad \text{subt.}$$

$$bx = ax + a^2$$

$$bx - ax = a^2 \qquad (b - a) \text{ div.}$$

$$x = a^2 : (b - a)$$

Sit $a = 8$, $b = 24$: erit $x = 64 : (24 - 8) = 64 : 16 = 4$.

Analogia, in quam resolvitur æquatio antepenultima, $b - a : a = a : x$, sequens continet

Theorema : Si fuerint tres numeri continue proportionales, erit differentia primi & secundi numerus medius proportionalis inter differentiam differentiæ termini primi & secundi a differentia secundi ac tertii & terminum primum.

PROBLEMA LXVII.

181. *Datis in progressione geometrica termino primo & ultimo atque terminorum numero, invenire denominatorem rationis.*

Sit

Sit terminus primus $= a$
ultimus $= b$
numerus terminorum $= n$
denominator $= x$
Erit (§. 121)

$$b = x^{n-1}\, a$$
$$\overline{\phantom{b = x^{n-1}a}}\; a \text{ div.}$$
$$b : a = x^{n-1}$$
$$\overline{b^{1:(n-1)} : a^{1:(n-1)} = x}$$

Sit $a = 2$, $b = 486$, $n = 6$: erit $x = \sqrt[5]{(486 : 2)} = \sqrt[5]{243} = 3$.

PROBLEMA LXVIII.

182. *Datis denominatore rationis, terminorum numero & summa progressionis geometricæ, invenire terminum primum.*

Sit denominator $= m$
numerus terminorum $= n$
summa progreſſ. $= c$
terminus I $= x$
erit ultimus $= m^{n-1} x$
conſequenter (§. 121)

$$c = (m^n x - x) : (m - 1)$$
$$\overline{}\; m - 1$$
$$mc - c = m^n x - x$$
$$\overline{}\; m^n - 1$$
$$(mc - c) : (m^n - 1) = x$$

Sit $m = 3$, $n = 6$, $c = 728$: erit $x = 2 \cdot 728 : 728 = 2$

Analogia, in quam æquatio penultima reſolvitur, $c : x = m^n - 1 : m - 1$, ſuppeditat hoc

Theorema: Summa progreſſionis geometricæ eſt ad terminum primum ut dignitas denominatoris rationis, cujus exponens numero terminorum æqualis eſt, unitate mulctata ad denominatorem ipſum unitate imminutum.

PROBLEMA LXIX.

183. *Datis in progreſſione geometrica termino primo & ultimo una cum demominatore rationis, invenire numerum terminorum.*

Sit terminus primus $= a$
ultimus $= b$
denominator rationis $= m$
numerus terminorum $= x$
erit (§. 121)

$m^{x-1} a = b$, hoc eſt, ſi logarithmus ipſius a ponatur la & logarithmus ipſius $m = lm$.

$$xlm - lm + la = lb \quad (\text{§. 341 } \textit{Arithm.})$$
$$\overline{xlm = lb - la + lm}$$
$$\overline{}\; lm \text{ div.}$$
$$x = (lb - la) : lm + 1$$

Sit $a = 2$, $b = 486$, $m = 3$, erit

$$lb = 2.\ 6866363$$
$$la = 0.\ 3010300$$
$$\overline{lb - la = 2.\ 3856063}$$

$$\begin{array}{r} 3\ \ \cancel{1}\ \ 1 \\ lb - la = \cancel{2}\cancel{3}\cancel{8}\cancel{5}\cancel{6}\cancel{0}\cancel{6}3\ (5 \\ lm = \cancel{4}\cancel{7}\cancel{7}\cancel{1}\cancel{2}\cancel{1}3\ \ \ 1 \\ \hline 6 = x \end{array}$$

PROBLEMA LXX.

184. *Datis ſumma progreſſionis geometricæ, termino primo atque ultimo, invenire numerum terminorum ac denominatorem rationis.*

Sit ſumma $= c$
terminus primus $= a$
ultimus $= b$
denominator rationis $= y$
numerus terminorum $= x$
erit (§. 121).

$$c = (by - a) : (y - 1) \qquad b = y^{x-1} a$$
$$\overline{}\; y \quad 1$$
$$\overline{cy - c = by - a}$$
$$cy - by = c - a$$
$$\overline{}\; c - b$$
$$y = (c - a) : (c - b)$$

 Æqua-

Æquatio altera adhibitis logarithmis in sequentem degenerat (§. 307 *Arithm.*).

$$lb = xly - ly + la$$
$$lb + ly - la = xly$$
$$\text{———————— } ly \text{ div.}$$
$$(lb - la) : ly + 1 = x$$

Quodsi substituatur valor ipsius ly paulo ante inventus, qui est, $l(c - v) - l(c - b)$; habebimus.

$$\frac{lb - la}{l(c - a) - l(c - b)} + 1 = x$$

Sit $c = 728$, $a = 2$, $b = 486$: erit

$lb = 2.6866363$	$c = 728$
$la = 0.3010300$	$b = 486$
$lb - la = 2.3856063$	$c - b = 242$
$l(c-a) = 28609366$	$c = 728$
$l(c-b) = 23838154$	$a = 2$
Differ. $= 4771212$	$c - a = 726$
23856063	(5
4771212	1
	$6 = x.$

PROBLEMA LXXI.

185. *Datis in progressione geometrica facto ex primo in ultimum, numero terminorum & denominatore rationis, invenire terminum primum & ultimum.*

Sit factum $= f$
numer. termin. $= n$
denominator $= m$
terminus primus $= x$
ultimus $= y$

erit per conditiones problematis:

$$xy = f \qquad m^{n-1} x = y$$
$$\text{———— } x \text{ div.}$$
$$y = f : x$$

Quare (§. 87 *Arithm.*)

$$f : x = m^{n-1} x$$
$$\text{———————— } x \text{ mult.}$$
$$f = m^{n-1} x^2$$
$$\text{———————— } m^{n-1} \text{ div.}$$
$$f : m^{n-1} = x^2$$
$$\text{———————— Ext. Rad.}$$
$$\sqrt{f} : \sqrt{m^{n-1}} = x$$

Sit $m = 3$, $n = 6$, $f = 972$: erit $x = \sqrt{972} : \sqrt{243} = \sqrt{4} = 2$.

DEFINITIO XIII.

186. Tres vel quatuor *quantitates* dicuntur *Harmonice proportionales*, si in priore casu differentia primi & secundi fuerit ad differentiam secundi atque tertii, ut primus ad tertium; in casu posteriore differentia primi & secundi ad differentiam tertii & quarti ut primus ad quartum:

E. gr. 10, 16 & 40 sunt in proportione harmonica: est enim $6 : 24 = 10 : 40$.

Si termini proportionales in casu priore continuentur; oritur *Progressio Harmonica*.

PROBLEMA LXXII.

187. *Datis duabus quantitatibus, invenire tertiam harmonice proportionalem.*

Sit prima $= a$
secunda $= b$
tertia $= x$

erit (§. 186)

$$b - a : x - b = a : x$$
$$ax - ab = bx - ax \text{ (§. 297 } Arith.)$$
$$2ax - bx = ab$$
$$\text{———————— } (2a - b) \text{ div.}$$
$$x = ab : (2a - b)$$

E. gr. Sit $a = 10$, $b = 16$: erit $x = 160 : (20 - 16) = 160 : 4 = 40$.

Æquatio penultima in hanc resolvitur analogiam $2a - b : a = b : x$, unde sequens enascitur Theo-

Theorema. Si fuerint tres numeri harmonice proportionales, erit differentia secundi a duplo primi ad primum, ut secundus ad tertium.

COROLLARIUM I.

188. Si $2a = b$; erit $x = ab : 0$, consequenter $1 . 0 = x : ab$ (§. 174 *Arithm.*). Quare cum non sit $1 = 0$, nec erit $x = ab$, adeoque in hoc casu nullus numerus harmonice proportionalis ipsis a & b inveniri potest. E. gr. si $a = 12$, $b = 24$: juxta regulam $x = 12 . 24 : (24 - 24) = 12 . 24 : 0$. Sed non licet $12 . 24$ seu 288 pro termino tertio assumere: alias enim foret $12 : 264 = 12 : 288$ (§. 186): Quod absurdum. Multo minus inveniri poterit, si $b > 2a$.

COROLLARIUM II.

189. Quodsi ex tribus proportionalibus $6. 8. 12$, terminus secundus sumatur pro a, tertius pro b, invenietur quartus continue proportionalis $= 8. 12 : (16 - 12) = 8. 12 : 4 = 8. 3 = 24$.

COROLLARIUM III.

190. Cum eodem modo, si tertius pro a, quartus pro b sumatur, quintus inveniri queat & ita porro in infinitum; datis duobus terminis progressio, si possibile (§. 188), continuatur per regulam inventam. E. gr. si $a = 10$, $b = 12$, erit tertius $12. 10 : (20 - 12) = 15$. Inde quartus $12. 15 : (24 - 15) = 20$, quintus $15. 20 : (30 - 20) = 30$; sextus $20. 30 : (40 - 30) = 60$. Sed ulterius continuari nequit ob $60 = 2. 30$ (§. 188).

PROBLEMA LXXIII.

191. *Datis duabus quantitatibus, invenire mediam harmonice proportionalem.*

Sit prima $= a$
secunda $= x$
tertia $= b$

erit $x - a : b - x = a : b$ (§. 186)

$bx - ab = ab - ax$ (§. 297 *Arithm.*)

$ax + bx = 2ab$

$a + b$ div.

$x = 2ab : (a + b)$

E. gr. Sit $a = 10$, $b = 40$: erit $x = 800 : 50 = 16$.

Æquatio penultima in hanc resolvitur analogiam, $a + b : 2a = b : x$, unde

Theorema: Si fuerint tres numeri harmonice proportionales, erit summa primi & ultimi ad primi duplum ut ultimus ad medium.

PROBLEMA LXXIV.

192. *Datis tribus quantitatibus, invenire quartam harmonice proportionalem.*

Sit prima $= a$
secunda $= b$
tertia $= c$
quarta $= x$
erit (§. 186)

$b - a : x - c = a : x$

$bx - ax = ax - ac$ (§. 297. *Arithm.*)

$ac = 2ax - bx$

$(2a - b)$ div.

$ac : (2a - b) = x$

Sit e. gr. $a = 6$, $b = 8$, $c = 12$: erit $x = 72 : (12 - 8) = 72 : 4 = 18$.

Æquatio penultima in hanc resolvitur analogiam: $2a - b : a = c : x$.

Theorema. Si fuerint quatuor quantitates harmonice proportionales, erit ut differentia secundæ a duplo primæ ad primam, ita tertia ad quartam.

DEFINITIO XIV.

193. *Proportio Contraharmonica* est ea terminorum trium relatio, in qua differentia primi & secundi est ad differentiam

ſecundi & tertii ut tertius ad primum. E. gr. 3. 5 & 6 ſunt numeri contraharmonice proportionales: eſt enim $2 : 1 = 6 : 3$.

PROBLEMA LXXV.

194. *Datis duabus quantitatibus invenire tertiam contraharmonice proportionalem.*

Sit prima $= a$
ſecunda $= b$
tertia $= x$
erit (§. 193)

$$b - a : x - b = x : a$$

$$ab - aa = x^2 - bx \text{ (§. 297 } Arithm.)$$

$$\tfrac{1}{4}b^2 \quad \tfrac{1}{4}b^2 \text{ add. (§. 143)}$$

$$\tfrac{1}{4}b^2 + ab - a^2 = x^2 - bx + \tfrac{1}{4}b^2$$

Ext. Rad.

$$\sqrt{(\tfrac{1}{4}b^2 + ab - a^2)} = x - \tfrac{1}{2}b \text{ ob } x > b$$

$$\tfrac{1}{2}b + \sqrt{(\tfrac{1}{4}b^2 + ab - a^2)} = x$$

E. gr. Sit $a = 3$, $b = 5$: erit $x = \frac{5}{2} + \sqrt{(\frac{25}{4} + 15 - 9)} = \frac{5}{2} + \sqrt{\frac{49}{4}} = \frac{5}{2} + \frac{7}{2} = \frac{12}{2} = 6$.

PROBLEMA LXXVI.

195. *Datis duabus quantitatibus invenire mediam contraharmonice proportionalem.*

Sit prima $= a$ media $= x$
tertia $= b$
erit (§. 193)

$$x - a : b - x = b : a$$

$$ax - a^2 = b^2 - bx \text{ (§. 297 } Arithm.)$$

$$ax + bx = a^2 + b^2$$

$a + b$ div.

$$x = (a^2 + b^2) : (a + b)$$

E. gr. ſit $a = 3$, $b = 6$: erit $x = (9 + 36) : (3 + 6) = 45 : 9 = 5$.

Theorema. Si ſumma 2 quadratorum dividitur per ſummam radicum, quotus eſt inter radices medius contraharmonice proportionalis.

DEFINITIO XV.

196. *Numerus pronicus* eſt, qui aggregato ex radice & quadrato ejuſdem æqualis.

COROLLARIUM I.

197. Si in progreſſione arithmetica terminus primus fuerit 2, differentia terminorum itidem 2, numerus terminorum $= n$; erit ſumma progreſſionis $= 2n + \frac{1}{2}(n^2 - n)2$ (§. 108), $= 2n + n^2 - n = n^2 + n$, adeoque numerus pronicus, cujus radix numero terminorum æqualis.

COROLLARIUM II.

198. Patet adeo numeros pronicos prodire per ſummationem progreſſionis numerorum parium. Sit enim

progreſſio 2. 4. 6. 8. 10 &c.
erunt pronici 2. 6. 12. 20. 30. &c.

PROBLEMA LXXVII.

199. *Ex dato numero radicem pronicam extrahere.*

RESOLUTIO.

Sit numerus datus $= a$, radix pronica $= x$
erit (§. 196)

$$x^2 + x = a$$

$$\tfrac{1}{4} \quad \tfrac{1}{4} \text{ (§. 143)}$$

$$x^2 + x + \tfrac{1}{4} = a + \tfrac{1}{4}$$

$$\tfrac{1}{2} + x = \sqrt{(a + \tfrac{1}{4})} = \sqrt{\frac{(4a + 1)}{4}} = \tfrac{1}{2}\sqrt{(4a + 1)}$$

$$x = \tfrac{1}{2}\sqrt{(4a + 1)} - \tfrac{1}{2}$$

Theorema. Si quadruplo numeri pronici addatur unitas & radix unitate mulcta bifariam dividatur, quotus eſt radix pronica.

Sit $a = 72$, erit $x = \frac{1}{2}\sqrt{(4 \cdot 72 + 1)} - \frac{1}{2} = \frac{1}{2}\sqrt{289} - \frac{1}{2} = \frac{17}{2} - \frac{1}{2} = 8$.

Examen. Nam $64 + 8 = 72$.

PRO-

PROBLEMA LXXVIII.

200. *Invenire summam quadratorum & cuborum, quorum radices in serie numerorum naturali progrediuntur.*

$$
\begin{array}{ll}
\text{Sit } 0+1+1+1+1+1 \text{ \&c.} & = \int n^0 \\
0+1+2+3+4+5 \text{ \&c.} & = \int n^1 \\
0+1+4+9+16+25 \text{ \&c.} & = \int n^2 \\
0+1+8+27+64+125 \text{ \&c.} & = \int n^3 \\
\text{\&c.} & \text{\&c.} \\
1+1+1+1+1+1 \text{ \&c.} & = \int(n+1)^0 \\
1+2+3+4+5+6 \text{ \&c.} & = \int(n+1)^1 \\
1+4+9+16+25+36 \text{ \&c.} & = \int(n+1)^2 \\
1+8+27+64+125+216 \text{ \&c.} & = \int(n+1)^3 \\
\text{\&c.} & \text{\&c.}
\end{array}
$$

Nimirum $\int n^0$ denotat summam quotlibet unitatum seriei a cyphra incipientis; $\int(n+1)^0$ summam quotlibet unitatum seriei ab unitate incipientis, quia 0 est exponens unitatis (§. 55). Sed n repræsentat unamquamque unitatem in serie prima; $n+1$ in altera. Ergo si numerus terminorum in utraque serie idem; erit $\int(n+1)^0 - \int n^0 = (n+1)^0 = 1$. Similiter $\int n^1$ denotat summam seriei numerorum naturalium a cyphra incipientis & n quemlibet ejus terminum: $\int(n+1)^1$ summam seriei eorundem numerorum ab unitate incipientium & $n+1$ quemlibet ejus terminum 1, 2, 3 &c. quia 1 est exponens radicum, seu dignitatis primæ (§. *cit.*). Quare si in utraque serie fuerit idem terminorum numerus, erit $\int(n+1)^1 - \int n^1 = (n+1)^1$, ubi $n+1$ terminum ultimum seriei ab unitate incipientis denotat, quo scilicet ea differt a serie, quæ a cyphra inchoatur. Eodem modo patet, esse $\int(n+1)^2 - \int n^2 = (n+1)^2$, $\int(n+1)^3 - \int n^3 = (n+1)^3$, $\int(n+1)^4 - \int n^4 = (n+1)^4$ &c. & in genere $\int(n+1)^{m+1} - \int n^{m+1} = (n+1)^{m+1}$.

Jam $(n+1)^2 = n^2+2n+1$ (§. 81)

$$\int(n+1)^2 = \int n^2 + 2\int n^1 + \int n^0 + 1$$
$$\int(n+1)^2 - \int n^2 - \int n^0 - 1 = 2\int n^1$$

hoc est, ob $\int(n+1)^2 - \int n^2 = (n+1)^2$ per

$$(n+1)^2 - \int n^0 - 1 = 2\int n^1 \text{ (dem.}$$

2 div.

$$\tfrac{1}{2}(n+1)^2 - \tfrac{1}{2}\int n^0 - \tfrac{1}{2} = \int n^1$$

E. gr. $n = 5$, erit $\frac{1}{2}(n+1)^2 = \frac{36}{2} = 18$, $\frac{1}{2}\int n^0 = \frac{5}{2} = 2\frac{1}{2}$, adeoque $\int n^1$ summa omnium radicum ab 0 usque ad $5 = 18 - 3 = 15$. Similiter sit $n = 3$, erit $\frac{1}{2}(n+1)^2 = 8$, $\frac{1}{2}\int n^0 = 1\frac{1}{2}$, adeoque $\int n = 6$.

Est porro

$$(n+1)^3 = n^3+3n^2+3n+1 \text{ (§. 84)}$$
$$\int(n+1)^3 = \int n^3 + 3\int n^2 + 3\int n^1 + \int n^0 + 1$$
$$\int(n+1)^3 - \int n^3 - 3\int n^1 - \int n^0 - 1 = 3\int n^2$$

h. e. ob $\int(n+1)^3 - \int n^3 = (n+1)^3$ per de-

$$(n+1)^3 - 3\int n^1 - \int n^0 - 1 = 3\int n^2 \text{ (monst.}$$

3 div.

$$\tfrac{1}{3}(n+1)^3 - \int n^1 - \tfrac{1}{3}\int n^0 - \tfrac{1}{3} = \int n^2$$

E. gr. Sit $n = 5$, erit $\frac{1}{3}(n+1)^3 = \frac{216}{3} = 72$, $\int n^1 = 15$, $\frac{1}{3}\int n^0 = 1\frac{2}{3}$, adeoque $\int n^2 = 72 - 17 = 55$. Similiter sit $n = 3$, erit $\frac{1}{3}(n+1)^3 = 21\frac{1}{3}$, $\int n = 6$, $\frac{1}{3}\int n^0 = 1$, adeoque $\int n^2 = 21\frac{1}{3} - 7\frac{1}{3} = 14$.

Sit denique

$$(n+1)^4 = n^4 + 4n^3 + 6n^2 + 4n + 1$$
$$\int(n+1)^4 = \int n^4 + 4\int n^3 + 6\int n^2 + 4\int n^1 + \int n^0 + 1$$
$$\int(n+1)^4 - \int n^4 - 6\int n^2 - 4\int n^1 - \int n^0 - 1 = 4\int n^3$$

h. e. ob $\int(n+1)^4 - \int n^4 = (n+1)^4$ per demonst.

$$(n+1)^4 - 6\int n^2 - 4\int n^1 - \int n^0 - 1 = 4\int n^3$$

4

$$\tfrac{1}{4}(n+1)^4 - \tfrac{3}{2}\int n^2 - \int n^1 - \tfrac{1}{4}\int n^0 - \tfrac{1}{4} = \int n^3$$

Sit. e. gr. $n = 5$, erit $\frac{1}{4}(n+1)^4 = 324$, $\frac{3}{2}\int n^2 = 82\frac{1}{2}$, $\int n^1 = 15$, $\frac{1}{4}\int n^0 = 1\frac{1}{4}$, adeoque $\int n^3 = 324 - 99 = 225$.

SCHO-

SCHOLION I.

201. *Quod in summationibus, quibus in resolutione problematis usi sumus, semper addenda sit unitas, exempla singularia palam loquuntur. Si enim in æquatione* $\int(n+1)^2 = \int n^2 + 2\int n + \int n^0 + 1$ *fuerit* $n=4$ *erit:*

$$\int n^0 = 0+1+1+1+1$$
$$\int n = 0+1+2+3+4$$
$$\int n^2 = 0+1+4+9+16$$
$$\int(n+1)^2 = 1+4+9+16+25$$

Unde cum differentia inter $\int(n+1)_2$ *&* $\int n^2$ *sit 25, &* $2\int n^1 + \int n^0$ *tantum 24; patet, ad conservandam æqualitatem addendam esse unitatem.*

SCHOLION II.

202. *Eadem methodo, qua numerorum naturalium quadrata & cubos summare docuimus, altiores quoque dignitates summantur. Sed cum potentiæ in infinitum aßurgant, ideo Problema generale pro casibus infinitis inveniendum.*

PROBLEMA LXXIX.

203. *Summare potentias quascunque numerorum naturalium.*

Quoniam $(n+1)^{m+1} = n^{m+1} + \frac{m+1}{1} n^m + \frac{m+1.m}{1.2} n^{m-1} + \frac{m+1.m.m-1}{1.2.3} n^{m-2} + \frac{m+1.m.m-1.m-2}{1.2.3.4} n^{m-3}$ &c. in infinit. (§. 95); erit

$$\int(n+1)^{m+1} = \int n^{m+1} + \frac{m+1}{1}\int n^m + \frac{m+1.m}{1.2}\int n^{m-1} + \frac{m+1.m.m-1}{1.2.3}\int n^{m-2} + \frac{m+1.m.m-1.m-2}{1.2.3.4}\int n^{m-3} \text{ \&c. in inf.} +1.$$

Hinc $\int(n+1)^{m+1} - \int n^{m+1} - \frac{m+1.m}{1.2}\int n^{m-1} - \frac{m+1.m.m-1}{1.2.3}\int n^{m-2} - \frac{m+1.m.m-1.m-2}{1.2.3.4}\int n^{m-3}$ &c. $-1 = \frac{m+1}{1}\int n^m$.

Sed $\int(n+1)^{m+1} - \int n^{m+1} = (n+1)^{m+1}$ (§.200): Ergo $(n+1)^{m+1} - \frac{m+1.m}{1.2}\int n^{m-1} - \frac{m+1.m.m-1}{1.2.3}\int n^{m-2} - \frac{m+1.m.m-1.m-2}{1.2.3.4}\int n^{m-3}$ &c. in infin. $-1 = \frac{m+1}{1}\int n^m$: consequenter $\int n^m = \frac{1}{m+1}(n+1)^{m+1} - \frac{m}{1.2}\int n^{m-1} - \frac{m.m-1}{1.2.3}\int n^{m-2} - \frac{m.m-1.m-2}{1.2.3.4}\int n^{m-3}$ &c. in infinit. $-\frac{1}{m+1}$

E. gr. sit $m=3$, erit $m+1=4$, $m-1=2$, $m-2=1$, $m-3=0$, adeoque $\frac{1}{4}(n+1)^4 - \frac{3}{2}\int n^2 - \int n^1 - \frac{1}{4}\int n^0 - \frac{1}{4} = \int n^3$, ut ante (§. 200).

SCHOLION.

204. *Theorema generale terminis quidem constat infinitis; in casibus tamen specialibus numerus terminorum finitus evadit, quia reliqui evanescunt, quando numerus ab m subtrahendus fit ipsi m æqualis: quemadmodum ex allato exemplo speciali apparet. Ita vero summationem potentiarum via vere analytica eruimus, eaque perfacili, ad captum tyronum. Semper tamen utendum est termino ultimo* $-\frac{1}{m+1}$: *cujus ratio ante allata (§. 201).*

COROLLARIUM.

205. Cum summatio potentiarum superiorum a summatione omnium inferiorum pendeat; si in formulis altioribus pro $\int n^{m-1}$, $\int n^{m-2}$, $\int n^{m-3}$ &c. valores ex inferioribus substituantur, prodibunt formulæ per solum n summas Potentiarum determinantes, non præsuppositis summationibus anterioribus: E. gr.

$\int n^0 = n.$ (§. 200)

$2\int n^1 = (n+1)^2 - \int n^0 - 1$ (§. 200)

$= nn + 2n + 1$

$\quad - n$

$\quad - 1$

$= nn + n$

Hinc $\int n^1 = (nn + n) : 2.$

$3\int n^2 = (n+1)^3 - 3\int n^1 - \int n^0 - 1$ (§. 200)

$= n^3 + 3n^2 + 3n + 1$

$\quad - \frac{3}{2} n^2 - \frac{3}{2} n$

$\quad - n$

$\quad - 1$

$= n^3 + \frac{3}{2} n^2 + \frac{1}{2} n$

Hinc $\int n^2 = (n^3 + \frac{3}{2} n^2 + \frac{1}{2} n) : 3 = (2n^3 + 3n^2 + n) : 6.$

$4\int n^3 = (n+1)^4 - 6\int n^2 - 4\int n^1 - \int n^0 - 1$ (§. 200)

$= n^4 + 4n^3 + 6n^2 + 4n + 1$

$\quad - 2n^3 - 3n^2 - n$

$\quad - 2n^2 - 2n$

$\quad - n$

$\quad - 1$

$= n^4 + 2n^3 + n^2$

Hinc $\int n^3 = (n^4 + 2n^3 + n^2) : 4.$

$5\int n^4 = (n+1)^5 - 10\int n^3 - 10\int n^2 - 5\int n^1 - \int n^0 - 1$

$= n^5 + 5n^4 + 10n^3 + 10n^2 + 5n + 1$

$\quad - \frac{10}{4} n^4 - \frac{20}{4} n^3 - \frac{10}{4} n^2$

$\quad - \frac{20}{6} n^3 - \frac{30}{6} n^2 - \frac{10}{6} n$

$\quad - \frac{5}{2} n^2 - \frac{5}{2} n$

$\quad - n$

$\quad - 1$

$= n^5 + \frac{5}{2} n^4 + \frac{10}{6} n^3 \quad - \frac{1}{6} n$

$= (6n^5 + 15n^4 + 10n^3 - n) : 6$

Hinc $\int n^4 = (6n^5 + 15n^4 + 10n^3 - n) : 30.$

&c. &c. &c.

DEFINITIO XVI.

206. *Numeri Polygoni* sunt summæ progressionum arithmeticarum ab unitate incipientium. Dicuntur in specie *Triangulares*, si differentia terminorum fuerit 1; *Quadrati*, si 2; *Pentagoni*, si 3; *Hexagoni*, si 4; *Heptagoni*, si 5; *Octogoni*, si 6 &c.

Progr.	Arithm.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8
Num.	Triang.	1.	3.	6.	10.	15.	21.	28.	36
Prog.	Arithm.	1.	3.	5.	7.	9.	11.	13.	15
Num.	Quadr.	1.	4.	9.	16.	25.	36	49.	64
Progr.	Arithm.	1.	4.	7.	10.	13.	16.	19.	22
Num.	Pentag.	1.	5.	12.	22.	35.	51.	70.	92
Progr.	Arithm.	1.	5.	9.	13.	17.	21.	25.	29
Num.	Hexag.	1.	6.	15.	28.	45.	66.	91.	120

SCHOLION.

207. *Numeri polygoni nomina sortiuntur a figuris geometricis, in quas puncta unitatibus respondentia disponi possunt.* E. gr. *Tria puncta numeri triangularis 3 unitatibus respondentia disponuntur in triangulum : & idem tenendum est de reliquis numeris triangularibus.*

DEFINITIO XVII.

208. *Latus numeri polygoni* est numerus terminorum progressionis arithmeticæ, qui summantur. *Numerus* vero *angulorum* est, qui indicat, quot angulos figura habet, unde numerus polygonus nomen suum sortitur.

COROLLARIUM.

209. Numerus adeo angulorum in triangularibus 3; in tetragonis 4; in pentagonis 5 &c. consequenter differentiam terminorum, qui summantur, excedit duabus unitatibus (§. 206).

PROBLEMA LXXX.

210. *Dato latere numeri polygoni & numero angulorum; invenire numerum polygonum.*

Sit latus $= n$

numerus angulorum $= a$

terminus primus progressionis $= 1$ (§. 206).

differentia terminorum $= a - 2$ (§. 209).

terminus ultimus $1 + (a-2)(n-1)$

primus 1 (§. 333 *Arith.*)

Summa primi & ult. $2 + (a-2)(n-1)$

hoc est $4 + na - 2n - a$

dimid. term. num. $\frac{1}{2} n$

Num. polyg. $2n + \frac{1}{2}n^2a - n^2 - \frac{1}{2}an$ (§.106.107)

$= (n^2a - 2n^2 - an + 4n) : 2$

$= (n^2(a-2) - n(a-4)) : 2$

Theorema. Numerus polygonus eſt ſemidifferentia factorum ex quadrato lateris in numerum angulorum duabus unitatibus mulctatum & ex ipſo latere in numerum angulorum quaternario mulctatum.

COROLLARIUM I.

211\. Sit $n = 3$, erit triangularis, $= \frac{1n^2 + 1n^2}{2}$

Sit $a = 4$, erit quadratus $= \frac{2n^2 - 0n}{2} = n$

Sit $a = 5$, erit pentagonus $= \frac{3n^2 - 1n}{2}$

Sit $a = 6$, erit hexagonus $= \frac{4n^2 - 2n}{2} = n^2 - n$

Sit $a = 7$, erit heptagonus $= \frac{5n^2 - 3n}{2}$

Sit $a = 8$, erit octogon. $= \frac{6n^2 - 4n}{2} = 3n^2 - 2n$

&c. &c.

COROLLARIUM II.

n212\. Quoniam numerus polygonus (ſ. 210). $\frac{n^2(a-2) - n(a-4)}{2}$ erit ſumma ſeriei cujuſcunque numerorum polygonorum $\frac{(a-2)\int n^2 - (a-4)\int n^1.}{2}$ Nempe quia $a-2$ & $a-4$ ſunt numeri conſtantes, qui in caſu ſpeciali ſunt determinati, non ſummantur. Sed $\int n^2 = \frac{2n^3 + 3n^2 + n}{6}$ & $\int n^1 = \frac{n^2 + n}{2} = \frac{3n^2 + 3n}{6}$ (ſ. 205.) Ergo ſumma polygonorum $\frac{(a-2)(2n^3 + 3n^2 + n) - (a-4)(3n^2 + 3n)}{12}$ $= (2an^3 + 3an^2 + an - 4n^3 - 6n^2 - 2n - 3an^2 - 3an + 12n^2 + 12n) : 12 = (an^3 - an - 2n^3 + 3n^2 + 5n) : 6 = \frac{(a-2)\ n^3 + 3n^2 - (a-5)\,n}{6}$

unde porro theoremata ſpecialia eliciuntur, determinato numero angulorum a. Nempe ſumma triangularium $(n^3 + 3n^2 + 2n) : 6$

pentagonorum $(n^3 + n^2) : 2$

hexagonorum $(4n^3 + 3n^2 - n) : 6$

heptagonorum $(5n^3 + 3n^2 - 2n) : 6$

octogonorum $(2n^3 + n^2 - n) : 2$ &c. &c.

Eſt enim pro triangularibus $a = 3$, pro pentagonis $a = 5$, pro hexagonis $a = 6$, pro heptagonis $a = 7$, pro octogonis $a = 8$, &c. (ſ. 208).

PROBLEMA LXXXI.

213\. *Dato numero polygono & numero angulorum invenire latus.*

Sit numerus polygonus $= p$, latus $= x$

numerus angulorum $= a$

erit differentia terminor. $= a - 2$ (§.209)

terminus primus $= 1$ (§.206)

adeoque ultimus $= 1 + (x-1)(a-2)$

hoc eſt $3 + ax - 2x - a$ (§. 333. Arithm.)

terminus primus 1

ſumma pr. & ult. $4 + ax - 2x - a$

dimid. num. term. $\frac{1}{2}x$

numerus polygon. $2x + \frac{1}{2}ax2 - x^2 - \frac{1}{2}ax$ (§.108).

Quare $\frac{1}{2}ax^2 - x^2 + 2x - \frac{1}{2}ax = p$ $\quad 2$

$ax^2 - 2x + 4x - ax = 2p$ $\quad a-2$

$$x^2 + \frac{4-a}{a-2}x = \frac{2p}{a-2}$$

hoc eſt, ſi fiat $(a-4) : (a-2) = m$

$$x^2 - mx = 2p : (a-2)$$

$$\tfrac{1}{4}m^2 \qquad \tfrac{1}{4}m^2$$

$$x^2 - mx + \tfrac{1}{4}m^2 = \tfrac{1}{4}m^2 + 2p : (a-2)$$

$$\left.\begin{matrix} x - \frac{1}{2}m \\ m - \frac{1}{2}x \end{matrix}\right\} = \sqrt{\left(\tfrac{1}{4}m^2 + 2p : (a-2)\right)}$$

$$x = \tfrac{1}{2}m + \sqrt{\left(\tfrac{1}{4}m^2 + 2p : (a-2)\right)}$$

hoc eſt, ſubſtituto valore ipſius m,

$$x = \frac{a-4}{2a-4} + \sqrt{\left(\frac{a^2 - 8a + 16}{4a^2 - 16a + 16} + \frac{4p}{2a-4}\right)}$$

$$= \frac{a - 4 + \sqrt{(8ap - 16p + a^2 - 8a + 16)}}{2a-4}$$

$$= \frac{a - 4 + \sqrt{(8\ (a-2)p + (a-4)^2)}}{2a-4}$$

obti-

obtinet nimirum ſignum +, quia radix major eſt quam $a - 4$

Sit e. gr. $a = 3$, erit latus numeri triangularis $\frac{-1 + \sqrt{(8p+1)}}{2}$

Sit $a=5$, erit latus pentagoni $\frac{1+\sqrt{(24p+1)}}{6}$

Sit $a=6$, erit latus hexagoni $\frac{2+\sqrt{(32p+4)}}{8}$

Sit $a=7$, erit latus heptag. $\frac{3+\sqrt{(40p+9)}}{10}$

&c. &c.

DEFINITIO XVIII.

214. Summæ numerorum polygonorum eodem modo collectæ, quo ex progreſſionibus arithmeticis ipſi polygoni eliciuntur, dicuntur *Pyramidales primi*: Summæ pyramidalium primorum *Pyramidales ſecundi*: ſummæ pyramidalium ſecundorum *Pyramidales tertii* &c. in infinitum. Speciatim *Pyramidales triangulares primi* vocantur, ſi ex triangularibus ortum ducant; *Pyramidales pentagoni primi*, ſi ex pentagonis oriuntur &c.

E. gr. Num. triang. =	1.	3.	6.	10.	15.	21
Pyram. triang. pr. =	1.	4.	10.	20.	35.	56
ſecundi =	1.	5.	15.	35.	70.	126
tertii =	1.	6.	21.	56.	126.	252
&c.	&c.					

COROLLARIUM.

215. Cum igitur ſummare docuerimus numeros polygonos (§. 212), evidens jam eſt, quomodo numeri pyramidales primi inveniantur. Nempe $\frac{(a-2)n^3 + 3n^2 - (a-5)n}{6}$ exprimit numeros pyramidales primos *vi §. cit.*

PROBLEMA LXXXII.

216. *Invenire ſummam numerorum pyramidalium ſuperioris ordinis cujuscunque, ſeu dato quolibet inferiore proxime ſuperiorem.*

Non alia re opus eſt, quam ut juxta methodum ſuperius traditam (§. 200) numeri pyramidales proxime inferioris ordinis ſummentur: ita enim habentur eorum ſummæ. Quare cum numerus pyramidalis primi ordinis ſit $\frac{(a-2)n^3 + 3n^2 - (a-5)n}{6}$ (§. 215): erit ſumma pyramidalium primi ordinis $\frac{(a-2)\int n^3 + 3\int n^2 - (a-5)\int n^1}{6}$

Sed $\int n^3 = (n^4 + 2n^3 + n^2) : 4$, $\int n^2 = (2n^3 + 3n^2 + n) : 6$, $\int n^1 = (n^2 + n) : 2$, (§. 205). Ergo ſumma pyramidalium primi ordinis, ſeu numerus pyramidalis ſecundi ordinis $= ((a-2)(n^4 + 2n^3 + n^2) + 2(2n^3 + 3n^2 + n) - (a-5)(2n^2 + 2n)) : 24 = (an^4 + 2an^3 - an^2 - 2an - 2n^4 + 14n^2 + 12n) : 24 = ((a-2)n^4 + 2an^3 - (a+14)n^2) - (2a+12)n) : 24$

Sit e. gr. $a = 3$, hoc eſt quæratur ſumma pyramidalium triangularium primi ordinis; erit ea $\frac{n^4 + 6n^3 + 11n^2 + 6n}{24}$. Quoniam vero ſumma inventa generalis exprimit numerum quemcunque pyramidalem ſecundi ordinis (§. 214), ſi ea porro eundem in modum ſummetur, prodibit ſumma pyramidalium ſecundi ordinis ſeu numerus pyramidalis ordinis tertii (*§. cit.*). Et ita progredi licet, quouſque libet.

COROLLARIUM I.

217. Cum ſumma unitatum ſit n, ſumma laterum $\frac{n^2 + n}{2} = \frac{n.\, n+1}{1.\, 2}$ (§. 205), ſumma triangularium $\frac{n^3 + 3n^2 + 2n}{6} = \frac{n.\, n+1.\, n+2}{1.\, 2.\, 3}$ (§. 215), ſumma pyramidalium pri-

 mi

mi ordinis $\frac{n^4 + 6n^3 + 11n^2 + 6n}{24} = \frac{n \cdot n+1}{1 \cdot 2} \cdot \frac{n+2 \cdot n+3}{3 \cdot 4}$ (§. 216). &c. evidens est lex, qua numeri pyramidales ex triangularibus orti in infinitum summentur. Nimirum numerus fractionum in se invicem ducendarum excedit numerum ordinis tribus unitatibus, fractionum earundem numeratores progrediuntur in serie naturali numerorum, sed terminus primus progressionis est latus numeri figurati, denominatores sunt numerorum naturalium progressio ab unitate incipiens. Nempe dato latere n, erit numerus pyramidalis triangularis indeterminatus $\frac{n+0 \cdot n+1 \cdot n+2 \cdot n+3 \cdot n+4 \cdot n+5 \cdot \&c.}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4 \cdot 5 \cdot 6 \cdot \&c.}$ in infinit.

COROLLARIUM II.

218. Hinc apparet, quales numeri sint unciæ potentiarum (§. 95).

PROBLEMA LXXXIII.

219. *Dato numero quantitatum una cum numero indicante, quot earum invicem combinari debeant, invenire numerum combinationum.*

Quantitas una nullam; duæ a & b nonnisi unam combinationem ab admittunt. Trium combinationes sunt tres, nempe ab, ac, bc; quatuor vero sex ab, ac, ad, bc, bd, cd; quinque decem ab, ac, bc, ad, bd, cd, ae, be, ce, de, & ita porro. Unde apparet, numeros combinationum progredi ut 1. 3. 6. 10 &c. hoc est, esse numeros triangulares (§. 206), quorum latus differt unitate a numero quantitatum datarum. Si nempe hic foret q, erit latus numeri combinationum $q-1$, adeoque numerus combinationum $\frac{q-1 \cdot q+0}{1 \cdot 2}$ (§. 217).

Si quantitates tres invicem combinandæ & numero itidem tres fuerint, erit combinatio tantum unica abc. Si quarta accedat, combinationes reperies quatuor abc, abd, bcd, acd; si quinta, decem abc, abd, bcd, acd, abe, bde, bce, ace, ade; si sexta, viginti & ita porro. Numeri ergo combinationum progrediuntur, ut 1. 4. 10. 20 &c. hoc est, sunt numeri pyramidales triangulares primi (§. 214), quorum latus a numero quantitatum datarum differt duabus unitatibus, seu exponente unitate mulctato. Hinc si numerus quantitatum datarum fuerit q, erit latus $q-2$, adeoque numerus combinationum $\frac{q-2 \cdot q-1 \cdot q+0}{1 \cdot 2 \cdot 3}$ (§. 271).

Si quantitates quatuor invicem combinandæ, numeros combinationum progredi deprehendimus ut numeros pyramidales triangulares secundi ordinis 1. 5. 15. 35 &c. (§. 214), quorum latus a numero quantitatum differt tribus quantitatibus seu exponente unitate mulctato. Quare si numerus quantitatum fuerit q, erit latus $q-3$, adeoque numerus combinationum $\frac{q-3 \cdot q-2 \cdot q-1 \cdot q+0}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4}$ (§. 217.)

Hinc facile abstrahitur regula generalis determinandi numerum combinationum in casu quocunque. Sit nempe numerus quantitatum combinandarum q, exponens combinationis n, erit numerus combinationum $\frac{q-n+1}{1} \cdot \frac{q-n+2}{2} \cdot \frac{q-n+3}{3} \cdot \frac{q-n+4}{4} \cdot \frac{q-n+5}{5}$ &c. donec numerus addendus sit ipsi n æqualis.

E. gr. Sit numerus quantitatum combinandarum $= 6$, exponens combinationis 4; erit

erit numerus combinationum $\frac{6-4+1.}{1.}\cdot\frac{6-4+2.}{2.}\cdot\frac{6-4+3.}{3.}\cdot\frac{6-4+4.}{4}\cdot\frac{6-3.}{1}\cdot\frac{6-2.}{2.}\cdot\frac{6-1.}{3.}\cdot\frac{6+0}{4}=\frac{3.4.5.6}{1.2.3.4}=15.$

Corollarium.

220. Quodsi quantitatum datarum omnes combinationes possibiles scire desideres, incipiendo nempe a combinationibus singularum binarum; addi oportet $\frac{q-1.}{1}\cdot\frac{q+0}{.2}$, $\frac{q-2.}{1.}\cdot\frac{q-1.}{2.}\cdot\frac{q+0}{3}$, $\frac{q-3.}{1.}\cdot\frac{q-2.}{2.}\cdot\frac{q-1.}{3}\cdot\frac{q+0}{.4}$ &c. Unde numerus omnium combinationum possibilium erit $\frac{q.q-1.}{1.2}+\frac{q.q-.q-2}{1.2.3}+\frac{q.q-1.q-2q-3}{1.2.3.4}+\frac{q.q-1.q-2.q-3.q-4}{1.2.3.4.5}$ &c. Quæ est summa unciarum binomii ad dignitatem q evecti mulctata exponente dignitatis unitate aucto $q+1$ (*§. 95*). Quare cum hæ unicæ prodeant $1+1$ ad dignitatem q evehendo *per probl. 29.* (*§. cit.*), sit vero $1+1=2$; erit 2^q-q-1 numerus omnium combinationum possibilium. E. gr. Si numerus quantitatum 5 erit numerus combinationum possibilium $2^5-6=32-6=26$.

Scholion.

221. *Uncias prodire debere pro binomio*, $1+1$ *ad eam dignitatem elevando, ad quam elevatur binomium* a + b : *patet exinde, quod uncia partium* a & b *sit* 1, *atque adeo ut facta litteralia ex* a & b, *ita unciæ ex* 1 & 1 *in se invicem ductis prodire debeant. Vide calculum*:

$$
\begin{array}{rl}
1+1 & \textit{Unc. Rad.} \\
1+1 & \\
\hline
+1+1 & \\
1+1 & \\
\hline
1+2+1. & \textit{Unc. Quadr.} \\
1+1 & \textit{Unc. Rad.} \\
\hline
+1+2+1 & \\
1+2+1 & \\
\hline
1+3+3+1 & \textit{Unc. Cubi.} \\
\text{\&c. \&c.} &
\end{array}
$$

Problema LXXXIV.

222. *Dato numero quantitatum, invenire numerum omnium variationum, quas quantitates omnibus modis possibilibus combinatæ ac permutatæ subire possunt.*

Sint quantitates duæ a & b, erunt variationes permutationum 2 (§. 129), consequenter cum earum quælibet etiam cum seipsa combinari possit, istis addendæ adhuc sunt variationes 2. Ergo numerus omnium est, $2+2=4$.

Quodsi tres fuerit & exponens variationis 2, combinationes erunt 3 & permutationes 3, nempe *ab*, *ac*, *bc*, & *ba*, *ca*, *cb* (§. 129): quibus si addas combinationes tres uniuscujusque quantitatis cum seipsa *aa*, *bb*, *cc*; habebis numerum variationum $3+3+3=9$.

Eodem modo patet, si quantitates fuerint quatuor & exponens 2, numerum combinationum fore 6, & numerum permutationum itidem 6, numerum combinationum cum seipsa 4, adeoque numerum variationum 16; si manente exponente quantitates fuerint quinque, numerum variationum fore 25 &c. & in genere si numerus quantitatum fuerit n, numerum variationum fore n^2.

Sint quantitates tres & exponens variationis 3; reperitur numerus variationum $27=3^3$, nempe *aaa*, *aab*, *aba*, *baa*, *aac*, *aca*, *caa*, *abb*, *bab*, *bba*, *abc*, *bac*, *bca*, *acb*, *cab*, *cba*, *acc*, *cac*, *cca*; *bbb*, *bbc*, *cbb*, *bcb*, *bcc*, *cbc*, *ccb*, *ccc*:

Nec absimili modo constabit, si quantitates fuerint quatuor & exponens 3, fore numerum variationum $64 = 4^3$: & in genere, si fuerit quantitatum numerus $= n$, exponens 3, fore numerum variationum n^3.

Quodsi ita progredi libuerit, reperietur tandem, si quantitatum numerus fuerit n, & exponens n, fore numerum variationum n^n.

Quare si antecedentes omnes addas, ubi exponens minor; reperietur numerus omnium variationum possibilium $n^n + n^{n-1} + n^{n-2} + n^{n-3} + n^{n-4} + n^{n-5} + n^{n-6}$ &c. donec numerus ex n subtractus relinquat 1, quia initium fit a quantitatibus singulis semel positis.

Cum adeo numerus omnium variationum possibilium sit progressio geometrica, cujus terminus primus seu minimus n^1, maximus n^n, denominator n (§. 332 *Arithm.* & 314 *Analys.*); erit is $= (n^{n+1} - n) : (n - 1)$, (§. 122).

Sit e. gr. $n = 4$. erit numerus variationum possibilium $(4^5 - 4) : (4 - 1) = 1020 : 3 = 340$. Sit $n = 24$, erit numerus omnium variationum possibilium $(24^{25} - 24) : (24 - 1) = 32009658644406818986777955348250600 : 23 = 1391724288887252999425128493402200$. Tot ergo modis 24 literæ inter se componi possunt.

CAPUT II.

De Algebra ad Problemata Arithmetica indeterminata applicata.

PROBLEMA LXXXV.

223. *Invenire duos numeros, quorum summa una cum facto eorundem æquatur numero dato.*

Sit numerus datus $= a$, quæsitorum unus $= x$, alter $= y$: erit per conditionem problematis

$$xy + x + y = a$$
$$\underline{\qquad\qquad\qquad} \; y \text{ sub.}$$
$$xy + x = a - y$$
$$\underline{\qquad\qquad\qquad} \; y + 1 \text{ div.}$$
$$x = (a - y) : (y + 1)$$

Sit $a = 30$, $y = 2$: erit $x = (30 - 2) : (2 + 1) = 28 : 3 = 9\frac{1}{3}$. Sit $a = 20$, $y = 2$: erit $x = (20 - 2) : (2 + 1) = 18 : 3 = 6$. Sit $a = 19$, $y = 4$: erit $x = (19 - 4) : (4 + 1) = 15 : 5 = 3$.

Sit numerus datus $= a$, quæsitorum unus $= x + y$, alter $= x - y$ (§. 6), erit per conditionem problematis

$$x^2 - y^2 + 2x = a$$
$$\underline{\qquad\qquad\qquad} \; y^2 \text{ add.}$$
$$x^2 + 2x = y^2 + a$$
$$1 \qquad\quad 1 \quad (\S. 143)$$
$$\underline{\qquad\qquad\qquad}$$
$$x^2 + 2x + 1 = y^2 + a + 1$$
$$\underline{\qquad\qquad\qquad} \; \text{Ext. Rad.}$$
$$x + 1 = \sqrt{(y^2 + a + 1)}$$
$$\underline{\qquad\qquad\qquad} \; 1. \text{ sub.}$$
$$x = \sqrt{(y^2 + a + 1)} - 1$$

Unde apparet, ut ex $y^2 + a + 1$ radix extrahi possit, $a + 1$ esse debere differentiam duorum quadratorum, quorum unum est y^2.

E.gr.

E. gr. Sit $a = 19$, $y = \frac{1}{2}$; erit $x = \sqrt{(\frac{1}{4} + 19 + 1)} - 1 = \sqrt{\frac{81}{4}} - 1 = \frac{9}{2} - 1 = \frac{7}{2} = 3\frac{1}{2}$. Ergo $x + y = 3\frac{1}{2} + \frac{1}{2} = 4$ & $x - y = 3\frac{1}{2} - \frac{1}{2} = 3$. Sit $a = 20$, $y = 2$; erit $x = \sqrt{(4 + 20 + 1)} - 1 = \sqrt{25} - 1 = 5 - 1 = 4$. Ergo $x + y = 4 + 2 = 6$ & $x - y = 4 - 2 = 2$.

PROBLEMA LXXXVI.

224. *Invenire quatuor numeros ejus conditionis, ut summa primi & secundi æquetur tertio, differentia vero primi & secundi quarto.*

Sit numerus primus $= x$, secundus $= y$; tertius $= z$, quartus $= t$, erit per conditiones problematis

$$\begin{array}{ll} y + x = z & x - y = t \\ \hline \quad y \text{ sub} & \quad y \text{ sub} \\ x = z - y & x = t + y \end{array}$$

Quare (§. 87 *Arithm.*)

$$\begin{array}{l} t + y = z - y \\ \hline \quad y. \text{ add.} \\ t + 2y = z \\ \hline \quad t. \text{ sub.} \\ 2y = z - t \\ \hline \quad 2 \text{ div.} \\ y = (z - t) : 2 \end{array}$$

Ergo $x = (z - t) : 2 + t = (z + t) : 2$.

Unde apparet, si numeri integri desiderentur, pro z & t assumi debere vel numeros pares, vel impares: nequaquam alterum parem, alterum imparem (§. 72. 74).

Sit $z = 8$, $t = 2$: erit $y = (8 - 2) : 2 = 6 : 2 = 3$ & $x = (8 + 2) : 2 = 4 + 1 = 5$. Similiter sit $z = 5$, $t = 1$: erit $x = (5 + 1) : 2 = 3$ & $y = (5 - 1) : 2 = 2$.

PROBLEMA LXXXVII.

225. *Invenire duos numeros ejus conditionis, ut unusquisque cum partibus suis aliquotis efficiat unam summam.*

Sit unus $= mx$, alter $= ny$; erit per conditionem problematis

$$\begin{array}{l} 1 + m + mx + x = 1 + n + ny + y \\ \hline mx + x = 1 + n + (n + 1)y - (1 + m) \\ \hline x = (1 + n + (n + 1)y - 1 - m) : (m + 1) \end{array}$$

Apparet ergo, $1 + n$ denotare summam partium aliquotarum denominatoris multipli ipsius y, & $1 + m$ summam partium aliquotarum denominatoris multipli ipsius x: posse autem non modo y, sed & utrumque denominatorem pro arbitrio assumi, sed ut y sit numerus impar, isque primus.

Sit e. gr. $m = 1$, $n = 2$, $y = 3$. Erunt partes aliquotæ ipsius n, 1 & 2, ipsius m autem 1: consequenter $x = 2 + 1 + (2 + 1)y - 1 = 2 + 3y = 2 + 9 = 11$. Sit $m = 4$, $n = 8$, $y = 13$: erit $1 + n = 1 + 2 + 4 + 8 = 15$ & $1 + m = 1 + 2 + 4 = 7$, consequenter $x = (15 + 15y - 7) : 7 = (210 - 7) : 7 = 203 : 7 = 29$.

PROBLEMA LXXXVIII.

226. *Invenire duos numeros, quorum summa æquetur quadrato minoris.*

Sit numerus major $= x$, minor $= y$; erit per conditionem problematis.

$$\begin{array}{l} x + y = y^2 \\ \hline \quad y \text{ sub.} \\ x = y^2 - y = (y - 1)y \end{array}$$

Unde apparet, numerum majorem esse factum ex minore in eundem minorem unitate mulctatum.

Sit $y = 3$; erit $x = 2 \cdot 3 = 6$. Sit $y = 5$; erit $x = 4 \cdot 5 = 20$. Sit $y = 9$; erit $x = 8 \cdot 9 = 72$.

PROBLEMA LXXXIX.

227. *Invenire duos numeros ejus conditionis, ut summa quadratorum æquetur cubo minoris.*

Sit numerus major $= x$, minor $= y$: erit per conditionem problematis

$x^2 +$

$$x^2 + y^2 = y^3$$
$$\underline{\qquad\qquad - y^2 \text{ subt.}}$$
$$x^2 = y^3 - y^2 = y^2(y-1)$$
$$x = y\sqrt{(y-1)}$$

Apparet adeo, pro y assumendum esse numerum, qui unitate quadratum excedit, hoc est, quadratum quodlibet unitate auctum.

E. gr. Sit $y = 5$, erit $x = 5\sqrt{(5-1)} = 5\sqrt{4} = 5 \cdot 2 = 10$. Sit $y = 17$, erit $x = 17\sqrt{(17-1)} = 17\sqrt{16} = 17 \cdot 4 = 68$.

PROBLEMA XC.

228. *Invenire duos numeros ejus conditionis, ut factum æquale sit cubo, cujus radix facto ex numero primo in quadratum secundi æquatur.*

Sit numerus primus $= x$, secundus $= y$, radix cubica $= v$, erit per conditiones problematis

$$v = xy^2 \qquad xy = v^3$$
$$\underline{\qquad - y^2 \text{ div.}} \qquad \underline{\qquad - y \text{ div.}}$$
$$v : y^2 = x \qquad x = v^3 : y$$
$$v : y^2 = v^3 : y$$
$$\underline{\qquad\qquad - y^2 \text{ mult.}}$$
$$v = yv^3$$
$$\underline{\qquad\qquad - v \text{ div.}}$$
$$1 = yv^2$$
$$\underline{\qquad\qquad - v^2 \text{ div.}}$$
$$1 : v^2 = y$$

Ergo $x = v^3 : \frac{1}{v^2} = v^5$

Sit $v = 2$, erit $x = 32$, $y = \frac{1}{4}$. Sit $v = 3$, erit $x = 243$, $y = \frac{1}{9}$.

PROBLEMA XCI.

229. *Invenire duos numeros quorum quadrata differunt quadrato.*

Sit numerus unus $= x + y$, alter $= x - y$: erit per conditionem problematis.

$$x^2 + 2xy + y^2$$
$$\underline{x^2 - 2xy + y^2 \text{ subt.}}$$
$$4xy = v^2$$
$$\underline{\qquad\qquad - 4y \text{ div.}}$$
$$x = v^2 : 4y$$

Patet adeo, pro y assumendum esse numerum per cujus quadruplum dividi potest quadratum aliquod.

Sit e. gr. $v^2 = 16$, $y = 1$: erit $x = 16 : 4 = 4$. Ergo $x + y = 4 + 1 = 5$ & $x - y = 4 - 1 = 3$. Sit $v^2 = 36$, $y = 3$: erit $x = 36 : 12 = 3$. Ergo $x + y = 6$ & $x - y = 0$. Sit $v^2 = 36$, $y = 9$: erit $x = 36 : 36 = 1$. Ergo $x + y = 10$ & $x - y = 8$.

PROBLEMA XCII.

230. *Summam duorum quadratorum in duo alia quadrata dividere.*

Sit latus quadrati majoris $= a$, minoris $= b$. Sit porro latus quadrati unius ex quæsitis minus quam a, adeoque $a - z$; erit quadrati alterius latus majus quam b. Poterat itaque dici $y - b$. Enimvero ut in calculo irrationalitas evitetur, rectius id nuncupatur $yz - b$. Quare per conditionem problematis.

$$a^2 - 2az + z^2 + y^2z^2 - 2byz + b^2 = a^2 + b^2$$
$$\underline{\qquad\qquad\qquad - a^2 + b^2 \text{ sub.}}$$
$$z^2 + y^2z^2 - 2az - 2byz = 0$$
$$\underline{\qquad\qquad\qquad - z \text{ div.}}$$
$$z + y^2z - 2a - 2by = 0$$
$$\underline{\qquad\qquad\qquad - 2a + 2by \text{ add.}}$$
$$y^2z + z = 2a + 2by$$
$$\underline{\qquad\qquad\qquad - y^2 + 1 \text{ div.}}$$
$$z = (2a + 2by) : (y^2 + 1)$$

Sit e. gr. $a = 3$, $b = 2$, $y = 2$: erit $z = (6 + 8) : (4 + 1) = 14 : 5 = 2\frac{4}{5}$. Ergo $a - z = 3 - 2\frac{4}{5} = \frac{15}{5} - \frac{14}{5} = \frac{1}{5}$ & $yz - b = \frac{28}{5} - 2 = \frac{28}{5} - \frac{10}{5} = \frac{18}{5} = 3\frac{3}{5}$.

SCHOLION.

231. *Dum quadratorum quæsitorum latera assumuntur, valores eorum quantitates* a & b *in-*

ingredi debent, ut in utroque æquationis membro sit $a^2 + b^2$. *Porro vero in valore lateris alterius* y *multiplicari debet per* z, *ut sublato utrinque* $a^2 + b^2$ *residuum sit divisibile per* z. *Ita enim* z *reducitur ad unam dimensionem, sicque æquatio in terminis rationalibus est reducibilis.*

PROBLEMA XCIII.

232. *Invenire duos quadratos numeros, qui differunt numero dato.*

Sit latus quadrati minoris $= x$, majoris $= y + x$, differentia quadratorum $= d$: erit quadratum majus $= x^2 + 2xy + y^2$, minus $= x^2$, consequenter per conditionem problematis.

$$2xy + y^2 = d \qquad y^2 \text{ sub.}$$
$$2xy = d - y^2 \qquad 2y \text{ div.}$$
$$x = (d - y^2) : 2y$$

Unde apparet, pro y assumi debere numerum, qui sit minor quam $\sqrt{d}$.

Sit e. gr. $d = 10$, $y = 3$: erit $x = (10 - 9) : 6 = \frac{1}{6}$ & $x + y = 3 + \frac{1}{6} = \frac{19}{6}$. Sit $d = 11$, $y = 1$: erit $x = (11 - 1) : 2 = 10 : 2 = 5$ & $x + y = 5 + 1 = 6$. Sit $d = 48$, $y = 4$: erit $x = (48 - 16) : 8 = 6 - 2 = 4$ & $x + y = 4 + 4 = 8$.

PROBLEMA XCIV.

233. *Numerum datum dividere, in duos alios, quorum factum est numerus quadratus.*

Sit numerus datus $= 2a$, differentia $= 2y$: erit major $a + y$, minor $a - y$ (§. 5), factum $= aa - yy$. Ut calculus ab irrationalitate liberetur, pro latere quadrati assumendus est valor, quem ingreditur y & qui diversis gaudet signis. Sit ergo $= xy - a$: erit per conditionem problematis.

$$aa - y^2 = aa - 2axy + x^2y^2 \qquad a^2 \text{ sub.}$$
$$-y^2 = -2axy + x^2y^2 \qquad y \text{ div.}$$
$$-y = -2ax + x^2y \qquad y + 2ax \text{ add.}$$
$$2ax = x^2y + y \qquad x^2 + 1 \text{ div.}$$
$$2ax : (x^2 + 1) = y$$

Sit e. gr. $2a = 10$, $x = 2$: erit $y = 20 : (4 + 1) = 20 : 5 = 4$ Ergo $a + y = 5 + 4 = 9$; $a - y = 5 - 4 = 1$. Sit $2a = 10$, $x = 3$: erit $y = 30 : (9 + 1) = 30 : 10 = 3$.

PROBLEMA XCV.

234. *Datum numerum dividere in duos numeros, quorum differentia est numerus quadratus.*

Sit numerus datus $= a$, quæsitorum major $= x$, minor $= y$: erit per conditiones problematis.

$$x + y = a \qquad y \text{ sub.} \qquad\qquad x - y = v^2 \qquad y \text{ add.}$$
$$x = a - y \qquad\qquad x = v^2 + y$$
$$a - y = v^2 + y \qquad y \text{ add.}$$
$$a = v^2 + 2y \qquad v^2 \text{ subt.}$$
$$a - v^2 = 2y \qquad 2. \text{ div.}$$
$$(a - v^2) : 2 = y$$

Pro v^2 itaque assumendus est numerus quadratus, qui ex numero dato a subductus parem relinquit.

Sit e. gr. $a = 40$. $v^2 = 16$: erit $y = (40 - 16) : 2 = 24 : 2 = 12$. Ergo $x = 40 - 12 = 28$. Sit $a = 40$, $v^2 = 4$: erit $y = (40 - 4) : 2 = 36 : 2 = 18$. Ergo $x = 40 - 18 = 12$. Sit $a = 35$, $v^2 = 9$: erit $y = (35 - 9) : 2 = 26 : 2 = 13$ & $x = 35 - 13 = 22$.

PROBLEMA CXVI.

235. *Invenire duos numeros ejus conditionis, ut unus additus quadrato alterius efficiat numerum quadratum, cujus radix æquatur summæ numerorum.*

Sit numerus unus $= x$, alter $= y$: erit per conditionem problematis.

$$x^2 + y = x^2 + 2xy + y^2 \qquad x^2 \text{ sub.}$$
$$y = 2xy + y^2 \qquad y \text{ div.}$$
$$1 = 2x + y \qquad y \text{ subt.}$$
$$1 - y = 2x \qquad 2. \text{ div.}$$
$$(1 - y) : 2 = x$$

Numeri adeo quæſiti unitate minores, conſequenter fracti eſſe debent, & y numerus quilibet fractus eſſe poteſt.

Sit $y = \frac{1}{2}$; erit $x = (1 - \frac{1}{2}) : 2 = \frac{1}{2} : 2 = \frac{1}{4}$. Sit $y = \frac{1}{3}$; erit $x = (1 - \frac{1}{3}) : 2 = \frac{2}{3} : 2 = \frac{1}{3}$. Sit $y = \frac{1}{4}$; erit $x = (1 - \frac{1}{4}) : 2 = \frac{3}{4} : 2 = \frac{3}{8}$.

PROBLEMA XCVII.

236. *Invenire duos numeros ejus conditionis, ut differentia ipſorum habeat ad differentiam quadratorum rationem datam.*

Sit numerus major $= x$, minor $= y$, ratio data $= a : b$; erit per conditionem problematis

$$x - y : x^2 - y^2 = a : b$$

h. e. $1 : x + y = a : b$ (§. 124).

$$ax + ay = b \qquad \text{---------- } a \text{ div.}$$

$$x + y = b : a \qquad \text{---------- } y \text{ ſub.}$$

$$x = b : a - y$$

Sit $b : a = 9$, $y = 4$; erit $x = 5$. Vel ſit $y = 3$; erit $x = 6$.

PROBLEMA XCVIII.

237. *Invenire numerum, qui, ſi multiplicetur per duos numeros datos, quadrata duo producat.*

Sit numerus datus unus $= a$, alter $= b$, quæſitus $= x$, erit per conditiones problematis.

$$ax = y^2 \qquad\qquad bx = v^2$$

$$\text{---------- } a \text{ div.} \qquad \text{---------- } b \text{ div.}$$

$$x = y^2 : a \qquad\qquad x = v^2 : b$$

$$y^2 : a = v^2 : b \qquad \text{---------- } a \text{ mult.}$$

$$y^2 = av^2 : b \qquad \text{---------- ext. Rad.}$$

$$y = v\sqrt{(a : b)}$$

Quodſi ergo numerus rationalis deſideretur, $a : b$ quadratum eſſe debet.

Sit $a = 32$, $b = 8$; erit $\sqrt{(a : b)} = 2$. Sit porro $v = 5$, erit $y = 10$, conſequenter $x = \frac{25}{8}$

PROBLEMA XCIX.

238. *Invenire duos numeros ejus conditionis, ut, ſi unus quadrato alterius addatur, ſumma ſit latus quadrati aggregato numerorum æquale.*

Sit numerus unus $= x$, alter $= y$; erit

$$x^2 + y = \sqrt{(x + y)} \qquad \text{---------- Quad.}$$

$$x^4 + 2yx^2 + y^2 = x + y \qquad \text{---------- } x^4 + y \text{ ſubt.}$$

$$2x^2y - y + y^2 = x - x^4$$

h. e. $yy + (2x^2 - 1)y = x - x^4$

$$(x^2 - \tfrac{1}{2})^2 \qquad x^4 - x^2 + \tfrac{1}{4} \text{ ad.}$$

$$y^2 + (2x^2 - 1)y + (x^2 - \tfrac{1}{2})^2 = x - x^2 + \tfrac{1}{4} \qquad \text{---------- ext. Rad.}$$

$$y + x^2 - \tfrac{1}{2} = \sqrt{(x + \tfrac{1}{4} - x^2)} \qquad \text{---------- } x^2 - \tfrac{1}{2} \text{ ſubt.}$$

$$y = \sqrt{(x + \tfrac{1}{4} - x^2)} + \tfrac{1}{2} - x^2$$

Quodſi numerus rationalis deſideratur; $\frac{1}{4} + x - x^2$ numerus quadratus eſſe debet. Sit itaque hujus latus ob rationes in ſchol. probl. 92 (§. 231) allatas $= zx - \frac{1}{2}$; erit

$$z^2x^2 - zx + \tfrac{1}{4} = \tfrac{1}{4} + x - x^2 \qquad \text{---------- } \tfrac{1}{4} \text{ ſub.}$$

$$z^2x^2 - zx = x - x^2 \qquad \text{---------- } x \text{ div.}$$

$$z^2x - z = 1 - x \qquad \text{---------- } x + z \text{ add.}$$

$$z^2x + x = 1 + z \qquad \text{---------- } z^2 + 1 \text{ div.}$$

$$x = (1 + z) : (z^2 + 1)$$

Sit $z = 2$, erit $x = (1 + 2) : (4 + 1) = \frac{3}{5}$, conſequenter $y = \frac{1}{2} - \frac{9}{25} + \sqrt{(\frac{3}{5} + \frac{1}{4} - \frac{9}{25})} = \frac{25 - 18}{50} + \sqrt{\frac{(60 + 25 - 36)}{100}} = \frac{7}{50} + \sqrt{(49 : 100)} = \frac{7}{50} + \frac{7}{10} = \frac{7 + 35}{50} = \frac{42}{50} = \frac{21}{25}$.

PRO-

PROBLEMA C.

239. *Invenire duos numeros quadratos ejus conditionis, ut, si unus addatur facto eorundem, aggregatum utrumque sit numerus quadratus.*

Sit numerus quadratus unus $=x^2$, alter $=y^2$, erit factum $=x^2y^2$. Quare $x^2y^2+x^2$ & $x^2y^2+y^2$ sunt numeri quadrati; consequenter & y^2+1 & x^2+1 sunt numeri quadrati: numerus enim quadratus efficit quadratum, si in quadratum ducitur. Sit latus quadrati primi $z-y$; secundi $t-x$: erit

$$y^2+1=z^2-2zy+y^2$$
$$\overline{\qquad\qquad\qquad\qquad} \; y^2 \text{ subt.}$$
$$1=z^2-2zy$$
$$\overline{\qquad\qquad\qquad\qquad} \; 2zy-1 \text{ add.}$$
$$2zy=z^2-1$$
$$\overline{\qquad\qquad\qquad\qquad} \; 2z \text{ div.}$$
$$y=(z^2-1):2z$$

$$x^2+1=t^2-2tx+x^2$$
$$\overline{\qquad\qquad\qquad\qquad} \; x^2 \text{ subt.}$$
$$1=t^2-2tx$$
$$\overline{\qquad\qquad\qquad\qquad} \; 2tx-1 \text{ add.}$$
$$2tx=t^2-1$$
$$\overline{\qquad\qquad\qquad\qquad} \; 2t \text{ div.}$$
$$x=(t^2-1):2t,$$

Sit $z=2$, $t=3$; erit $y=(4-1):4=\frac{3}{4}$ & $x=(9-1):6=\frac{8}{6}=\frac{4}{3}$. Sit $z=3$, $t=4$; erit $y=(9-1):6=\frac{8}{6}=\frac{4}{3}$ & $x=(16-1):8=\frac{15}{8}$.

PROBLEMA CI.

240. *Invenire duos numeros quadratos ejus conditionis, ut summa addita facto efficiat quadratum.*

Sit quadratus numerus unus $=x^2$, alter $=y^2$: erit $x^2y^2+x^2+y^2$ numerus quadratus. Quoniam vero $x^2y^2+x^2=x^2(y^2+1)$: fiat primum y^2+1 æquale quadrato, cujus latus $t-y$, ut ablato ex utroque æquationis membro y^2 perveniatur ad unam ipsius y dimensionem, cum valor rationalis desideretur, nempe

$$t^2-2ty+y^2=y^2+1$$
$$\overline{\qquad\qquad\qquad\qquad} \; y^2 \text{ sub.}$$
$$t^2-2ty=1$$
$$\overline{\qquad\qquad\qquad\qquad} \; 2ty-1 \text{ add.}$$
$$t^2-1=2ty$$
$$\overline{\qquad\qquad\qquad\qquad} \; 2t. \text{ div.}$$
$$(t^2-1):2t=y$$

Ponatur porro $\sqrt{(y^2+1)}=t-y=t-(t^2-1):2t=(t^2+1):2t=v$; erit $x^2y^2+x^2+y^2=v^2x^2+y^2$. Atque adeo problema præsens reductum est ad casum similem præcedentis. Sit ergo quadrati, cui $v^2x^2+y^2$ æquale esse debet, latus $=z-vx$, erit

$$v^2x^2+y^2=z^2-2zvx+v^2x^2$$
$$\overline{\qquad\qquad\qquad\qquad} \; v^2x^2 \text{ d.}$$
$$y^2=z^2-2zvx$$
$$\overline{\qquad\qquad\qquad\qquad} \; 2zvx-y^2 \text{ add.}$$
$$2zvx=z^2-y^2$$
$$\overline{\qquad\qquad\qquad\qquad} \; 2zv \text{ div.}$$
$$x=(z^2-y^2):2zv$$

Hic valores z & t pro lubitu determinari possunt.

Sit e. gr. $z=2$, $t=3$; erit $y=(9-1):6=8:6=\frac{4}{3}$ & hinc $v=t-y=3-\frac{4}{3}=\frac{9-4}{3}=\frac{5}{3}$, consequenter $x=(4-\frac{16}{6}):\frac{4.5}{3}=\frac{(36-26)}{9}:\frac{20}{3}=\frac{20}{9}:\frac{20}{3}=\frac{3}{9}=\frac{1}{3}$.

PROBLEMA CI.

241. *Invenire duos numeros ejus conditionis, ut, si factum addatur aggregato quadratorum, numerus quadratus prodeat.*

Sit summa numerorum quæsitorum $=2x$, differentia $=2y$, erit major $x+y$, minor $x-y$ (§. 5). Sit latus quadrati ipsi $3x^2+y^2$ æqualis $=t+y$: erit per

per conditionem problematis.

$$x^2 + 2xy + y^2$$
$$x^2 - 2xy + y^2$$
$$x^2 \quad - y^2$$
$$\overline{3x^2 + y^2 = t^2 + 2ty + y^2}$$
$$\text{——————— } y^2 \text{ ſub.}$$
$$3x^2 = t^2 + 2ty$$
$$\text{——————— } t^2 \text{ ſub.}$$
$$3x^2 - t^3 = 2ty$$
$$\text{——————— } 2t \text{ div.}$$
$$(3x^2 - t^2) : 2t = y$$

Sit $x = 4$, $t = 6$, erit $y = (48 - 36) : 12 = 12 : 12 = 1$, conſequenter $x + y = 4 + 1 = 5$, $x - y = 4 - 1 = 3$.

PROBLEMA CIII.

242. *Invenire duos numeros quadratos, quorum ſumma eſt numerus quadratus.*

Sint numeri quadrati quæſiti x^2 & y^2; latus quadrati, cui iſti junctim ſumti æquantur $vx - y$: erit

$$x + y^2 = v^2 x^2 - 2vxy + y^2$$
$$\text{——————— } y^2 \text{ ſub.}$$
$$x^2 = v^2 x^2 - 2vxy$$
$$\text{——————— } x \text{ div.}$$
$$x = v^2 x - 2vy$$
$$\text{——————— } 2vy - x \text{ add.}$$
$$2vy = v^2 x - x$$
$$\text{——————— } v^2 - 1 \text{ div.}$$
$$2vy : (v^2 - 1) = x$$

Sit $v = 2$, $y = 3$; erit $x = 12 : (4 - 1) = 12 : 3 = 4$.

PROBLEMA CIV.

243. *Invenire duos numeros ejus conditionis, ut, ſi unus ducatur in cubum alterius, productum ſit numerus quadratus.*

Sint duo numeri x & y: erit per conditionem problematis xy^3, conſequenter etiam xy numerus quadratus. Habemus ergo

$$xy = z^2$$
$$\text{——————— } y \text{ div.}$$
$$x = z^2 : y$$

Pro z itaque aſſumendum eſt quadratum per y diviſibile, ſi numeri integri deſiderentur.

Sit e. gr. $z = 6$, $y = 3$: erit $x = 36 : 3 = 12$.

PROBLEMA CV.

244. *Invenire duos numeros ejus conditionis, ut, ſi factum quadratorum addatur facto ex cubo unius in alterum, ſumma ſit numerus quadratus.*

Sit numerus unus $= x$, alter $= y$, erit $xy^3 + x^2 y^2$, conſequenter & $xy + x^2$ numerus quadratus. Ponatur latus hujus quadrati $= yv - x$: erit

$$xy + x^2 = y^2 v^2 - 2xyv + x^2$$
$$\text{——————— } x^2 \text{ ſub.}$$
$$xy = y^2 v^2 - 2xyv$$
$$\text{——————— } y \text{ div.}$$
$$x = yv^2 - 2xv$$
$$\text{——————— } 2xv \text{ add.}$$
$$2xv + x = yv^2$$
$$\text{——————— } 2v + 1 \text{ div.}$$
$$x = yv^2 : (2v + 1)$$

Sit e. gr. $y = 6$, $v = 1$: erit $x = 6 : 3 = 2$. Sit $y = 15$, $v = 2$: erit $x = 15 . 4 : (4 + 1) = 15 . 4 : 5 = 3 . 4 = 12$.

PROBLEMA CVI.

245. *Invenire duos numeros, quorum unus ſubductus ex facto eorundem relinquat cubum.*

Sit numerus unus x, alter y: erit per conditionem problematis

$$xy - y = v^3$$
$$\text{——————— } x - 1 \text{ div.}$$
$$y = v^3 : (x - 1)$$

Aſſumendus ergo eſt cubus, qui ſit per $x - 1$ diviſibilis.

E. gr. Sit $x = 6$, $v = 10$; erit $y = 1000 : 5 = 200$. Sit $x = 3$, $v = 6$; erit $y = 216 : 2 = 108$.

PROBLEMA CVII.

246. *Invenire duos numeros, quorum unus in quadratum alterius ductus cubum efficit.*

Sit numerus unus y, alter x; erit per conditionem problematis

$$yx^2 = z^3 x^3 : v^3$$
$$\text{——————— } x^2 \text{ div.}$$
$$y = z^3 x : v^3$$
$$\text{——————— } v^3 \text{ mult.}$$
$$yv^3 = z^3 x$$
$$\text{——————— } z^3 \text{ div.}$$
$$yv^3 z^3 = x$$

Si

Si adeo numeri integri desiderantur, assumendus est valor ipsius y per cubum aliquem z^3 divisibilis, seu cubi multiplus.

Sit e. gr. $y = 16$, $v = 3$, $z = 2$; erit $x = 16 . 27 : 8 = 2 . 27 = 54$.

PROBLEMA CVIII.

247. *Numerum datum in duas partes dividere, ita ut earundem factum aequale sit cubo radice sua mulctato.*

Sit numerus datus $= a$, pars una $= x$ erit altera $= a - x$. Sit latus cubi cui factum partium $ax - x^2$ aequatur, $yx - 1$: erit cubus $= y^3x^3 - 3y^2x^2 + 3yx - 1$, unde si subtrahatur $yx - 1$, relinquitur

$$\frac{y^3x^3 - 3y^2x^2 + 2yx = ax - x^2}{y^3x^2 - 3y^2x + 2y = a - x}\ x \text{ div.}$$

$$\frac{y^3x^2 - 3y^2x + 2y = a - x}{y^2x^2 - 3y^2x + x = a - 2y}\ x - 2y \text{ add.}$$

Facile jam apparet, si valor ipsius x rationalis desideretur, fieri debere $2y = a$: quo facto erit

$$\frac{\frac{ax^3}{8} - \frac{3a^2x}{4} + x = 0}{a^3x^2 - 6a^2x + 8x = 0}\ 8 \text{ mult.}$$

$$\frac{a^3x^2 - 6a^2x + 8x = 0}{a^3x - 6a^2 + 8 = 0}\ x \text{ div.}$$

$$\frac{a^3x - 6a^2 + 8 = 0}{a^3x = 6a^2 - 8}\ 6a^2 - 8 \text{ add.}$$

$$\frac{a^3x = 6a^2 - 8}{x = (6a^2 - 8) : a^3}\ a \text{ div.}$$

Apparet adeo, si numeri rationales desiderentur, problema ex indeterminato fieri determinatum.

Sit $a = 6$, erit $x = (216 - 8) : 216 = 208 : 216 = \frac{26}{27}$ & $a - x = 6 - \frac{26}{27} = \frac{162 - 26}{27} = \frac{136}{27}$.

PROBLEMA CIX.

248. *Invenire numerum perfectum, hoc est omnibus suis partibus aliquotis aequalem.*

Sit numerus quaesitus $y^n x$, ut nempe in partes aliquotas seu factores resolvi possit: erunt partes aliquotae $1 + y + y^2 + y^3$ &c. donec exponens evadat $= n$, & $x + yx + y^2x + y^3x$ &c. donec exponens fiat $= n - 1$. Quamobrem ex natura numeri perfecti

$$\frac{1 + y + y^2 + y^3 \text{ \&c} + x + yx + y^2x + y^3x \text{ \&c.} = y^n x}{1 + y + y^2 + y^3 \text{ \&c.} = y^n x - x - yx - y^2x - y^3x \text{ \&c.}}$$

$$\frac{1 + y + y^2 + y^3 \text{ \&c.}}{y^n - 1 - y - y^2 - y^3 \text{ \&c.}} = x$$

Jam ut x sit numerus integer, nec in casu speciali, si y per numerum explicetur, numerus partium aliquotarum diversus sit a numero earundem in formula generali; necesse est ut $y^n - 1 - y - y^2 - y^3$ &c. $= 1$: quod cum non alio in casu contingat, nisi cum $y = 2$ (§. 121); erit $x = 1 + 2 + 2^2 + 2^3$ &c. $= 1 + 2 + 4 + 8$ &c. & numerus perfectus $2^n x$. Quoniam vero x est numerus primus, necesse est ut $1 + 2 + 2^2 + 2^3$ &c. in omni casu sit numerus primus, consequenter series terminetur prope terminum, qui unitate mulctatus est numerus primus (§. *cit.*) & n notat numerum terminorum, qui istiusmodi terminum praecedunt. Quare problema, quod speciem indeterminati mentiebatur, determinatum est.

Patet autem simul

Theorema 1. Si numerorum series in ratione dupla ab unitate continue proportionalium continuetur, donec eorum summa ſit numerus primus; ſumma in maximum multiplicata faciet numerum perfectum.

Theorema 2. Si in numerorum ſerie in ratione dupla ab unitate continue proportionalium occurrat terminus, qui unitate mulctatus eſt numerus primus; numerus iſte primus in proxime præcedentem ductus efficit numerum perfectum.

In ſerie numerorum ab unitate in ratione dupla continue proportionalium

1. 2. 4. 8. 16. 32. 64. 128. 256. 512. 1024. 2048. 4096.

$4 - 1 = 3$, $8 - 1 = 7$, $32 - 1 = 31$, $128 - 1 = 127$, $512 - 1 = 511$, $2048 - 1 = 2047$ &c. ſunt numeri primi. Ergo $2 . 3 = 6$, $4 . 7 = 28$, $31 . 16 = 496$, $127 . 64 = 8128$, $511 . 256 = 130816$, $2047 . 1024 = 2096128$ &c. &c. ſunt numeri perfecti.

SCHOLION.

249. *Problemata indeterminata, qualia plurima ſolvit* Diophantus, *difficiliora ſunt determinatis, niſi ſimplicia fuerint. Unde tyrones ſub initium ea prætermittere poſſunt, quæ difficultatem creant, ad ſequentia pedem promoventes. Non tamen prorſus negligenda ſunt, cum maximus eorum ſæpe ſit uſus in problematibus Geometriæ ſublimioris ſolvendis. Ceterum ars reſolvendi problemata indeterminata numerica* Analyſis Diophantea *apppellari ſolet.*

CAPUT III.

De Algebra ad Geometriam Elementarem applicata.

PROBLEMA CX.

250. *PRoblema Geometricum Algebraice reſolvere:*

RESOLUTIO.

1. Obſerventur ea omnia, quæ in probl. 36. (§. 141) fieri præcepimus.
2. Cum vero rariſſime ad æquationem eodem modo in problematis geometricis perveniatur, quo in numericis uſi ſumus; hic ulterius quædam peculiaria notanda ſunt. Nempe

α) Concipiatur jam factum, quod ad faciendum proponitur.

β) Omnium linearum in ſchemate depictarum relationes, nullo habito diſcrimine inter cognitas & incognitas, excutiantur; ut appareat, quomodo aliæ ab aliis dependeant, ſeu quibus datis, aliæ una dentur, ſive per triangula ſimilia (§. 175 *Geom.*), ſive per rectangula (§. 417 *Geom.*), ſive per alia (quod tamen raro fieri ſolet) theoremata.

γ) Ut igitur triangula ſimilia & rectangula obtineas, ſæpius producendæ ſunt lineæ, donec vel directe datis fiant æquales, vel alias ſecent, ſæpius lineæ parallelæ atque perpendiculares ducendæ, ſæpius puncta quædam connectenda, ſæpius anguli

anguli datis æquales construendi: quæ fieri posse, ex Geometria elementari manifestum est. Eum in finem probe tenenda sunt theoremata de æqualitate angulorum & similitudine triangulorum (§. 156. 183. 201. 207. 233. 267. 268. 269. 329 *Geom.*).

§) Quodsi in æquationem non satis concinnam incideris; alio adhuc modo excutiendæ sunt linearum relationes, ac interdum sufficit, non directe quærere eam, quæ quæritur, sed aliam, qua data ipsa quoque innotescit.

3. Reductione æquationis facta ex ultima, quæ prodit, elicienda est constructio geometrica variis quidem modis pro diversitate æquationum.

S C H O L I O N.

251. *Quoniam nunc tantum simplicissimos regulæ Algebræ casus exemplis geometricis illustramus; suffecerit nobis ostendisse, quomodo æquationes simplices & quadraticæ construantur.*

P R O B L E M A CXI.

252. *Æquationem simplicem construere.*

R E S O L U T I O.

Omne artificium in eo consistit, ut fractiones, quibus quantitas incognita æqualis, in terminos proportionales resolvantur: id quod exemplis rectius ostenditur, quam multis regulis docetur.

1. Sit nempe $x = \frac{ab}{c}$; erit $c : a = b : x$ (§. 302 *Arithm.*). Reperietur adeo x (§. 271 *Geom.*)

2. Sit $x = \frac{abc}{ae}$, fiat $d : a = b : \frac{ab}{d}$. Hæc quarta proportionalis inventa (§. 271 *Geom.*) dicatur g; erit $x = \frac{gc}{e}$: quæ adeo ut in casu primo invenitur.

3. Sit $x = \frac{aa - bb}{c}$. Quoniam $aa - bb = (a + b)(a - b)$, (§. 86); erit $c : a + b = a - b : x$ (§. 302 *Arithm.*).

4. Sit $x = \frac{a^2b - bcc}{ad}$. Invenitur *per casum* 1. $g = \frac{ab}{d} = \frac{a^2b}{ad}$ & $h = \frac{bc}{d}$, ut sit $\frac{bcc}{ad} = \frac{hc}{a}$; denique *per casum* 1. $i = \frac{hc}{a}$: erit $x = g - i$, differentia nempe linearum g & i.

5. Sit $x = \frac{ab}{c} + \frac{adc}{be}$. Inveniatur ut in casu præcedente $g = \frac{ab}{c}$ & $f = \frac{adc}{be}$: erit $x = g + f$, summa linearum g & f.

6. Sit $x = \frac{a^2b + bad}{af + cg} = \frac{ab + bd}{f + cg : a} = \frac{(a + d)b}{f + cg : a}$ Quæratur $\frac{cg}{a}$ & fiat $f + \frac{cg}{a} = h$; erit $f + h : a + d = b : x$, consequenter $x = \frac{(a + d)b}{f + h}$. Reductus adeo est casus præsens ad primum.

7. Sit $x = \frac{a^2b - bad}{af + bc}$. Quæratur $\frac{af}{b}$ & fiat $\frac{af}{b} = h$, erit $x = \frac{a(a - d)}{h + c}$, consequenter $h + c : a - d = a : x$.

8. Sit $x = (a^2 + b^2) : c$ Construatur triangu- Tab. I.
lum ABC, cujus crus AB $= a$, BC $= b$, Fig. 3.
(§. 180 *Geom.*); erit AC $= \sqrt{(a^2 + b^2)}$, (§. 417 *Geom.*). Dicatur AC $= m$, erit $a^2 + b^2 = m^2$, adeoque $x = \frac{m^2}{c}$ consequenter $c : m = m : x$.

9. Sit $x = \frac{a^2 - b^2}{c}$. Super AB $= a$ describa- Fig. 4.
tur semicirculus & in eo applicetur AC $= b$. Tab. I.
Cum triangulum ACB sit rectangulum (§. 317 *Geom.*); erit CB $= \sqrt{(a^2 - b^2)}$, (§. 417 *Geom.*). Dicatur CB $= m$; erit $x = m^2 : c$, consequenter $c : m = m ; x$

Tab. I. Fig. 5. 10. Sit $x = \frac{a^2 b + bcd}{af + bc} = \frac{a^2 + cd}{c + af : b}$ Inferatur $b : a = f : \frac{fa}{b}$ & fiat $\frac{fa}{b} = h$: erit $x = \frac{a^2 + cd}{h + c}$. Quæratur inter AC $= c$ & CB $= d$ media proportionalis CD $= \sqrt{cd}$, (§. 327 *Geom.*). Fiat CE $= a$; erit DE $= \sqrt{(a^2 + cd)}$. Dicatur hæc m: erit $x = \frac{m^2}{h+c}$, consequenter $h + c : m = m : x$.

PROBLEMA CXII.

253. *Æquationem quadraticam geometrice construere.*

RESOLUTIO.

Cum æquationes quadraticæ ad simplices reduci possint (§. 143); ipsas quoque *per probl.* præced. (§. 253) construere licet.

Tab. I. Fig. 5. Sit enim æquatio pura $x^2 = ab$; erit $a : x = x : b$, (§. 299 *Arithm.*). Invenitur adeo $x = \sqrt{ab}$, si inter AC $= a$ & CB $= b$ quæratur media proportionalis DC (§. 327 *Geom.*). Si æquatio affecta $x^2 . ax = . b^2$; erit $x = . \frac{1}{2} a$ $\sqrt{(\frac{1}{4} a^2 . b^2)}$, hoc est, vel $x = \frac{1}{2} a + \sqrt{(\frac{1}{4} a^2 + b^2)}$, vel $x = \sqrt{(\frac{1}{4} a^2 + b^2)} - \frac{1}{2} a$, vel $x = \frac{1}{2} a + \sqrt{(\frac{1}{4} a^2 - b_2)}$, vel $x = \frac{1}{2} a - \sqrt{(\frac{1}{4} a^2 - b^2)}$. Omne igitur artificium construendi has æquationes huc redit, ut inveniatur valor ipsius $\sqrt{(\frac{1}{4} a^2 + b^2)}$, itemque ipsius $\sqrt{(\frac{1}{4} a^2 - b^2)}$.

Tab. I. Fig. 3. Utrumque vero jam docuimus in problemate præcedente. Nimirum si in triangulo rectangulo fiat AB $= \frac{1}{2} a$ & BC $= b$; erit AC $= \sqrt{(\frac{1}{4} a^2 + b^2)}$ (§. 417 *Geom.*). Sed

Fig. 4. si super AB $= \frac{1}{2} a$, describatur semicirculus & in eo applicetur AC $= b$; erit CB $= \sqrt{(\frac{1}{4} a^2 - b^2)}$ ut in problemate præcedente demonstratum.

SCHOLION.

254. *Quamvis omnes æquationes simplices & quadraticæ eum in modum construi possint, quo eas construere docuimus: minime tamen consultum est, ut iis stricte inhæreamus. Hac enim ratione in constructiones parum commodas sæpe incideremus, cum singulares problematis specialis circumstantiæ multo concinniorem meditanti insinuent. Immo in genere notandum est, ex calculo analytico difficillime erui constructiones concinnas, cum tamen in iis unice ingenium spectetur, solutione arithmetica ad praxin sufficiente. Ratio hæc est, quod in algebraica solutione problema tanquam unicum in rerum possibilium regione consideretur, independens ab omnibus reliquis cum tamen ex veterum methodo appareat & ipsa ratio suadeat, solutionem unius a solutione alterius pendere.*

PROBLEMA CXIII.

255. *Data perimetro* AB + BC + CA *& area trianguli rectanguli, invenire hypothenusam.* Tab. I. Fig. 3.

Sit AB + BC + CA $= a$ AC $= x$

area $= b^2$ erit BC + BA $= a - x$

Jam cum sit AC^2 = AB^2 + BC^2 (§. 417 *Geom.*) & AB^2 + BC^2 = (AB + BC)^2 — 2AB.BC (§. 261 *Arithm.*): erit AC^2 = (AB + BC)^2 — 2AB.BC (§. 91 *Arithm.*). Est vero AC$^2 = x^2$ & (AB + BC)$^2 = a^2 - 2ax + x^2$, 2AB. BC $= 4b^2$ (§. 392 *Geom.*). Quare

$$x^2 = a^2 - 2ax + x^2 - 4b^2$$

$$2ax = a^2 - 4b^2$$

$$x = \tfrac{1}{2} a - 2b^2 : a$$

Quodsi triangulum construi debet, dicatur altitudo BD, hoc est perpendiculum in hypothenusam AC demissum (§. 227 *Geom.*), y; erit (§. 392 *Geom.*).

$$\tfrac{1}{2} xy = b^2$$

$$y = b^2 : \tfrac{1}{2} x$$

Tab. XII. Fig. 113. *Constructio.* Erigatur ad BD $= a$ perpendicularis AB $= 2b$, fiatque BG $= b$ & quæratur

ratur (*§.* 271 *Geom.*) quarta proportionalis BH $= 2b^2 : a$. Fiat CB $= \frac{1}{2}a$ & CI $=$ BH, erit BI $= \frac{1}{2}a - 2b^2 : a = x$. Dividatur BI bifariam in O, quæraturque ad BO $= \frac{1}{2}x$, & BE $=$ BG $= b$ tertia proportionalis BK, quæ erit altitudo trianguli quæſita $= b^2 : \frac{1}{2}x$. Quare ſi ſuper BI deſcribatur ſemicirculus & ex K agatur eidem parallela KL ſecans ſemicirculum in L; ductis rectis BL & LI erit BLI triangulum quæſitum.

Æquatio ſecunda in hanc reſolvitur analogiam:

$$2a : a + 2b = a - 2b : x$$

ſeu $a : \frac{1}{2}a + b = \frac{1}{2}a - b : x$ (*§.* 185 *Arithm.*). Habetur adeo

Theorema. In omni triangulo rectangulo eſt ut perimeter ad compoſitam ex dimidia perimetro & quadrati latere, quod triangulo æquale, ita differentia hujus lateris a perimetro dimidia ad hypothenuſam.

SCHOLION.

256. *Cum areas figurarum in Geometria metiamur inveſtigando earum rationem ad quadratum aliquod datum* (*§.* 118. Geom.); *ideo quoque tum in Geometria, tum in Algebra dantur per latus quadrati ipſis æquale.*

PROBLEMA CXIV.

Tab. I. *Fig.* 3. 257. *Data area trianguli rectanguli, cujus latera* AC, AB *&* BC *in proportione continua; invenire latera.*

Sit area $= a^2$ | BC $= x$
AB $= y$
erit AC $= y^2 : x$

Ergo

(§.417 *Geom.*) | (§.392 *Geom.*)

$$y^4 : x^2 = x^2 + y^2 \quad \text{[multiplicando per } x^2\text{]} \qquad \tfrac{1}{2}xy = a^2$$

$$y^4 = x^4 + x^2y^2 \qquad\qquad xy = 2a^2$$

$$y^4 = \frac{16a^8}{y^4} + 4a^4 \qquad\qquad x = 2a^2 : y$$

$$y^8 = 16a^8 + 4a^4y^4 \qquad\qquad x^2 = 4a^4 : y^2$$

$$x^4 = 16a^8 : y^4$$

$$x^2y^2 = 4a^4$$

$$y^8 - 4a^4y^4 = 16a^8$$
$$+ 4a^8 + 4a^8$$

$$y^8 - 4a^4y^4 + 4a^8 = 20a^8$$

$$\left.\begin{matrix} y^4 - 2a^4 \\ 2a^4 - y^4 \end{matrix}\right\} = 2a^4\sqrt{5}$$

$$y^4 = 2a^4 + 2a^4\sqrt{5} = a^4(2 + 2\sqrt{5})$$

$$y = a\sqrt[4]{(2 + 2\sqrt{5})}$$

Nempe quia $2a^4 < 2a^4\sqrt{5}$, radix $2a^4 - y^4$ eſt falſa.

Similiter reperitur valor ipſius x. Eſt enim, vi æquationis $xy = 2a^2$, $y = 2a^2 : x$, adeoque $y^4 = 16a^8 : x^4$ & hinc ob $y^4 = x^2y^2 + x^4$ porro

$$16a^8 : x^4 = 4a^4 + x^4$$

$$16a^8 = 4a^4x^4 + x^8$$

$$20a^8 = 4a^8 + 4a^4x^4 + x^8$$

$$2a^4\sqrt{5} = 2a^4 + x^4$$

$$x^4 = 2a^4\sqrt{5} - 2a^4$$

$$x = a\sqrt[4]{(2\sqrt{5} - 2)}$$

Conſtructio. Jungantur AB $= a$ & AC $= 2a$ ad angulos rectos, erit BC $= a\sqrt{5}$. Tab. XII. Fiat BD $=$ AB, erit DC $= a\sqrt{5} - a$. Fiat porro CE $=$ CD, & ducta per C recta NL ad AK perpendiculari deſcribatur ſuper AE ſemicirculus; erit CN $= \sqrt{(2a^2\sqrt{5} - 2a^2)} = a\sqrt{(2\sqrt{5} - 2)}$. Factis CH $= a$ & CG $=$ CN, deſcriptoque ſemicirculo ſuper HG; erit CI $= \sqrt{(a^2\sqrt{(2\sqrt{5} - 2)})} = a\sqrt{\sqrt{(2\sqrt{5} - 2)}} = a\sqrt[4]{(2\sqrt{5} - 2)}$. *Fig.* 114.

Simi-

Similiter fiat CK $=$ CB $+$ CH $= a + a\sqrt{5}$; erit, descripto super AK semicirculo, $= \sqrt{(2a^2 + 2a^2\sqrt{5})} = a\sqrt{(2 + 2\sqrt{5})}$. Fiat porro CO $=$ CL, erit descripto super HO semicirculo CM $= \sqrt{(a^2\sqrt{})(2 + 2\sqrt{5})} = a\sqrt[4]{(2 + 2\sqrt{5})}$.

Quodsi itaque tandem fiat CF $=$ CI; ducta FM erit CMF triangulum quæsitum.

Quodsi exponens rationis $= y$, BC $= x$, erit AB $= xy$, AC $= xy^2$, adeoque (§. 417 *Geom.*):

$$x^2y^4 = x^2y^2 + x^2$$
$$\overline{}\ x^2 \text{ div.}$$
$$y^4 = y^2 + 1$$
$$\overline{}\ y^2 \text{ subt.}$$
$$y^4 - y^2 = 1$$
$$\tfrac{1}{4} \quad \tfrac{1}{4} \quad \text{add.}$$
$$\overline{y^4 - y^2 + \tfrac{1}{4} = \tfrac{5}{4}}$$
$$\left.\begin{matrix} y^2 - \tfrac{1}{2} \\ \tfrac{1}{2} - y^2 \end{matrix}\right\} = \sqrt{\tfrac{5}{4}}$$
$$\overline{y^2 = \tfrac{1}{2} + \sqrt{\tfrac{5}{4}}}$$
$$\overline{y = \sqrt{(\tfrac{1}{2} + \tfrac{1}{2}\sqrt{5})}}$$

Patet adeo rationem laterum esse constantem.

PROBLEMA CXV.

258. *Datam rectam* AB *media & extrema ratione secare in* C, *hoc est, ut sit* AB : AC $=$ AC : CB. Tab. I. Fig. 6.

Sit AB $= a$, AC $= x$; erit CB $= a - x$, consequenter per conditionem problematis

$$a : x = x : a - x$$
$$\overline{x^2 = a^2 - ax \text{ (§. 297 \textit{Arith.})}}$$
$$\overline{}\ ax \text{ add.}$$
$$x^2 + ax = a^2$$
$$\overline{}\ \tfrac{1}{4}a^2 \text{ add.}$$
$$x^2 + ax + \tfrac{1}{4}a^2 = \tfrac{5}{4}a^2$$
$$\overline{}\ \text{Ext.Rad.}$$
$$x + \tfrac{1}{2}a = \sqrt{\tfrac{5}{4}a^2}$$
$$\overline{x = \sqrt{\tfrac{5}{4}a^2} - \tfrac{1}{2}a}$$

Constructio. 1°. Jungantur AB $= a$ & BD $= \frac{1}{2}a$ ad angulos rectos; erit AD $= \sqrt{\frac{5}{2}a^2}$. 2°. Fiat DF $= \frac{1}{2}a$ & AF $=$ AC; erit AC $= x$.

Alia ex æquatione tertia elicitur constructio. Nimirum radio AC $= \frac{1}{2}a$ describatur circulus & in A erigatur perpendicularis $= a$. Tab. I. Fig. 7. Si enim porro ducatur BD per centrum C; erit ED $= a$ & BE $= x$. Quare si fiat BF $=$ BE; recta AB erit in F media & extrema ratione secta. Etenim BD $= a + x$, adeoque BE. BD $= ax + x^2$, consequenter $ax + x^2 = a^2$ (§. 379 *Geom.*).

PROBLEMA CXVI.

259. *Rectam datam* AC *utcunque divisam in* B *iterum secare in* D, *ita ut sit* AD : DC $=$ DC : BD. Tab. I. Fig. 8.

Sit AB $= a$ BD $= x$
BC $= b$ erit DC $= b - x$
AD $= a + x$

Quare per conditionem problematis

$$a + x : b - x = b - x : x$$
$$\overline{ax + x^2 = b^2 - 2bx + x^2}$$
$$\overline{}\ x^2 - 2bx \text{ Subtr.}$$
$$ax + 2bx = b^2$$
$$\overline{}\ a + 2b \text{ Div.}$$
$$x = b^2 : (a + 2b)$$

Invenitur adeo x ob analogiam
$a + 2b : b = b : x$ (§. 272 *Geom.*).

Aliter.

Analogia prima, ex qua æquatio elicitur: etiam per leges rationum ad eam reduci potest, a qua constructio pendet. Quoniam enim.

$$a + x : b - x = b - x : x$$
$$\overline{\text{erit } a + b : b - x = b : x \text{ (§. 190. \textit{Arithm.})}}$$
$$\overline{a + b : b = b - x : x \text{ (§. 173 \textit{Arithm.})}}$$
$$a + 2b : b = b : x \text{ (§ 190 \textit{Arithm.})}.$$

PRO-

PROBLEMA CXVII.

Tab. I. Fig. 8. 260. *Datam rectam* AC *divisam in* B *denuo secare in* D, *ita ut sit* CB: DB=DA: BA.

Sit CB$=a$ DB$=x$
BA$=b$ erit DA$=b+x$

Quare per conditionem problematis

$a:x=b+x:b$

$ab=bx+x^2$
$\frac{1}{4}b^2$ $\frac{1}{4}b^2$ add. (§. 143).

$\frac{1}{4}b^2+ab=\frac{1}{4}b^2+bx+x^2$ Ext. Rad.

$\sqrt{(\frac{1}{4}b^2+ab)}=\frac{1}{2}b+x$
$\frac{1}{2}b$ subt.

$\sqrt{(\frac{1}{4}b^2+ab)}-\frac{1}{2}b=x$

Tab. I. Fig. 9. *Constructio.* Inter EG$=b$ & GF$=a$ quæratur media proportionalis HG, quæ erit $=\sqrt{ab}$. Fiat GI$=\frac{1}{2}b$ & ducatur HI: erit HI $=\sqrt{(\frac{1}{4}b^2+ab)}$ Fiat denique KI = GI: erit KH$=\sqrt{(\frac{1}{4}b_2+ab)}-\frac{1}{2}b$. Invenitur etiam $\sqrt{(\frac{1}{4}bb+ab)}$, si inter $\frac{1}{4}b+a$ & b quæratur media proportionalis (§. 327. 330 *Geom.*).

Tab. I. Fig. 4. Item quia $\frac{1}{4}bb+ab$ est differentia quadratorum $\frac{1}{4}bb+ab+a^2$ & a^2, super AB $=\frac{1}{2}b+a$ describatur semicirculus & in eo applicetur AC$=a$; erit CB$=\sqrt{(\frac{1}{4}bb+ab)}$, (§. 317. 417 *Geom.*).

DEFINITIO XIX.

261. Si quatuor fuerint *lineæ* proportionales, extremæ mediis, mediæ extremis *reciprocæ* dicuntur.

PROBLEMA CXVIII.

Tab. I. Fig. 10. 262. *Datam rectam* AB *ita secare in* C, *ut partes* AC & CB *sint duabus datis* DE & FG *reciprocæ.*

Sit AB$=a$ AC$=x$
DE$=b$ CB$=a-x$
FG$=c$

Ergo (§. 261).

$x:b=c:a-x$

$ax-x^2=cb$ mut. sig.
$-cb=x^2-ax$
$\frac{1}{4}aa$ $\frac{1}{4}aa$ add. (§. 143).

$\frac{1}{4}aa-cb=\frac{1}{4}a^2-ax+x^2$ Ext. Rad.

$$\sqrt{(\tfrac{1}{4}a^2-cb)}\begin{cases}=\tfrac{1}{2}a-x\\=x-\tfrac{1}{2}a\end{cases}$$

$x=\frac{1}{2}a\pm\sqrt{(\frac{1}{4}aa-cb)}$

Constructio. Quæratur inter HI$=b$ & IK$=c$ media proportionalis MI$=\sqrt{cb}$ (§. 327 *Geom.*). Radio IL$=\frac{1}{2}a$ describatur arcus & ducatur PM ipsi IK parallela (§. 258 *Geom.*), erit NM$=x$ & MP$=a-x$. Tab. I. Fig. 11. Nam demisso ex centro L perpendiculo LO, erit NO = OP (§. 291 *Geom.*) & OL =MI $=\sqrt{cb}$ (§. 226 *Geom.*). Sed NL = LI (§. 40 *Geom.*) $=\frac{1}{2}a$. Ergo NO $=\sqrt{(\frac{1}{4}aa-cb)}$ (§. 417 *Geom.*), consequenter ob MO = IL (§. 238 *Geom.*) $=\frac{1}{2}a$, MN $=\frac{1}{2}a-\sqrt{(\frac{1}{4}aa-cb)}=x$ & PM$=\frac{1}{2}a+\sqrt{(\frac{1}{4}aa-cb)}=a-x$.

COROLLARIUM.

263. Construere ergo æquationem quadraticam affectam $ax-x^2=cb$ idem est, ac datis duabus rectis c & b, vel si $c=b$, eidem rectæ b reciprocas x & $a-x$ invenire.

PROBLEMA CXIX.

264. *Datis duabus rectis* DE & FG *reciprocas invenire, quarum differentia sit datæ rectæ* AC *æqualis.* Tab. I. Fig. 10.

Sit DE$=a$ Reciproca minor
FG$=b$ $=x$
AC$=c$ erit major$=c+x$

Ergo (§. 261)

$$x : a = b : c + x$$

$$ab = cx + x^2$$

$$\tfrac{1}{4}cc \qquad \tfrac{1}{4}cc$$

$$\tfrac{1}{4}cc + ab = \tfrac{1}{4}cc + cx + x^2$$

$$\sqrt{(\tfrac{1}{4}cc + ab)} = \tfrac{1}{2}c + x$$

$$\sqrt{(\tfrac{1}{4}cc + ab)} - \tfrac{1}{2}c = x$$

Tab. I. Fig. 5. *Constructio.* Quæratur inter $AC = b$ & $CB = a$ media proportionalis DC. Fiat $CE = \tfrac{1}{2}c$: erit $DE = \sqrt{(\tfrac{1}{4}cc + ab)}$. Unde si subtrahitur $\tfrac{1}{2}c = EF$ relinquitur $DF = x$.

Tab. I. Fig. 12. Alia magis ingeniosa ex æquatione $ab = cx + x^2$ eruitur. Describatur nimirum ex centro C radio arbitrario, majori tamen quam c & $a - b$, circulus. In eo applicentur chordæ $IQ = c$ & $IP = a - b$. Prolongetur PI in O donec $PO = b$. Tandem per O describatur circulus priori concentricus: erit $HI = x$. Demissa enim ex centro C perpendiculari CL; erit $LI = LQ$ & $LH = LM$ (§. 291 *Geom.*), adeoque $QM = IH$ (§. 91 *Arithm.*). Eodem modo ostenditur, esse $NI = PO = b$. Ergo NI. $IO = ab$, consequenter $ab = HI.\ IM = HI.\ (c + HI)$ (§. 381 *Geom.*). Est vero etiam $ab = x\ (c + x)$. Ergo $HI = x$.

Sint omnia ut ante, & pars major $= x$, erit minor $x - c$ consequenter (§. 261)

$$x : a = b : x - c$$

$$x^2 - cx = ab.$$

Constructio. Eadem est, quæ precedens. Sed hic $MI = x$, ita enim $HI = QM = x - c$, consequenter NI. $NO = ab$ & HI. $IM = x^2 - cx$.

COROLLARIUM.

265. Construere ergo æquationes quadraticas $x^2 + cx = ab$ & $x^2 - cx = ab$ idem est ac datis duabus rectis a & b, vel, si $a = b$, eidem rectæ b reciprocas ibi x & $x + c$, hic x & $x - c$ reperire.

PROBLEMA CXX.

266. *Datam rectam* AB *ita secare in* C *ut rectangulum sub tota* AB *& segmento minore* AC *æquale sit rectangulo sub majore* CB *& differentia utriusque* CB—AC. Tab. I. Fig. 10.

Sit $AB = a$ $\qquad AC = x$

erit $CB = a - x$

$CB - AC = a - 2x$

Quare per conditionem problematis

$$ax = a^2 - 3ax + 2x^2$$

$$-a^2 = -4ax + 2x^2$$

$$-\tfrac{1}{2}a^2 = x^2 - 2ax$$

$$+ a^2 \qquad + a^2$$

$$\tfrac{1}{2}a^2 = x^2 - 2ax + a^2$$

$$\sqrt{\tfrac{1}{2}a^2} = a - x$$

$$x + \sqrt{\tfrac{1}{2}a^2} = a$$

$$x = a - \sqrt{\tfrac{1}{2}a^2}$$

Constructio. Quæratur inter $\tfrac{1}{2}a$ & a media proportionalis, quæ erit pars major $a - x$, adeoque subducta ex a relinquit minorem x.

Aliter.

Quoniam per conditionem problematis.

$$ax = (a - x)(a - 2x)$$

erit (§. 104). $a : a - 2x = a - x : x$

$$2a - 2x : a = a : a - x$$

$$a - x : \tfrac{1}{2}a = a : a - x$$

$$\tfrac{1}{2}a : a - x = a - x : a$$

SCHOLION.

267. *His resolutionibus per analogias & reductionibus æquationum quadraticarum ad lineas reciprocas opus est, si geometricas more veterum mediteris demonstrationes.*

PRO-

PROBLEMA CXXI.

Tab. I. Fig. 13. n. 1. 268. *Dato radio circuli* ED, *invenire latus trigoni regularis ipsi inscribendi* AB.

Ducatur latus hexagoni EB, & sit BD = BE (§. 356 *Geom.*) = a, AB = x; erit BF = $\frac{1}{2}x$ (§. 291 *Geom.*). Et quoniam anguli ad F recti (*per §. cit.*) BE = BD, *per demonstr.* BF = BF: erit EF = FD (§. 235 *Geom.*) = $\frac{1}{2}a$. Quare (§. 417 *Geom.*) $BD^2 - DF^2 = FB^2$, hoc est

$$\frac{3}{4}aa = \frac{1}{4}x^2$$

$$3aa = x^2$$

$$\sqrt{3aa} = x^2$$

Est ergo x media proportionalis inter $3a$ & a. Et si fiat $a = 1$, erit $= x\sqrt{3}$.

Tab. I. Fig. 13. n. 2. *Constructio* Concinnior hæc est: super diametro AB construatur triangulum æquilaterum AFB & centrum C cum puncto F connectatur recta CF; erit CF latus trigoni. Cum enim FCB sit triangulum rectangulum (§. 184 *Geom.*) & FB = $2a$, CB = a; erit FC = $\sqrt{3aa}$ (§. 417 *Geom.*) = x.

Theorema. Quadratum lateris trigoni est ad quadratum radii ut 3 ad 1.

Aliter.

$$\frac{3}{4}aa = \frac{1}{4}x^2$$

$$\frac{3}{4}a : \frac{1}{4}x = x : a$$

$$3a : x = x : a$$

COROLLARIUM I.

269. Si dato latere trigoni regularis b inveniri debet radius circuli circumscribendi y; erit $3y^2 = b^2$, consequenter $y = \sqrt{\frac{1}{3}b^2}$, quæ est media proportionalis inter $\frac{1}{3}b$ & b.

COROLLARIUM II.

270. Quoniam dimidium latus trigoni regularis est sinus 60° (§. 2. *Trigon.*), per problema præsens invenitur sinus 60°.

SCHOLION.

271. *Hujus problematis solutio usum potius respicit arithmeticum, quam geometricum. Geometrica enim constructio ex Elementis facilior & elegantior deducitur, quamvis eadem ex calculo etiam pateat. Est enim diameter* $AB = 2a$. *Quare si fiat* $AD = a$, *ducaturque* DB, *cum angulus ad* D *rectus sit* (§. 317 Geom.), *adeoque* $AB^2 - AD^2 = DB^2$ (§. 417 Geom.); *erit* $DB = \sqrt{3a^2}$ Tab. I. Fig. 13. n. 2.

PROBLEMA CXXII.

272. *Dato radio circuli* AE *invenire latus octogoni regularis circulo inscribendi.* Tab. I. Fig. 17.

Sit AE = r, AF = y; erit latus quadrati AB = $\sqrt{2r^2}$ (§. 21. *Trig.*) & AG = $\sqrt{\frac{1}{2}r^2}$ (§. 291 *Geom.*). Porro cum AEF = 45° (§. 342 *Geom.*), & angulus ad G rectus (§. 291 *Geom.*) erit quoque EAG = 45° (§. 241 *Geom.*), consequenter EG = AG (§. 253 *Geom.*) = $\sqrt{\frac{1}{2}r^2}$. Hinc FG = $r - \sqrt{\frac{1}{2}r^2}$. Quare (§. 417 *Geom.*).

$$yy = \tfrac{1}{2}r^2 + 1\tfrac{1}{2}r^2 - r\sqrt{2r^2}$$

hoc est $yy = 2r^2 - r\sqrt{2r^2}$

$$y = \sqrt{(2r^2 - r\sqrt{2r^2})}$$

Quod si fiat $r = 1$; erit $y = \sqrt{(2 - \sqrt{2})}$.

COROLLARIUM.

273. Cum dimidium latus octogoni sit sinus 22° 30′ (§. 2 *Trigon.*); per hoc ipsum problema invenitur sinus 22° 30′.

PROBLEMA CXXIII.

274. *Dato latere Octogoni AF invenire radium circuli circumscribendi AE.* Tab. I. Fig. 17.

Sit AF $= b$, AE $= y$, erit (§. 272)

$$b^2 = 2y^2 - \sqrt{2y^4}$$
$$\sqrt{2y^4} = 2y^2 - b^2$$
$$2y^4 = 4y^4 - 4b^2y^2 + b^4$$
$$0 = 2y^4 - 4b^2y^2 + b^4$$
$$0 = y^4 - 2b^2y^2 + \tfrac{1}{2}b^4$$
$$\tfrac{1}{2}b^4 \qquad \tfrac{1}{2}b^4 \quad (\text{§. 261 } Arith.)$$
$$\tfrac{1}{2}b^4 = y^4 - 2b^2y^2 + b^4$$
$$b\sqrt{\tfrac{1}{2}b^2} = y^2 - b^2$$
$$b^2 + b\sqrt{\tfrac{1}{2}b^2} = y^2$$
$$\sqrt{(b^2 + b\sqrt{\tfrac{1}{2}b^2})} = y$$

Est igitur $b : y = y : b + \sqrt{\tfrac{1}{2}b^2}$
consеq. $\tfrac{1}{2}b : y = y : 2b + 2\sqrt{\tfrac{1}{2}b^2}$

Hinc elicitur sequens geometrica.

Constructio. Super latere octogoni AB $= b$
Tab. describatur semicirculus & ex centro C eri-
XII. gatur perpendicularis indefinita CF, erit rec-
Fig. ta DB $= \sqrt{\tfrac{1}{2}b^2}$ (§. 417 *Geom*). Fiat AE $=$
115. $2b + 2\sqrt{\tfrac{1}{2}b^2}$, descriptoque semicirculo AFE; erit AF $= \sqrt{(b^2 + b\sqrt{\tfrac{1}{2}b^2})}$, (§. 327 *Geom.*), consequenter radius circuli octogono circumscribendi: quod adeo super recta AB construetur, si radio AF describatur circulus transiens per A & B.

PROBLEMA CXXIV.

Tab. I. *Fig.* 14. 275. *Dato radio circuli* AC, *invenire latus decagoni regularis inscribendi* AB.

Quoniam AB est $\tfrac{1}{10}$ totius peripheriæ, angulus ACB $= 36°$ (§. 57. 59 *Geom.*), consequenter ob AC $=$ BC (§. 40 *Geom.*), ABC $=$ CAB $= 72°$ (§. 248 *Geom.*), adeoque DAC $= 108$ (§. 149 *Geom.*). Fiat AD $=$ AC, erit ADC $=$ ACD $= 36°$ (§. 248 *Geom.*), consequenter DCB $= 72°$. Sunt ergo triangula ABC & BDC æquiangula & hinc BD : BC $=$ BC : AB (§. 267 *Geom.*).

Sit jam AC $=$ BC $= a$, AB $= x$; erit BD $= a + x$, consequenter *per demonstrata.*

$$a + x : a = a : x$$
$$ax + x^2 = a^2$$

Est ergo a media & extrema ratione secanda, cujus pars major x (§. 258). Vel radio a quærendæ sunt reciprocæ $a + x$ & x (§. 265).

Theorema. Latus decagoni regularis circulo inscripti est pars major radii media & extrema ratione secti. Tab. I. *Fig.* 15.

Constructio. Quoniam $x = \sqrt{\tfrac{5}{4}a^2} - \tfrac{1}{2}a$ (§. 258; radio a describatur circulus & in centro E erigatur perpendicularis IE $= a$. Fiat EF $= \tfrac{1}{2}a$: erit FI $\sqrt{=} \tfrac{5}{4}a^2$. Quare si ex F radio IF describatur arcus KI; erit KE $= \sqrt{\tfrac{5}{4}a^2} - \tfrac{1}{2}a$.

SCHOLION.

276. *Hanc ipsam constructionem tradit* Ptolemæus *in suo Almagesto.*

COROLLARIUM.

277. Invenitur ergo per problema præsens sinus 18° (§. 2. *Trigon.*).

PROBLEMA CXXV.

278. *Dato latere decagoni regularis circulo inscribendi* AB, *invenire radium* AC. Tab. I. *Fig.* 14.

Sit AB $= a$, AC $= x$; erit BD $= a + x$ & *per demonstrata in probl. præc.*

$a +$

$a + x : x = x : a$

$ax + a^2 = x^2$

$a^2 = x^2 - ax$

$\frac{5}{4}a^2 = x^2 - ax + \frac{1}{4}a^2$

$\sqrt{\frac{5}{4}a^2} = x - \frac{1}{2}a$, ob $x > \frac{1}{2}a$ (§. 275).

$\frac{1}{2}a + \sqrt{\frac{5}{4}a^2} = x$.

Tab. I. Fig. 16. *Constructio.* Construatur triangulum rectangulum MLN, in quo $ML = a$ & $MN = \frac{1}{2}a$: erit $LN = \sqrt{\frac{5}{4}a^2}$ (§. 417 *Geom.*). Producatur MN in O, donec NO = LN: erit $MO = x$. Ex centro itaque O per M circulus describi potest.

Aliter.

$a + x : x = x : a$

$a : x = x - a : a$

Quærendæ adeo sunt ipsi a reciprocæ x & $x - a$.

PROBLEMA CXXVI.

Tab. I. Fig. 17. 279. *Dato radio circuli* AE *&* *latere decagoni* AF *invenire latus pentagoni* AB.

Sit $AE = a$ $AB = x$ (§. 291
$AF = b$ $AG = \frac{1}{2}x$ *Geom.*)
$GE = \sqrt{(a^2 - \frac{1}{4}x^2)}$
$FG = a - \sqrt{(a^2 - \frac{1}{4}x^2)}$

Quare (§. 417 *Geom.*)

$b^2 = \frac{1}{4}x^2 + a^2 - 2a\sqrt{(a^2 - \frac{1}{4}x)} + a^2 - \frac{1}{4}x^2$

$b^2 = 2a^2 - 2a\sqrt{(a^2 - \frac{1}{4}x^2)}$

$2a\sqrt{(a^2 - \frac{1}{4}x^2)} = 2a^2 - b^2$

$4a^4 - a^2x^2 = 4a^4 - 4a^2b^2 + b^4$

$-a^2x^2 = -4a^2b^2 + b^4$

$4a^2b^2 - b^4 = a^2x^2$

$4b^2 - b^4 : a^2 = x^2$

Est vero $b = \sqrt{\frac{5}{4}a^2} - \frac{1}{2}a$ (§. 285)

$b^2 = \frac{6}{4}a^2 - a\sqrt{\frac{5}{4}a^2}$

$b^4 = \frac{14}{4}a^4 - 3a^3\sqrt{\frac{5}{4}a^2}$

Ergo

$x^2 = \frac{24}{4}a^2 - 4a\sqrt{\frac{5}{4}a^2} - (\frac{14}{4}a^4 + 3a^3\sqrt{\frac{5}{4}a^2}) : a^2$

$= \frac{24}{4}a^2 - 4a\sqrt{\frac{5}{4}a^2} - \frac{14}{4}a^2 + 3a\sqrt{\frac{5}{4}a^2}$

$= \frac{10}{4}a^2 - a\sqrt{\frac{5}{4}a^2} = a^2 + \frac{6}{4}a^2 - a\sqrt{\frac{5}{4}a^2}$

$= a^2 + b^2$

Constructio: Quæratur latus decagoni EK (§. 275), erit KI latus pentagoni. Tab. I. Fig. 15.

Theorema: Latus pentagoni regularis potest latera hexagoni & decagoni eidem circulo inscriptorum simul.

SCHOLION.

280. *Eandem prorsus constructionem dedit* Ptolemæus.

COROLLARIUM.

281. Per præsens adeo problema inveniri potest sinus 36° (§. 2. *Trigon.*).

PROBLEMA CXXVII.

282. *Datis summa crurum trianguli rectanguli* AB+BC *una cum perpendiculo* BD *ex angulo recto* B *in hypothenusam* AC *demisso, invenire latera.* Tab. I. Fig. 3.

Sit $AB + BC = a$, $BD = b$, $AB - BC = y$, $AC = x$, erit $AB = \frac{1}{2}(a + y)$, $BC = \frac{1}{2}(a - y)$ consequenter (§. 417 *Geom.*) (§. 330 *Geom.*)

$x^2 = \frac{1}{2}(aa + yy)$ BA : BD = AC : BC

$2x^2 = aa + yy$ $\frac{1}{2}(a+y) : b = x : \frac{1}{2}(a-y)$

$2x^2 - a^2 = y^2$ $\frac{1}{4}(a^2 - y^2) = bx$

$a^2 - y^2 = 4bx$

$a^2 - 4bx = y^2$

Quare

Quare (§. 87. *Arithm*).

$$2x^2 - a^2 = a^2 - 4bx$$
$$2x^2 + 4bx = 2a^2$$
$$x^2 + 2bx = a^2$$
$$x^2 + 2bx + b^2 = a^2 + b^2$$
$$x = \sqrt{(a^2 + b^2)} - b$$

Constructio nihil difficultatis habet. Quodsi enim triangulum construi debet, ad AB $= a$ excitetur in C perpendicularis AC $= b$ (§. 249 *Geom.*), erit BC $= \sqrt{(a^2 + b^2)}$. Quare si fiat CD $=$ AC, erit DB $= \sqrt{(a^2 + b^2)} - b$. Fiat jam porro BE $=$ BD & descripto super EB semicirculo ex C ducatur CH ipsi AB parallela (§. 258 *Geom.*) secans semicirculum in F. Ductis enim rectis EF & FB, erit EFB triangulum quæsitum.

Tab. XII. Fig. 116.

PROBLEMA CXXVIII.

Tab. I. Fig. 18. 283. *Datis pro triangulo rectangulo* BAC *hypothenusa* BC *&* *differentia crurum* DC, *invenire crura.*

Sit BC $= c$, DC f, $\frac{1}{2}$(AB + AC) $= x$; erit AC $= x + \frac{1}{2}f$, AB $= x - \frac{1}{2}f$ (§. 5), consequenter (§. 417 *Geom.*).

$$2x^2 + \tfrac{1}{2}f^2 = c^2$$
$$2x^2 = c^2 - \tfrac{1}{2}f^2$$
$$x = \tfrac{1}{2}c^2 - \tfrac{1}{4}f^2$$
$$x = \sqrt{(\tfrac{1}{2}c^2 - \tfrac{1}{4}f^2)}$$

Constructio. Construatur rectangulum triangulum AFE, in quo AF $=$ FE $= \frac{1}{2}c$, erit AE $= \sqrt{\frac{1}{2}cc}$. Super AE describatur semicirculus ob AF $=$ FE transiturus per F & in eo applicetur EG $= \frac{1}{2}f$; erit AG $= x$, consequenter si fiat DG $=$ GC $=$ GE, crus majus AC, minus AB $=$ AD.

PROBLEMA CXXIX.

Tab. I. Fig. 19. 284. *In dato circulo aptare rectam datam* KL, *quæ producta transeat per datum punctum* H *tangentis* HI.

Sit LK $= m$, HI $= n$, LH $= y$; erit (§. 379 *Geom.*).

$$y^2 + my = n^2$$
$$\tfrac{1}{4}m^2 \quad \tfrac{1}{4}m^2$$
$$y^2 + my + \tfrac{1}{4}m^2 = \tfrac{1}{4}m^2 + n^2$$
$$y + \tfrac{1}{2}m = \sqrt{(\tfrac{1}{4}m^2 + n^2)}$$
$$y = \sqrt{(\tfrac{1}{4}m^2 + n^2)} - \tfrac{1}{2}m$$

Constructio. In puncto tangentis I erigatur perpendicularis MI $= \frac{1}{2}m$; erit HM $= \sqrt{(\frac{1}{4}m^2 + n^2)}$. Fiat NM $=$ MI $= \frac{1}{2}m$; erit HN $= x$. Quare si ex centro H radio HN describatur arcus LN; erit L punctum, per quod recta HK ducenda, ut LK sit chorda in circulo aptanda.

PROBLEMA CXXX.

285. *Datis duobus quadratis invenire duo alia reciproca, quorum summa æquatur quadrato dato.*

Sint quadrata data bb, cc, dd, quæsita yy & $dd - yy$. Erit per conditionem problematis

$$yy : bb = cc : dd - yy$$
$$ddy^2 - y^4 - bbcc$$
$$y^4 - ddy^2 + \tfrac{1}{4}d^4 = \tfrac{1}{4}d^4 - bbcc$$
$$\tfrac{1}{2}dd - y^2 = \sqrt{(\tfrac{1}{4}d^4 = bbcc)}$$
$$y^2 = \tfrac{1}{2}dd - \sqrt{(\tfrac{1}{4}d^4 - bbcc)}$$
$$y = \sqrt{(\tfrac{1}{2}dd - \sqrt{(\tfrac{1}{4}d^4 - bbcc)})}$$

Constructio. Quæratur ad AB $= d$, AC $= b$ & BD $= c$ quarta proportionalis CE $= bc:d$. Describatur semicirculus super CF $= \frac{1}{2}d$ & in eo applicetur CG $=$ CE; erit FG $= \sqrt{(\frac{1}{4}d^4 - bbcc)} : d$. Fiat HC $= d$ & CI $= \frac{1}{2}d - \sqrt{(\frac{1}{4}d^4 - bbcc)} : d$; erit media proportionalis CK $= y$. Denique super CH $= d$ describatur semicirculus & in eo applicetur CL $=$ CK, erit LH $= \sqrt{(d^2 - y^2)}$ latus alterius quadrati quæsiti. Tab. I. Fig. 20.

PRO-

PROBLEMA CXXXI.

286. *Datis duobus quadratis invenire duo alia reciproca, quorum differentia æquatur quadrato dato.*

Sint quadrata data ff, gg, hh, quæsita yy & $hh+yy$. Erit per conditionem problematis

$$yy : ff = gg : hh + yy$$

$$y^4 + hhyy = ffgg$$
$$\tfrac{1}{4}h^4 \qquad \tfrac{1}{4}h^4$$

$$y^4 + hhyy + \tfrac{1}{4}h^4 = ffgg + \tfrac{1}{4}h^4$$

$$y^2 + \tfrac{1}{2}hh = \sqrt{(ffgg + \tfrac{1}{4}h^4)}$$
$$y^2 = -\tfrac{1}{2}hh + \sqrt{(ffgg + \tfrac{1}{4}h^4)}$$
$$y = \sqrt{(-\tfrac{1}{2}hh + \sqrt{(ffgg + \tfrac{1}{4}h^4)})}$$

Constructio. Eadem fere, quæ problematis præcedentis.

PROBLEMA CXXXII.

Tab.II. Fig.21. n. 1. 287. *Datis tribus lateribus trianguli cujuscunque* HL, LI & IH, *invenire altitudinem* ML.

Sit HL$=c$, LI$=d$, HI$=g$, HM$=z$, erit MI$=g-z$. Quare (§. 417 *Geom.*) bis invento valore ipsius ML:

$$cc - zz = dd - gg + 2gz - zz$$

$$cc = dd - gg + 2gz$$
$$cc - dd = 2gz - gg$$
$$cc + gg - dd = 2gz$$
$$\frac{cc + gg - dd}{2g} = z$$

Geometrica constructio non desideratur, utpote ex elementis manifesta sed tantum regula arithmetica.

COROLLARIUM.

288. Vi æquationis tertiæ $dd - cc = gg - 2gz$. Sed $gg - 2gz$ est differentia inter zz & $gg - 2gz + zz$. Ergo in omni triangulo differentia quadratorum crurum HL & LI æquatur differentiæ quadratorum segmentorum basis HM & MI.

PROBLEMA CXXXIII.

289. *Triangulo dato* HLI *æquale & alteri dato* NOP *simile construere.* Tab.II. Fig.21. n.1.& 2.

Sit HI $=f$, LM $=e$, NP $=m$, QO $=n$, basis trianguli quæsiti $=y$, altitudo $=z$: erit

(§. 396 *Geom.*) (§. 392 *Geom.*)

$$m : n = y : z \qquad fe = zy$$

$$mz = ny \qquad fe : y = z$$

$$mfe : y = mz$$
$$ny = mfe : y$$

$$ny^2 = mfe$$

$$y^2 = mfe : n$$

$$y = \sqrt{(mfe : n)}$$

Constructio. Producatur altitudo OQ trianguli NOP in M, donec altitudini alterius LM æqualis fiat. Producantur itidem crura trianguli in R & S, & per M agatur ipsi NP parallela: erit RS $= me : n$. Quæratur inter RS & SI $= f$ media proportionalis TS $= \sqrt{(mfe:n)}$, super qua ob angulos N & P datos triangulum TSV construi potest. (§. 264 *Geom.*).

Aliter.

$$n : m = z : y \qquad fe = zy$$

Fiat $n : m = e : r$ $\quad f : z = y : e$ (§.299 *Arithm.*)

erit $z : y = e\,r$ (§. 167. *Arithm.*)

Ergo $f : y = y : r$ (§. 194 *Arithm.*)

Est ergo y media proportionalis inter f & r, seu inter f & $em : n$, ut ante.

Tab. II. *Fig.* 22.

PROBLEMA CXXXIV.

290. *Ex angulo* C *rhombi dati* ABDC *ducere rectam* CG *lateri* AB *continuato occurrentem in* G, *ita ut* EG *sit aequalis lineae datae*.

Ducatur Diagonalis CB & in E constituatur angulus CEF = CBG (§. 208 *Geom.*), cujus latus EF producatur, donec diagonali continuatae in F. occurrat.

Sit AB $= b$, CB $= c$, EG $= d$, BG $= z$, CF $= y$: erit BF $= y - c$. BG : GE = AB : EC (§. 268. *Geom.*) Unde reperitur EC $= bd : z$. Quoniam angulus CEF = CBG *per construct.* erit ob angulum communem C (§. 267 *Geom.*) CB : BG = CE : EF Unde reperitur EF $= zbd : cz = bd : c$. Porro $o = x$ (§. 156 *Geom.*) & $x = u$ (§. 99. 204 *Geom.*). Ergo $o = u$ (§. 87 *Arithm.*) consequenter CBG = EBF (§. 88 *Arithm.*) = CEF (§. 87 *Arithm.*). Ergo ob angulum communem F (§. 267 *Geom.*).

$$CF : FE = FE : BF$$

$$y : \frac{bd}{c} = \frac{bd}{c} : y - c$$

$$cy : bd = bd : cy - cc$$

$$ccy^2 - c^3y = bbdd$$

$$y^2 - cy = bbdd : cc$$

$$y^2 - cy + \tfrac{1}{4}cc = \tfrac{1}{4}cc + bbdd : cc$$

$$y - \tfrac{1}{2}c = \sqrt{(\tfrac{1}{4}cc + bbdd : cc)}$$

$$y = \tfrac{1}{2}c + \sqrt{(\tfrac{1}{4}cc + bbdd : cc)}$$

Ex aequatione prima statim liquet, inveniendas esse ipsi $bd : c$ reciprocas y & $y - c$. Ex ultima autem haec elicitur.

Constructio. Fiat BM = EG = d & ducatur LM ipsi AC parallela; erit LM $= bd : c$ (§. 268 *Geom.*) Dividatur BC bifariam in N & in C erigatur perpendicularis CO = LM; erit ON $= \sqrt{(\tfrac{1}{4}cc + bbdd : cc)}$ (§. 417 *Geom.*). Translata ergo ON ex N in F; erit CF $= y$. Denique cum EF $= bd : c =$ LM; ex puncto F intervallo EF determinetur punctum E. Quodsi jam ex C ducatur recta per E occurrens ipsi AB continuatae in G, erit EG aequalis lineae datae.

PROBLEMA CXXXV.

291. A *dato puncto* E *ducere rectam, quae circulum datum tangat.* Tab. II. *Fig.* 23.

Quia punctum E positione, circulus GDFG & positione & magnitudine datur; dantur etiam EG & GC. Sit itaque EG $= a$, GC $= b$, ED $= x$; erit EF $= a + 2b$ & (§. 379 *Geom.*)

$$aa + 2ab = x^2$$

$$\sqrt{(aa + 2ab)} = x$$

Constructio. Connectantur centrum circuli C & punctum datum E recta EC. Super ea describatur semicirculus CDE ducanturque chordae CD & DE; erit D rectus (§. 317 *Geom.*). Est vero CE$^2 = aa + 2ab + bb$, CD$^2 = bb$: ergo DE $= \sqrt{(2ab + aa)} = x$ (§. 417 *Geom.*).

PROBLEMA CXXXVI.

292. *Examinare regulam* Renaldinian, *polygonum regulare quodcunque circulo inscribendi.* Tab. II. *Fig.* 24.

Regula *Caroli Renaldini* (e) haec est. Dividatur diameter AB in tot partes aequales, in quot peripheria dividi debet. Super AB construatur triangulum aequilaterum AFB. Ex F per secundum divisionis punctum D ducatur recta FG. Erit ex ipsius mente BG latus polygoni. Fal-

(e) De Resolutione & Compositione Mathematica lib. 2. f. 367.

Falſitatem regulæ una inſtantia oſtendiſſe ſufficit.

Sit BG latus octogoni & fiat BH $=$ BG; erit HG latus quadrati. Sit porro CB $= 1$, EG $= x$; erit CD $= \frac{1}{2}$, *per regulam* Renaldini, FC $= \sqrt{3}$ (§. 268). Quoniam angulus ad C rectus (§. 184 *Geom.*) & is ad E itidem rectus (§. 291 *Geom.*), præterea verticales ad D æquales (§. 156 *Geom.*); erit (§. 267 *Geom.*) FC : CD $=$ EG : DE, hoc eſt, $\sqrt{3} : \frac{1}{2} = x : \frac{\frac{1}{2}x}{\sqrt{3}}$. Hinc CE $= \frac{\sqrt{3} + x}{2\sqrt{3}}$. Unde tandem ob CE² $+$ EG² $=$ CG² (§. 417 *Geom.*) reperitur

$$\frac{3 + 2x\sqrt{3} + x^2}{12} + x^2 = 1$$

$$3 + 2x\sqrt{3} + 13x^2 = 12$$

$$2x\sqrt{3} + 13x^2 = 9$$

$$\frac{2}{13}x\sqrt{3} + x^2 = \frac{9}{13}$$

$$\frac{3}{13.13} \qquad \frac{3}{13.13} \quad \text{add.}$$

$$\frac{3}{13.13} + \frac{2}{13}x\sqrt{3} + x^2 = \frac{9}{13} + \frac{3}{13.13} = \frac{120}{13.13}$$

$$\frac{1}{13}\sqrt{3} + x = \frac{1}{13}\sqrt{120}.$$

$$x = \frac{1}{13}\sqrt{120} - \frac{1}{13}\sqrt{3}$$

$$= \frac{2}{13}\sqrt{30} - \frac{1}{13}\sqrt{3}$$

Foret adeo ſemilatus quadrati, ſi vera eſſet regula *Renaldini*, $(2\sqrt{30} - \sqrt{3}) : 13$. Sed idem ex veris principiis elicitur $\frac{1}{2}\sqrt{2}$ (§. 21. *Trigon.*) $= \sqrt{\frac{1}{2}}$: quod diverſum a *Renaldiniano* eſſe extractio radicis probat. Fallit ergo regula *Renaldini* in octogono, adeoque non univerſalis.

SCHOLION.

293. *Eodem prorſus modo oſtenditur, quod etiam fallat in aliis polygonis.*

PROBLEMA CXXXVII.

294. *Data diagonali pentagoni regularis* AD, *invenire latus pentagoni* AE.

Sit AE $= x$, AD $= a$. Quoniam anguli AEC menſura eſt arcus AB (§. 314 *Geom.*) & ipſius EFA ſemiſumma arcuum AE & CD (§. 316 *Geom.*), hoc eſt, arcus AE (§. 342 *Geom.*), eſt vero AB $=$ AE (§. *cit. Geom.*); erit AEF $=$ AFE (§. 142 *Geom.*), conſequenter AF $=$ AE (§. 253 *Geom.*) $= x$, adeoque FD $= a - x$. Porro anguli AED menſura eſt AB $+ \frac{1}{2}$BC (§. 314 *Geom.*) & ipſius F menſura itidem AB $+ \frac{1}{2}$ BC (§. 316 *Geom.*) & angulus ADE utrique triangulo AED & EFD communis. Quare (§. 267 *Geom.*). Tab.II. Fig.25.

$$AD : ED = ED : FD$$

$$a : x = x : a - x$$

$$a^2 - ax = x^2$$

$$a^2 = x^2 + ax$$

Eſt adeo x pars major ipſius a media & extrema ratione ſectæ (§. 258).

COROLLARIUM.

295. Erit ergo, ſubſtitutis a pro x & x pro a, $a = \frac{1}{2}x + \sqrt{\frac{5}{4}x^2}$. Unde patet, quomodo ex dato latere diagonalis inveniatur.

PROBLEMA CXXXVIII.

296. *Invenire circulum ſuperficiei cylindri æqualem.*

Sit ratio radii ad peripheriam $r : p$; peripheria cylindri $= p$, altitudo a; erit ſuperficies $= ap$ (§. 516 *Geom.*).

Sit

Sit radius circuli $= x$; erit $r : p = x : \frac{px}{r}$, quæ eſt ejusdem peripheria (§. 425 *Geom.*). Unde habemus (§. 429 *Geom.*).

$$px^2 : 2r = ap$$

$$px^2 = 2rap$$

$$x^2 = 2ar$$

$$x = \sqrt{2ar}$$

Theorema. Superficies cylindri æquatur circulo, cujus radius eſt medius proportionalis inter diametrum & altitudinem cylindri.

PROBLEMA CXXXIX.

297. *Invenire cylindrum, cujus ſuperficies ſit circulo dato æqualis.*

Sit circuli radius $= r$, peripheria $= p$, altitudo cylindri $= x$, radius baſis $= y$; erit peripheria ejus $py : r$ (§. 425 *Geom.*), conſequenter (§. 516. *Geom.*).

$$pyx : r = \tfrac{1}{2}pr$$

$$pyx = \tfrac{1}{2}pr^2$$

$$yx = \tfrac{1}{2}r^2$$

$$x = r^2 : 2y$$

Eſt adeo problema indeterminatum, ita ut radius pro arbitrio aſſumi poſſit vel, quod perinde eſt, altitudo.

PROBLEMA CXL.

298. *Data diametro ſphæræ & altitudine cylindri ipſi æqualis, invenire diametrum cylindri.*

Sit diameter ſphæræ $= d$, altitudo cylindri $= a$, diameter ejus $= x$, erit ſoliditas illius $157d^3 : 300$ (§. 552 *Geom.*), hujus $314ax^2 : 400$ (§. 514 *Geom.*). Quare per conditionem problematis:

$$157d^3 : 300 = 314ax^2 : 400$$

$$4 . 157d^3 : 3 = 314ax^2$$

$$628d^3 : 942a = 2d^3 : 3a = x^2$$

$$\sqrt{(2d^3 : 3a)} = x$$

Æquatio penultima in hanc analogiam

$$3a : 2d = d^2 : x^2$$

reſoluta ſequens ſuppeditat.

Theorema: Quadratum diametri ſphæræ eſt ad quadratum diametri cylindri ipſi æqualis fere ut tripla cylindri altitudo ad diametrum ſphæræ duplam.

PROBLEMA CXLI.

299. *Data diametro ſphæræ* AB, *invenire latus tetraëdri ipſi inſcribendi* AD. Tab. II. Fig. 26.

Sit diameter ſphæræ $AB = a$, latus tetraëdri $AD = x$, erit radius circuli, cui unum e triangulis tetraëdri inſcribi poteſt $= \sqrt{\tfrac{1}{3}x^2}$ (§. 269). Sit $AC = y$, erit $CB = a - y$, conſequenter

(§. 327. *Geom.*)

$$AC : CD = CD : CB$$

$$y : \sqrt{\tfrac{1}{3}x^2} = \sqrt{\tfrac{1}{3}x^2} : a - y$$

(§. 417 *Geom.*)

$$AD^2 = AC^2 + CD$$

$$x^2 = y^2 + \tfrac{1}{3}x$$

$$\tfrac{2}{3}x^2 = y^2$$

$$\sqrt{\tfrac{2}{3}x^2} = y$$

$$ay - y^2 = \tfrac{1}{3}x^2$$

$$ay - \tfrac{2}{3}x^2 = \tfrac{1}{3}x^2$$

$$ay = x^2$$

$$a\sqrt{\tfrac{2}{3}x^2} = x^2$$

$$\tfrac{2}{3}a^2x^2 = x^4$$

$$\tfrac{2}{3}a^2 = x^2$$

$$\sqrt{\tfrac{2}{3}a^2} = x$$

Eſt ergo $x^2 : a^2 = 2 : 3$.

Theorema. Quadratum lateris tetraëdri eſt ad quadratum diametri ſphæræ, cui inſcribi poteſt, in ratione ſubſeſquialtera.

COROLLARIUM I.

300. Est ergo latus tetraëdri ad diametrum sphæræ, cui inscribitur, ut $\sqrt{2}$ ad $\sqrt{3}$, consequenter huic incommensurabile.

COROLLARIUM II.

Tab. II. Fig. 27. 301. Porro quoniam $y^2 = \frac{2}{3}x^2 = \frac{2}{3}ay$, erit $y = \frac{2}{3}a$. Patet adeo tetraëdrum sphæræ inscribi, si diameter AB in tres partes æquales dividatur fiatque $AC = \frac{2}{3}AB$.

PROBLEMA CXLII.

Tab. II. Fig. 28. 302. *Data diametro sphæræ, invenire latus cubi seu hexaëdri ipsi inscribendi* FG.

Sit diameter sphæræ, quæ diagonali cubi FH æquatur, $= a$, latus cubi $= x$; erit (§. 417 *Geom.*) $FI^2 = 2x^2$ & $FH^2 = 3x^2$, consequenter

$$3x^2 = a^2$$
$$x^2 = \frac{1}{3}a^2$$
$$x = \sqrt{\frac{1}{3}a^2}$$

Theorema. Quadratum lateris hexaëdri est ad quadratum diametri sphæræ circumscriptæ in ratione subtripla.

COROLLARIUM I.

303. Est ergo latus hexaëdri ad diametrum sphæræ, cui inscribitur, ut 1 ad $\sqrt{3}$ consequenter huic incommensurabile.

COROLLARIUM II.

Tab. II. Fig. 27. 304. Sit in diametro sphæræ $AC = \frac{2}{3}a$ & $CB = \frac{1}{3}a$; erit $AD = \sqrt{\frac{2}{9}a^2}$, consequenter $DB = \sqrt{\frac{1}{3}a^2}$ seu latus hexaëdri.

PROBLEMA CXLIII.

Tab. II. Fig. 29. 305. *Data diametro sphæræ, invenire latus octaëdri inscripti* ML.

Sit $LM = y$, diameter sphæræ circumscriptæ $HL = b$. Quoniam ML quadrantem subtendit (§. 342 *Geom.*); erit (§. 417 *Geom.*).

$$\frac{2}{4}bb \text{ seu } \frac{1}{2}bb = x^2$$
$$\sqrt{\frac{1}{2}b^2} = x$$

Theorema. Quadratum lateris octaëdri est ad quadratum diametri sphæræ circumscriptæ in ratione subdupla.

COROLLARIUM I.

306. Est ergo latus octaëdri ML ad diametrum sphæræ circumscriptæ ut 1 ad $\sqrt{2}$, adeoque huic incommensurabile.

COROLLARIUM II.

307. Si ex centro sphæræ E erigatur perpendicularis EF, erit $FA = \sqrt{\frac{1}{2}b^2}$ adeoque latus octaëdri inscribendi, id quod in ipso calculo supposuimus in futuros tamen usus sigillatim enunciandum.

PROBLEMA CXLIV.

308. *Data diametro sphæræ, invenire latus dodecaëdri* AB. Tab. II. Fig. 30.

Quoniam puncta A, C, F, H sunt in sphæra: planum per ea transiens est circulus, ut inferius in sphæricis independenter a dodecaëdro demonstrabitur. Quoniam anguli B, M; G & L, itemque latera AB, BC, CM, MF, FG, GH, HL & LA inter se æquantur (§. 475. 106 *Geom.*); $AC = CF = HF = HA$ (§. 179 *Geom.*) adeoque AHFC quadratum (§. 342 & 98 *Geom.*). Jam cum pentagona 12 in 36 triangula resolvantur per lineas diagonales, quadratum vero AHFC nonnisi 6 subtendat; omnia ista triangula a sex quadratis subtendantur necesse est, consequenter diagonalis AC est lateri hexaëdri sive cubi eidem sphæræ inscripti æqualis (§. 459 *Geom.*).

Sit latus dodecaëdri $AB = x$, diameter sphæræ $= d$, erit $AC = \sqrt{\frac{1}{3}d^2}$ (§. 302), consequenter

$\sqrt{\frac{1}{3}d^2} : x = x : \sqrt{\frac{1}{3}d^2} - x$ (§. 294).

$\frac{1}{3}d^2 - x\sqrt{\frac{1}{3}d^2} = x^2$

$\frac{1}{3}d^2 = x^2 + x\sqrt{\frac{1}{3}d^2}$
$\frac{1}{12}d^2 \qquad \frac{1}{12}d^2$

$\frac{5}{12}d^2 = x^2 + x\sqrt{\frac{1}{3}d^2} + \frac{1}{12}d^2$

$\sqrt{\frac{5}{12}d^2} = x + \sqrt{\frac{1}{12}d^2}$

$\sqrt{\frac{5}{12}d^2} - \sqrt{\frac{1}{12}d^2} = x$
h. e. $\frac{1}{2}\sqrt{\frac{5}{3}d^2} - \frac{1}{2}\sqrt{\frac{1}{3}d^2} = x$

Æquatio altera hoc fuppeditat.

Theorema. Quadratum diametri fphæræ æquatur rectangulo ex aggregato lateris dodecaëdri & hexaëdri eidem infcriptorum in triplum latus dodecaëdri.

COROLLARIUM I.

309. Si diameter fphæræ fuerit 1, erit latus dodecaëdri infcripti $\frac{1}{2}\sqrt{\frac{5}{3}} - \frac{1}{2}\sqrt{\frac{1}{3}}$, confequenter illa ad hoc, ut 2 ad $\sqrt{\frac{5}{3}} - \sqrt{\frac{1}{3}}$ & quadratum illius ad quadratum hujus ut 6 ad $3 - \sqrt{5}$. Eft ergo diameter fphæræ lateri dodecaëdri infcripti tum in fe,, tum potentia incommenfurabilis.

COROLLARIUM II.

Tab. I. Fig. 27. 310. Latus dodecaëdri eft portio major BG lateris hexaëdri DB eidem fphæræ infcripti media & extrema ratione fecti in G (§. 258).

PROBLEMA CXLV.

Tab. II. Fig. 31. 311. *Data diametro fphæræ* HM, *invenire latus icofaëdri infcripti.*

Sit ABCDEA circulus fubtendens angulum folidum icofaëdri H; erit latus icofaëdri æquale lateri pentagoni AB huic circulo infcripti (§. 475 *Geom.*). Concipiatur eidem circulo infcriptum decagonum regulare DKEFA &c. & alterum circulo alii, qui ifti parallelus & ab eo diftat intervallo radii GC; erit DN = DC (§. 279). Quodfi ergo anguli pentagonorum lineis transverfis DN, DI, EI &c. connectantur; decem prodibunt triangula æquilatera juncta decem aliis, quorum quinque a circulo fuperiore, quinque ab inferiore fubtenduntur.

Sit HM $= b$, HC $= x$, GC $= y$. Quoniam GC eft latus hexagoni; erit HG latus decagoni (§. 279) adeoque $= \sqrt{\frac{5}{4}y^2} - \frac{1}{2}y$, *vi* §. *cit.* Habemus ergo

$2\sqrt{\frac{5}{4}y^2} - y + y = b \qquad x^2 = y^2 + \frac{5}{4}y^2 - y\sqrt{\frac{5}{4}y^2}$
h. e. $2\sqrt{\frac{5}{4}y^2} = b \qquad\qquad + \frac{1}{4}y^2$

$5y^2 = b^2 \qquad x^2 = \frac{5}{2}y^2 - y\sqrt{\frac{5}{4}y^2}$

$y^2 = \frac{1}{5}b^2 \qquad x^2 = \frac{1}{2}b^2 - \sqrt{\frac{1}{20}b^4}$
$\qquad\qquad$ feu $\frac{1}{2}b^2 - \frac{1}{2}b\sqrt{\frac{1}{5}b^2}$

$y = \sqrt{\frac{1}{5}}b = b : \sqrt{5}$

$x = \sqrt{(\frac{1}{2}b^2 - \frac{1}{2}b\sqrt{\frac{1}{5}b^2})}$

Tab. II. Fig. 27. *Conftructio.* Fiat AH $=$ AB $= b$, erit EH $= \sqrt{\frac{5}{4}b^2}$ (§. 417 *Geom.*) & ob EH : AH = EK : IK, hoc eft, $\frac{1}{2}b\sqrt{5} : b = \frac{1}{2}b : \frac{b}{\sqrt{5}}$ (§. 268 *Geom.*) IK $= b : \sqrt{5}$. Eft ergo IK radius circuli, cui pentagonum icofaëdri infcribitur. Porro EI $= b : 2\sqrt{5} = \frac{1}{2}\sqrt{\frac{1}{5}b^2}$ (§. *cit. Geom.*) & hinc AI $= \frac{1}{2}b - \frac{1}{2}\sqrt{\frac{1}{5}b^2}$. Unde tandem AK $= \sqrt{(\frac{1}{2}b^2 - \frac{1}{2}b\sqrt{\frac{1}{5}b^2})} = x$ (§. 330 *Geom.*).

COROLLARIUM I.

312. Quoniam $5y^2 = b^2$; quadratum diametri fphæræ eft in ratione quintupla ad quadratum radii circuli angulum folidum icofaëdri fubtendentis.

COROLLARIUM II.

313. Liquet etiam, latus icofaëdri diametro fphæræ circumfcriptæ tum in fe, tum potentia incommenfurabile effe.

SCHO-

SCHOLION I.

314. *Si diameter sphæræ fuerit* 10000 *erit* (§. 299. 305. 302. 311. 308) *latus tetraëdri inscripti* 81149, *octaëdri* 70710, *hexaëdri* 57736, *icosaëdri* 52573, *dodecaëdri* 35682 (*a*).

SCHOLION II.

315. *Cum ex diametro sphæræ corporibus regularibus circumscriptæ invenire possimus latera eorum; non difficile foret, inde ulterius dicere tum superficies, tum soliditates eorundem, easque tum inter se, tum cum quadrato & cubo diametri sphæræ conferre: sed quoniam hæc doctrina rarissimi est usus, eam prætermittendam esse judicamus.*

CAPUT IV.

De Algebra ad Trigonometriam Planam applicata.

PROBLEMA CXLVI.

316. *Datis basi* HI *trianguli cujuscunque & angulis ad basin* H *&* I, *invenire altitudinem.*

Tab.II. Fig. 21. n. 1. Sit HI $= a$, LM $= x$, sinus anguli MIL $= s$, ejus Cosinus $= c$; sinus anguli LHM $= p$, ejus Cosinus $= q$. Erit (§. 33 *Trigon.*) $s : x = c$: MI & $p : x = q$: HM. Unde reperitur MI $= cx : s$ & HM $= qx : p$ (§. 302 *Arithm.*). Quare (§. 87 *Arithm.*).

$$cx : s + qx : p = a$$

$$pcx + sqx = asp$$

$$x = asp : (pc + sq)$$

Æquatio penultima in hanc analogiam

$$pc + sq : sp = a : x$$

resoluta sequens exhibet

Theorema. In omni triangulo HIL basis HI est ad altitudinem ML, ut summa rectangulorum ex sinu anguli obliqui ad basin unius in Cosinum alterius se habet ad rectangulum ex sinibus angulorum ad basin.

Aliter.

Sumatur ML pro sinu toto, erunt HM & MI tangentes angulorum HLM & MLI, seu cotangentes datorum H & I. Sint sinus totus $= t$, Cotangentes $= m$ & n, LM $= x$, HI $= a$; erit $t : m = x$: HM & $t : n = x$: MI (§. 40 *Trigon.*), consequenter HM $= mx : t$, MI $= nx : t$, adeoque (§. 87 *Arithm.*).

$$a = (mx + nx) : t$$

$$at = mx + nx$$

$$at : (m + n) = x$$

Theorema. Basis trianguli est ad altitudinem ut summa Cotangentium angulorum ad basin ad sinum totum.

PROBLEMA CXLVII.

317. *Datis summa crurum* HL + LI *una cum angulis ad basin* H & I, *invenire crura* HL & LI. Tab. II. Fig. 21. n. 1.

Sit HL + LI $= a$, sinus H $= m$, sinus I $= n$, HL $= x$, erit IL $= a - x$. Quare (§. 33 *Trigon.*).

(*a*) Herigonius Curs. Mathem. Tom. I. p. 779.

$$x : n = a - x : m$$
$$mx = na - nx$$
$$mx + nx = na$$
$$x = na : (m + n)$$

$a - x = (ma + na - na) : (m + n) = ma : (m + n)$

Theorema. Summa crurum trianguli HL + LI est ad crus unum HL ut summa sinuum angulorum ad basin H & I ad sinum anguli I cruri isti HL oppositum.

PROBLEMA CXLVIII.

Tab.II. Fig.21. 318. *Datis angulis ad basin* H & I *una cum segmento baseos uno* HM, *invenire segmentum alterum* MI.

Sit HM $= a$, MI $= x$, sinus anguli H $= m$, ejus Cosinus $= n$; sinus anguli I $= p$, ejus Cosinus $= q$. Erit (§. 33 *Trigon.*) $n : a = m$: ML. Reperitur adeo ML $= am : n$. Porro *vi* §. *cit.* $q : x = p$: ML. Reperitur itaque ML $= px : q$. Quare §. 81 *Arithm.*),

$$px : q = am : n$$
$$pnx = amq$$
$$x = amq : pn$$

Est adeo $pn : mq = a : x$

Theorema. Si ex vertice trianguli L in basin HI perpendiculum demittitur; segmentum unum HM est ad alterum MI ut rectangulum ex sinu anguli segmento MI adjacentis in Cosinum anguli segmento HM adjacentis ad rectangulum ex sinu anguli H in Cosinum anguli I.

PROBLEMA CXLIX.

Tab. I. Fig. 3. 319. *Datis area trianguli rectanguli* ABC *una cum angulo* C, *invenire crura* AB & BC.

Sit area $= b^2$ BC $= x$

Sinus totus $= r$, erit BA $= 2b^2 : x$ (§. 394 *Geom.*)

Tangens $c = t$

Quare (§. 40 *Trigon.*)

$$x : \frac{2b^2}{x} = r : t$$
$$x^2 : 2b^2 = r : t$$
$$x^2 = 2rb^2 : t$$
$$x = \sqrt{(2rb^2 : t)}$$

Theorema: Area trianguli rectanguli est ad quadratum cruris unius BC ut tangens dimidia anguli adjacentis C ad sinum totum.

Constructio: Intra crura anguli dati ADM erigatur perpendicularis FE, puncto E pro lubitu assumto, erit DE $= r$ & FE $= t$ (§. 7 *Trigon*). Fiat DG $=$ FE, DH $= b$ & agatur ipsi EG parallela HI: erit DI $= br . t$ (§. 271 *Geom.*). Fiat MI $= 2b$ & quæratur inter MI & DI media proportionalis IK (§. 327 *Geom.*), quæ erit crus unum. Dividatur MI bifariam in L & fiat IN $=$ LI, ducaturque NO ipsi MK parallela, erit IO $= 2b^2 : x$ §. 271 *Geom.*), adeoque crus alterum, consequenter KOI, triangulum quæsitum. Tab.II. Fig.32.

Aliter. Sit EDA angulus datus. Fiat DA $= 2b$ & erigatur AE perpendicularis ad DA: erit simul DA $= r$ & AE $= t$ (§. 7. *Trigon.*). Producatur EA in infinitum & in D erigatur ad ED perpendicularis DG, erit AG $= \frac{2br}{t}$ (§. 327 *Geom.* Fiat AH $=$ AG & AI $= \frac{1}{2}$ AD $= b$, erit descripto super IH semicirculo AL $= \sqrt{\frac{2b^2r}{t}}$. Fiat denique AB $=$ AL & ducatur BC cruri anguli dati DE parallela; erit triangulum BAC quæsitum. Tab. XII. Fig. 117.

PROBLEMA CL.

320. *Data subtensa arcus* AB *quadrante minoris una cum radio circuli* CE, *invenire subtensam* CB *arcus compositi ex arcu* AB & *ejus complemento dimidio ad semicirculum.* Tab. III. Fig.33.

Applicetur AB diametro CD parallela & fiat DF $=$ AB, ducanturque rec-

rectæ EB, AD & BF. Quoniam $x = o$ (§. 315 *Geom.*), & ob parallelismum linearum AD & BF (§. 257 *Geom.*) $x = y$ (§. 233 *Geom.*); erit $o = y$ (§. 87 *Arithm.*). Est vero etiam ob CE=EB (§. 40 *Geom.*) $u = o$ (§. 184 *Geom.*) $= y$, consequenter CF : CB=CB : CE (§. 267 *Geom.*). Sit jam AB$=a$, CE$=r$, CB$=x$; erit CF$= a + 2r$, consequenter.

$$a + 2r : x = x : r$$

$$ar + 2r^2 = x^2$$

$$\sqrt{(ar + 2r^2)} = x$$

COROLLARIUM I.

321. Cum angulus CBD sit rectus (§. 317 *Geom.*); erit $BD^2 = 4r^2 - ar - 2r^2 = 2r^2 - ar$ (§. 417 *Geom.*), consequenter BD subtensa dimidii complementi ad semicirculum arcus $AB = \sqrt{(2r^2 - ar)}$.

COROLLARIUM II.

322. Quadratum ergo chordæ DB arcum quadrante minorem subtendentis æquatur rectangulo ex radio CE in differentiam chordæ diametro parallelæ ex puncto B ductæ AB a diametro CD.

COROLLARIUM III.

323. Quadrata chordarum CB & BD, quæ ambæ simul semicirculum subtendunt, sunt inter se ut $2r^2 + ar$ ad $2r^2 - ar$ (§. 319. 320), hoc est, ut $2r + a$ ad $2r - a$ (§. 181 *Arithm.*), hoc est, ut aggregatum ex diametro CD & chorda AB ex puncto concursus B eidem parallela ducta, ad differentiam hujus chordæ a diametro.

PROBLEMA CLI.

Tab.II. Fig.34. 324. *Datis in quadrilatero circulo inscripto lateribus* AE, EB, BC *&* AC *una cum diagonali* EC, *invenire diagonalem* AB.

Sit AE$=a$, EB$=b$, BC$=c$, AC$=d$, EC$=f$, AB$=y$. Ducatur EF, ita ut sit $o = x$ (§. 208 *Geom.*). Quoniam praeterea ACE=ABE (§. 315 *Geom.*); erit EC : AC=EB : BF, hoc est, $f : d = b$: BF (§. 267 *Geom.*). Reperitur ergo BF$= bd : f$. Quoniam porro EAB=ECB (§. 315 *Geom.*) & AEF=CEB (§. 88 *Arithm.*); erit EC (f): CB (c) =EA (a) : AF$(ac : f)$ (§. 267 *Geom.*). Quare (§. 86 *Arithm.*).

$$(bd + ac) : f = y$$

$$bd + ac = fy$$

Theorema. In quadrilatero circulo inscripto AEBC rectangulum ex diagoniis EC & AB æquatur rectangulis ex lateribus oppositis EB in AC & EA in BC.

PROBLEMA CLII.

325. *Dato sinu anguli simpli, invenire sinus & Cosinus angulorum multiplorum.*

Sit angulus quicunque A, fiat AB=BD=DF=FH=HL=LM=MP=PQ=QT=TV: erit A=ADB (§. 184 *Geom.*), EBD =A + ADB (§. 239 *Geom.*) =2A, *per demonstr.* Eodem modo ostenditur, esse FDH=A + DFA =3A; HFL=A + AHF=4A; LHK A + ALH= 5A; PLM=A + AML=6A &c. Demittantur perpendiculares BC, DE, FG, IH, LK, MN &c. Quodsi AB sumatur pro sinu toto; erit BC sinus, AC Cosinus anguli simpli A; ED sinus, BE Cosinus anguli dupli, FG sinus, DG Cosinus anguli tripli, &c. (§. 2. 11. *Trigon.*). Tab. III. Fig. 35.

Sit AB$=r$, EC$= b$, AC$=a$, erit ob angulum A utrique △△ BAC

& EAD communem & rectos ad C & E æquales (§. 267 *Geom.*):

$$AB : BC = AD : DE$$
$$r : b = 2a : \frac{2ab}{r}$$
$$AB : AC = AD : AE$$
$$r : a = 2a : \frac{2a^2}{r}$$

Ergo $BE = AE - AB = 2a^2 : r - r = (2a^2 - r^2) : r$. Est vero $r^2 = a^2 + b^2$ (§. 417 *Geom.*). Ergo $BE = (2a^2 - a^2 - b^2) : r = (a^2 - b^2) : r$ & $AF = AE + EF = (3a^2 - b^2) : r$.

$$AB : BC = AF : FG \text{ (§. 268. Geo.)}$$
$$r : b = \frac{3a^2 - b^2}{r} : \frac{3a^2b - b^3}{r^2}.$$
$$AB : AC = AF : AG$$
$$r : a = \frac{3a^2 - b^2}{r} : \frac{3a^3 - ab^2}{r^2}$$

Ergo $DG = AG - AD = (3a^3 - ab^2) : r^2 - 2a = (3a^3 - ab^2 - 2ar^2) : r^2 =$ (substituto valore ipsius $r^2 = a^2 + b^2$), $(a^3 - 3ab^2) : r^2$, consequenter $AH = AG + GH = (4a^3 - 4ab^2) : r^2$;

$$AB : BC = AH : HI$$
$$r : b = \frac{4a^3 - 4ab^2}{r^2} : \frac{4a^3b - 4ab^3}{r^3}$$
$$AB : AC = AH : AI$$
$$r : a = \frac{4a^3 - 4ab^2}{r^2} : \frac{4a^4 - 4a^2b^2}{r^3}$$

Quia $FA = (3a^2 - b^2) : r = (3a^2 - b^2) r^2 : r^3 = (3a^2 - b^2)(a^2 + b^2) : r^3 = (3a^4 + 2a^2b^2 - b^4) : r^3$ ideo erit $FI = AI - AF = (a^4 - 6a^2b^2 + b^4) : r^3$.

Eodem prorsus modo reperitur

$KL = (5a^4b - 10a^2b^3 + b^5) : r^4$

& $HK = (a^5 - 10a^3b^2 + 5ab^4) : r^4$;

$MN = (6a^5b - 20a^3b^3 + 6ab^5) : r^5$

& $LN = (a^6 - 15a^4b^2 + 15a^2b^4 - b^6) : r^5$;

$PO = (7a^6b - 35a^4b^3 + 21a^2b^5 - b^7) : r^6$

& $QR = (a^7 - 21a^5b^2 + 35a^3b^4 - 7ab^6) : r^6$

Si itaque radius seu sinus totus $= r$, erit sinus anguli

simpli b

dupli $2ba : r$

tripli $(3ba^2 - b^3) : r^2$

quadrupli $(4ba^3 - 4b^3a) : r$

quintupli $(5ba^4 - 10b^3a^2 + b^5) : r^4$

sextupli $(6ba^5 - 20b^3a^3 + 6b^5a) : r^5$

septupli $(7ba^6 - 35b^3a^4 + 21b^5a^2 - b^7) : r^6$

&c.

Hinc patet lex progressionis in infinitum. Componitur nimirum formula pro sinu anguli multipli ex termino secundo, quarto, sexto, octavo &c. binomii ex cosinu a & sinu anguli simpli b compositi ad eam dignitatem evecti, cujus exponens idem est cum exponente multipli, signis $+$ & $-$ alternantibus (§. 95).

Hinc formula generalis in casu indefinito emergit

$$\frac{m}{1.r^{m-1}}\, ba^{m-1} - \frac{m.m-1.m-2}{1.2.3.r^{m-1}}\, b^3a^{m-3} + \frac{m.m-1.m-2.m-3.m-4}{1.2.3.4.5.r^{m-1}}\, b^5a^{m-5} + \frac{m.m-1.m-2.m-3.m-4.m-5.m-6}{1.2.3.4.5.6.7.r^{m-1}}\, b^7a^{m-7} \text{ \&c.}$$

Similiter si sinus totus $= r$, erit cosinus anguli

simpli a

dupli $(a^2 - b^2) : r$

tripli $(a^3 - 3ab^2) : r^2$

quadrupli $(a^4 - 6a^2b^2 + b^4) : r^3$

quintupli $(a^5 - 10a^3b^2 + 5ab^4) : r^4$

sextupli $(a^6 - 15a^4b^2 + 15a^2b^4 - b^6) : r^5$

septupli $(a^7 - 21a^5b^2 + 35a^3b^4 - 7ab^6) : r^6$

&c.

Unde denuo patet lex progressionis in infinitum. Nimirum formulæ componuntur ex terminis primo, tertio, quinto, septimo, nono &c. binomii ex cosinu a & sinu anguli simpli b compositi ad eam dig-

dignitatem evecti, cujus exponens est idem cum exponente multipli anguli desiderati signis + & — alternantibus (§. 95). Erit ergo formula generalis in casu indefinito

$$a^m - \frac{m.m-1}{1.2.r^{m-1}} b^2 a^{m-2}$$

$$+ \frac{m.m-1.m-2.m-3}{1.2.3.4.r^{m-1}} b^4 a^{m-4}$$

$$- \frac{m.m-1.m-2.m-3.m-4.m-5}{1.2.3.4.5.6.r^{m-1}} b^6 a^{m-6} +$$

$$\frac{m.m-1.m-2.m-3.m-4.m-5.m-6.m-7}{1.2.3.4.5.6.7.8.r^{m-1}} b^8 a^{m-8}$$

&c. Quoniam $b^2 = r^2 - a^2$ (§. 16 *Trig.*) & ipsius b^2 potentiæ sunt etiam rationales; substituto hoc valore sive in formula generali, sive in specialibus, prodit Cosinus anguli multipli per solum Cosinum simpli & radium determinatus. Ita reperietur Cosinus anguli

dupli, $\frac{a^2-b^2}{r} = \frac{a^2-r^2+a^2}{r} = \frac{2a^2}{r} - r$

tripli, $\frac{a^3-3ar^2+3a^3}{r^2} = \frac{4a^3}{r^2} - 3a$

quadrup. $\frac{a^4-6a^2r^2+6a^4+r^4-2a^2r^2+a^4}{r^3}$

$$= \frac{8a^4}{r^3} - \frac{8a^2}{r} + r$$

quint. $\frac{a^5-10a^3r^2+10a^5+5ar^4-10a^3r^2+5a^5}{r^4}$

$$= \frac{16a^5}{r^4} - \frac{20a^3}{r^2} + 5a.$$

Similiter ex sinuum formula excluditur Cosinus, si valor ipsius $a = \sqrt{(r^2-b^2)}$ substituitur: quamvis ea non sit ab irrationalitate libera.

COROLLARIUM.

326. Cum sinus sit chordæ dimidium (§. 2. *Trigon.*), si chorda arcus simpli dicatur b & chorda ejus complementi ad quadrantem a, & diameter r; per easdem formulas chordæ arcuum multiplorum determinantur. Quoniam vero data chorda datur etiam arcus; per easdem formulas arcus per datum numerum multiplicari potest.

PROBLEMA CLIII.

327. *Data tangente arcus simpli, invenire tangentem arcus multipli.*

Cum sit ut Cosinus $a^m - \frac{m.m-1}{1.2.r^{m-1}} b^2 a^{m-2}$ + &c. ad sin. $\frac{m}{r^{m-1}} b a^{m-1} - \frac{m.m-1.m-2}{1.2.3.r^{m-1}} b^3 a^{m-3}$ &c. ita radius r ad tangentem (§. 26 *Trigon.*); erit tangens (assumtis ad abbreviandum calculum pro coëfficientibus cosinuum A, B, C, D, E, pro coëfficientibus sinuum P, Q, R, S, T excluso tamen in divisoribus r^{m-1}) =

$$\frac{Prba^{m-1} - Qrb^3a^{m-3} + Rrb^5a^{m-5} - Srb^7a^{m-7}}{a^m - Ab^2a^{m-2} + Bb^4a^{m-4} + Cb^6a^{m-6}} \text{ &c.}$$

Sit tangens anguli simpli t, erit (§. *cit. Trigon.*) $a:b = r:t$, consequenter $a = br:t$. Quodsi hic valor in locum ipsius a substituatur, prodit formula tangentis

$$\frac{\frac{Pb^mr^m}{t^{m-1}} - \frac{Qb^mr^{m-2}}{t^{m-3}} + \frac{Rb^mr^{m-4}}{t^{m-5}} - \frac{Sb^mr^{m-6}}{t^{m-7}}}{\frac{b^mr^m}{t^m} - \frac{Ab^mr^{m-2}}{t^{m-2}} + \frac{Bb^mr^{m-4}}{t^{m-4}} - \frac{Cb^mr^{m-6}}{t^{m-6}}} \text{ &c.}$$

Quodsi ulterius hæc formula dividatur per b^m & multiplicetur per t^m, prodibit tangens indefinita

$$\frac{Pr^mt - Qr^{m-2}t^3 + Rr^{m-4}t^5 - Sr^{m-6}t^7}{r^m - Ar^{m-2}t^2 + Br^{m-4}t^4 - Cr^{m-6}t^6} \text{ &c.}$$

Substitutis tandem valoribus P, Q, R, S & A, B, C, &c. tangentium formula erit

$$\Big(\frac{m}{1} r^m t - \frac{m.m-1.m-2}{1.2.3} r^{m-2} t^3 +$$

$$\frac{m.m-1.m-2.m-3.m-4}{1.2.3.4.5} r^{m-4} t^5 -$$

$$\frac{m.m-1.m-2.m-3.m-4.m-5.m-6}{1.2.3.4.5.6.7} r^{m-6} t^7 \text{ &c.}\Big)$$

$$:\left(r^m - \frac{m.m-1}{1.2} r^{m-2} t^2 + \frac{m.m-1.m-2.m-3}{1.2.3} r^{m-4} t^4 + \frac{m.m-1.m-2.m-3.m-4.m-5}{1.2.3.4.5.6} r^{m-6} t^6 \text{ \&c.}\right)$$

Apparet adeo, ſi binomium ex radio & tangente $r + t$ ad dignitatem indeterminatam elevetur (§. 95), fractionis, quæ tangentem indefinitam exprimit, denominatorem componi ex terminis imparibus, numeratorem vero ex terminis paribus, ſed per radium multiplicatis & utrobique ſignis + atque — alternantibus.

PROBLEMA CLIV.

328. *Data ſecante arcus ſimpli, invenire ſecantem multipli.*

Quoniam ſecans eſt tertia proportionalis ad Coſinum & radium (§. 26 *Trigon.*), erit (§. 325) aſſumtis pro coëfficientibus Coſinus (excluſo tamen in diviſoribus r^{m-1}) A, B, C, D &c. ſecans indeterminata:

$$\frac{r^{m+1}}{a^m - Ab^2 a^{m-2} + Bb^4 a^{m-4} - Cb^6 a^{m-6}} \text{ \&c.}$$

Eſt vero $r : b = ſ : t$ (§. *cit. Trig.*): unde eruitur $r = bſ : t$. Hoc valore in formula ſecantis ſubſtituto, mutatur ea in ſequentem:

$$\frac{rb^m ſ^m}{a^m t^m - Ab^2 a^{m-2} t^m + Bb^4 a^{m-4} t^m} \text{ \&c.}$$

Porro $a : b = r : t$ (§. *cit. Trigon.*), adeoque $a = br : t$. Subſtituto itaque valore ipſius a in formula proxime præcedente; prodibit

$$\frac{rb^m ſ^m}{b^m r^m - Ab^m r^{m-2} t^2 + Bb^m r^{m-4} t^4} \text{ \&c.}$$

Si tandem hæc formula dividatur per rb^m, determinabitur valor ſecantis indefinitæ ex tangente & ſecante anguli ſimpli

$$\frac{ſ^m}{r^{m-1} - Ar^{m-3} t^2 + Br^{m-5} t^4 + Cr^{m-7} t^6} \text{ \&c.}$$

CAPUT V.

De Extractione Radicum ex Æquationibus altioribus.

PROBLEMA CLV.

329. *EXplicare naturam æquationum.*

1. Aſſumantur tot valores quantitatis incognitæ, quot libuerit, formenturque inde ſimplices æquationes, ſed nihilo æquales.

2. Æquationes ſimplices in ſe invicem ducantur; ita prodibunt æquationes altiores, quarum conſideratio earum proprietates manifeſtabit.

Sit	$x = 2$			$x = a$
	$x = -3$			$x = -b$
	$x = 4$			$x = c$
erit	$x - 2 = 0.$	I		$x - a = 0$
	$x + 3 = 0.$	II		$x + b = 0$
	$x - 4 = 0.$	III		$x - c = 0$

Multiplicetur primo æquatio I per æquationem II & factum denuo per æquationem III.

$x - 2$

$$\begin{array}{r}
x-2=0\\
x+3=0\\
\hline
+3x-6\\
x^2-2x\\
\hline
x^2+x-6=0\\
x-4=0\\
\hline
-4x-4x+24\\
x^3+x^2-6x\\
\hline
x^3-3x^2-10x+24=0
\end{array}
\qquad
\begin{array}{l}
x-a=0\\
x+b=0\\
\hline
x^2+bx-ab=0\\
\quad -ax\\
x-c=0\\
\hline
x^3-cx^2-bcx+abc=0\\
+bx^2+acx\\
-ax^2-abx
\end{array}$$

Ad has æquationes attendens (quæ facile ad superiores gradus evehi possunt) sequentia observabit:

1. *Quantitatem cognitam secundi termini esse summam radicum, sed signo contrario affectarum; quantitatem cognitam tertii esse summam productorum ex singulis binis; quantitatem cognitam quarti esse summam productorum ex singulis ternis &c. terminum denique ultimum esse factum omnium radicum.* E. gr. in æquatione quadratica termini secundi quantitas cognita $1 = 3 - 2$. Radices vero sunt $+2$ & -3. Similiter in cubica quantitas cognita secundi termini $-3 = +3 - 4 - 2$. Radices sunt $-3, +4$ & $+2$. Quantitas cognita termini tertii in æquatione cubica $-10 = -6 + 8 - 12$. Radices sunt, $+2, -3$ & $+4$. In eadem terminus ultimus $+24 = 2.3.4$.
2. *Quamlibet æquationem tot habere radices, quot quantitas incognita primi termini dimensiones, seu exponens unitates.* E. gr. in æquatione quadratica x^2 duas habet dimensiones: radices duæ sunt $+2$ &-3. In æquatione cubica x^3 tres habet dimensiones, radices tres sunt $+2$, -3 & $+4$.
3. *In qualibet æquatione tot esse radices veras, quot sunt signorum permutationes; tot esse falsas, quot eorundem successiones.* E. gr. in æquatione quadratica $x^2 + x - 6 = 0$, una est signorum successio $++$, una permutatio $+-$. Æquatio vero habet radices duas, alteram veram $+2$, alteram falsam -3. In æquatione cubica $x^3 - 3x^2 - 10x + 24 = 0$ duæ sunt signorum permutationes $+-$ & $-+$; una successio $--$. Radices vero tres habet, duas quidem veras $+2$ & $+4$, unam falsam -3.

SCHOLION I.

330. *Theoremata duo priora ex ipsa æquationem genesi haud difficulter demonstrantur: tertium vero, quod* Harriotus *per inductionem invenit, nemo hactenus demonstrare potuit.*

SCHOLION II.

331. *Ceterum non est, quod miremur, unam æquationem multas habere posse radices. Unius enim ejusdemque problematis varii esse possunt casus & in singulis casibus ad eandem pervenitur æquationem: quemadmodum exempla in Quadraticis supra habuimus (§. 169. 162.). Quoniam tamen casus quidam interdum impossibiles sunt; radices quoque impossibiles esse debent.*

COROLLARIUM.

332. Radices veræ mutantur in falsas & falsæ in veras, si signa terminorum alternorum mutentur. E. gr. æquatio $x^3 - 3x^2 - 10x + 24 = 0$ duas habet radices veras, unam falsam; sed si scribas $x^3 + 3x^2 - 10x - 24$, duæ sunt signorum successiones $++$ & $--$; una vero permutatio $+-$ adeoque æquatio duas radices falsas, veram unam habet.

PROBLEMA CLVI.

333. *Radicem æquationis augere vel minuere quantitate data.*

Sit æquatio $x^3 - 6x^2 + 13x - 10 = 0$. Invenienda eſt æquatio alia, in qua radix $x + 3$.

Fiat $x + 3 = y$

$$
\begin{array}{rl}
\text{erit } x = & y - 3 \\
x^2 = & y^2 - 6y + 9 \\
x^3 = & y^3 - 9y^2 + 27y - 27 \\
-6x^2 = & \quad - 6y^2 + 36y - 54 \\
+13x = & \qquad + 13y - 39 \\
-10 = & \qquad\qquad - 10 \\
\hline
0 = & y^3 - 15y^2 + 76y - 130
\end{array}
$$

En æquationem novam, in qua $y = x + 3$!

Sit e contrario in æquatione modo inventa radix minuenda binario.

$$
\begin{array}{rl}
\text{Fiat } y - 2 = & x \\
\text{erit } y = & x + 2 \\
y^2 = & x^2 + 4x + 4 \\
y^3 = & x^3 + 6x^2 + 12x + 8 \\
-15y^2 = & \quad - 15x^2 - 60x - 60 \\
+76y = & \qquad + 76x + 152 \\
-130 = & \qquad\qquad - 130 \\
\hline
0 = & x^3 - 9x^2 + 18x - 30.
\end{array}
$$

En æquationem novam, in qua $x = y - 2$!

COROLLARIUM I.

334. Quodſi radicem augeas quantitate radice falſa maxima majore; radices falſæ evadunt veræ, & contra ſi radicem minuas quantitate radice vera maxima majore, veræ evadunt falſæ. Si enim $y = -4$ & fiat $y + 5 = x$; erit $x = 5 - 4 = 1$. Contra ſi $y = 3$ & fiat $y - 4 = x$; erit $3 - 4 = -1 = x$. Dum itaque radicem minuimus quantitate quadam data, facile accidit ut radices veræ in falſas mutentur.

COROLLARIUM II.

335. Dum radices veræ augentur, falſæ minuuntur. Nam ſi $y = 3$ & $= -5$, fiatque $y + 4 = x$; erit $x = 3 + 4 = 7$ & $y = 4 - 5 = -1$. Similiter ſi fiat $y - 2 = x$; erit $x = 3 - 2 = 1$ & $y = -5 - 2 = -7$.

PROBLEMA CLVII.

336. *Radicem æquationis per quantitatem datam multiplicare.*

Sit e. gr. radix æquationis $x^3 + px^2 + qx - r = 0$ multiplicanda per a.

$$
\begin{array}{rl}
\text{Fiat } ax = & y \\
\text{erit } x = & y : a \\
x^2 = & y^2 : a^2 \\
x^3 = & y^3 : a^3 \\
+px^2 = & +py^2 : a^2 \\
+qx = & +qy : a \\
-r = & -r
\end{array}
$$

$$\frac{y^3}{a^3} + \frac{py^2}{a^2} + \frac{qy}{a} - r = 0.$$

$$y^3 + apy^2 + a^2qy - a^3r = 0$$

En æquationem novam, in qua $y = ax$!

COROLLARIUM I.

337. Hinc manifeſtum eſt, æquationem datam tantum multiplicari debere per progreſſionem geometricam, in qua terminus primus, denominator rationis quantitas, per quam radix multiplicari jubetur. Sit e. gr. in æquatione $x^4 + 4x^3 - 19x^2 - 106x - 120 = 0$ radix multiplicanda per 2. Ita ergo procedendum.

$$
\begin{array}{ccccc}
x^4 + & 4x^3 - & 19x^2 - & 106x - & 120 = 0 \\
1 & 2 & 4 & 8 & 16 \\
\hline
y^4 + & 8y^3 - & 76y^2 - & 848y - & 1920 = 0
\end{array}
$$

En

En æquationem, in qua $y = 2x$!

Similiter sit radix æquationis $x^3 - 3x + 1 = 0$ multiplicanda per 3.

$$x^3 * - 3x + 1 = 0$$
$$1 \quad 3 \quad 9 \quad 27$$
$$y^3 * - 27x + 27 = 0$$

En æquationem, in qua $y = 3x$.

SCHOLION.

338. *Stellula repleri solent loca vacua, in quibus termini æquationis deficiunt.*

PROBLEMA CLVIII.

339. *Radicem æquationis per quantitatem datam dividere.*

Sit æquationis $x^3 = px^2 + qx - r = 0$ radix dividenda per a.

Fiat $x : a = y$

$$\begin{aligned} \text{erit} \quad x &= ay \\ x^2 &= a^2y^2 \\ x^3 &= a^3y^3 \\ -px^2 &= -a^2py^2 \\ +qx &= +aqy \\ -r &= -r \end{aligned}$$

$$a^3y^3 - a^2py^2 + aqy - r = 0$$
$$y^3 - \frac{py^2}{a} + \frac{qy}{a^2} - \frac{r}{a^3} = 0$$

En æquationem novam, in qua $y = x : a$!

COROLLARIUM.

340. Apparet adeo, non alia re opus esse, quam ut æquatio data dividatur per progressionem geometricam, cujus terminus primus 1, denominator rationis quantitas, per quam radix dividenda. Sit e. gr. radix æquationis $x^4 + 8x^3 - 76x^2 - 848x - 1920 = 0$ dividenda per 2. Ita igitur procedendum:

$$x^4 + 8x^3 - 76x^2 - 848x - 1920 = 0$$
$$1 \quad 2 \quad 4 \quad 8 \quad 16$$
$$y^4 + 4y^3 - 19y^2 - 106y - 120 = 0$$

In hac æquatione $y = \frac{1}{2}x$.

Similiter si radix æquationis $x^3 * - 36x - 54 = 0$ dividatur per 3; erit

$$x^3 * - 36x - 54 = 0$$
$$1 \quad 3 \quad 9 \quad 27$$
$$y^3 * - 4y - 2 = 0.$$

In hac æquatione $y = \frac{1}{3}x$.

PROBLEMA CLIX.

341. *Complere æquationem, in qua termini quidam deficiunt.*

Radix æquationis augenda est quantitate data.

Sit e.gr. æquatio $x^3 * - 23x - 70 = 0$.

Fiat $x + 1 = y$

$$\begin{aligned} \text{erit} \quad x &= y - 1 \\ x^2 &= y^2 - 2y + 1 \\ x^3 &= y^3 - 3y^2 + 3y - 1 \\ -23x &= -23y + 23 \\ -70 &= -70 \end{aligned}$$

$$y^3 - 3y^2 - 20y - 48 = 0.$$

Habetur hic æquatio completa, in qua $y = x + 1$.

SCHOLION.

342. *Idem problema solvi potest radicem æquationis quantitate data minuendo: sed cum hac ratione metuendum sit, ne radices veræ in falsas mutentur (§. 333) consultius est, ut radicem æquationis augeamus.*

PROBLEMA CLX.

343. *Secundum terminum ex æquatione tollere.*

Sit in æquatione $x^3 \mp px^2 - qx + r = 0$ tollendus secundus terminus px^2.

Fiat

Fiat $t+x=y$

erit $x=y-t$

$$x^2=y^2-2ty+t^2$$

$$\begin{aligned} x^3 &= y^3-3ty^2+3t^2y-t^3 \\ \mp px^2 &= \mp py^2 \mp 2pty \mp pt^2 \\ -qx &= \qquad -qy+qt \\ +r &= \qquad +r \end{aligned}$$

Ut secundus terminus tollatur, fieri debet

$$-3t-p=0$$

Unde erit $-3t=p$

$$t=-\tfrac{1}{3}p$$

Quodsi fuerit $+px^2$, erit

$$-3t+p=0$$

$$-3t=-p$$

$$t=+\tfrac{1}{3}p$$

Et in genere, si fuerit $x^m \mp px^{m-1}$ &c. & fiat $x=y-t$, erit

$$x^m=y^m-mty^{m-1} \text{ \&c.}$$

$$\mp px^{m-1}=\mp py^{m-1} \text{ \&c.}$$

consequenter in casu primo

$$-mt-p=0$$

$$-mt=-p$$

$$t=p:m$$

in casu autem altero

$$-mt+p=0$$

$$-mt=-p$$

$$t=-p:m$$

Unde patet

Regula: Si terminus secundus sit positivus, augeatur; si privativus, minuatur radix quantitate cognita secundi termini per exponentem primi divisa.

Sit e. g. ex aequatione $x^3-8x^2-x+8=0$ tollendus medius terminus.

Fiat $x-8:3=y$

erit $x=y+8:3$

$$x^2=y^2+16y:3+64:9$$

$$\begin{aligned} x^3 &= y^3+8y^2+64y:3+512:27 \\ -8x^2 &= -8y^2-128y:3-512:9 \\ -x &= \qquad -y \qquad -8:3 \\ 8 &= \qquad\qquad +8 \end{aligned}$$

$$y^3 * -67y:3-880:27=0$$

In hac aequatione $y=x-8:3$

COROLLARIUM I.

344. Quodsi ex aequatione quadratica affecta secundus terminus aufertur, ad puram reducitur, sicque ea alio adhuc modo resolvi potest. Si e. gr. $x^2-8x+15=0$.

Fiat $x-4=y$

erit $x=y+4$

$$\begin{aligned} x^2 &= y^2+8y+16 \\ -8x &= -8y-32 \\ +15 &= \qquad +15 \end{aligned}$$

$$y^2-1=0$$

$$y=1$$

Consequenter $x=1+4=5$.

COROLLARIUM II.

345. Secundo termino sublato, aequationes cubicae ad tres casus reducuntur. Nimirum

$$x^3 * -px-r=0$$
$$x^3 * +px-r=0$$
$$x^3 * -px+r=0$$

PROBLE-

Problema CLXI.

346. *Ex æquatione terminum tertium tollere.*

Si in æquatione $x^3 - 4x^2 + 4x - 6 = 0$

Fiat $x = y - m$

erit $x^2 = y^2 - 2my + m^2$

$$\begin{array}{rl} x^3 = & y^3 - 3my^2 + 3m^2y + m^3 \\ -4x^2 = & - 4y^2 \quad + 8my - 4m^2 \\ + 4x = & \qquad\qquad + 4y - 4m \\ - 6 = & \qquad\qquad\qquad - 6 \end{array}$$

Quoniam æquatio sinistra dextræ æqualis; si tertius terminus deficere debet, talis assumendus est valor ipsius m, ut sit

$$3m^2 + 8m + 4 = 0$$

erit ergo $m^2 + \frac{8}{3}m = -\frac{4}{3}$

$$\begin{array}{rl} & \frac{16}{9} \qquad \frac{16}{9} \\ & m^2 + \frac{8}{3}m + \frac{16}{9} = \frac{4}{9} \\ & m + \frac{4}{3} = \frac{2}{3} \\ & m = -\frac{2}{3} \end{array}$$

Fiat ergo $x = y + \frac{2}{3}$

erit $x^2 = y^2 + \frac{4}{3}y + \frac{4}{9}$

$$\begin{array}{rl} x^3 = & y^3 + 2y^2 + \frac{4}{3}y + \frac{8}{27} \\ -4x^2 = & -4y^2 - \frac{16}{3}y - \frac{16}{9} \\ +4x = & \qquad\quad + 4y + \frac{8}{3} \\ -6 = & \qquad\qquad\quad -6 \end{array}$$

$$y^3 - 2y^2 \; * \; -130:27 = 0$$

En æquationem, in qua terminus tertius deficit, & $y = x - \frac{2}{3}$.

Scholion.

347. *Eodem artificio in aliis quoque casibus utemur. Sed terminus quartus, quintus &c. hac methodo tolli nequeunt, quia radices altiores extrahendæ forent.*

Problema CLXII.

348. *Ex æquatione terminum penultimum tollere, si secundus deficiat.*

Pro quantitate incognita substituendus est terminus ultimus per y divisus.

Sit e. gr. in æquatione $x^3 - 3x + 1 = 0$ tollendus terminus antepenultimus $-3x$. Operatio talis erit

$$\begin{array}{rl} x^3 = & \frac{1}{y^3} \\ -3x = & \frac{3}{y} \\ + 1 = & + 1 \end{array}$$

$$(1 - \frac{3}{y} + \frac{1}{y} = 0$$

$$y^3 - 3y^2 + 1 = 0$$

Problema CLXIII.

349. *Æquationem datam a fractionibus liberare.*

Radix multiplicetur per factum ex omnibus denominatoribus fractionum occurrentium, aut per numerum, qui omnes denominatores metitur.

Exempla.

$$\begin{array}{cccc} y^3 \; * & -\frac{67}{3}y & -\frac{880}{27} & = 0 \\ 1 \quad 3 & 9 & 27 & \end{array}$$

$$x^3 \; * - 201x - 880 = 0$$

In hac æquatione $x = 3y$.

$$\begin{array}{cccc} x^3 - \frac{2}{3}x^2 & + \frac{3}{4}x & - 64 & = 0 \\ 1 \qquad 12 & 144 & 1728 & \end{array}$$

$$y^3 - 8y^2 + 108y - 110592 = 0$$

In hac æquatione $y = 12x$.

Problema CLXIV.

350. *Æquationem datam ab irrationalitate liberare.*

Inter-

Interdum id fieri potest per multiplicationem; interdum per divisionem radicis. Neutra tamen regula universalis est.

Si radix fuerit quadrata, quæ tolli debet, radix æquationis multiplicatur per ipsam; si vero cubica aut altior quædam, per radicem cubicam ex quadrato quantitatis sub signo radicali tollendæ positæ, aut in genere per radicem ejusdem gradus, quæ tolli debet, sed ex quantitate sub signo radicali tollendæ posita ad gradum proxime inferiorem elevata. Interdum circumstantiæ singulares aliud suadent.

Exempla.

$$\begin{array}{lllll} x^4 + 2ax^3\sqrt{2} & + 8abx^2 & - a^3x\sqrt{8} & - 2a^2b^2 & \\ 1 \quad \sqrt{2} & 2 & \sqrt{8} & 4 & \\ \hline \end{array}$$

$$y^4 + 4ay^3 + 16aby^2 - 8a^3y - 8a^2b^2 = 0.$$

In hac æquatione $y = a\sqrt{2}$.

$$\begin{array}{llll} x^3 - ax^2\sqrt[3]{2} & + abx\sqrt[3]{32} & - aab = 0 \\ 1 \qquad \sqrt[3]{4} & \sqrt[3]{16} & 4 \\ \hline \end{array}$$

$$y^3 - 2ay^2 + 8aby - 4aab = 0$$

In hac æquatione $y = x\sqrt[3]{4}$

Divisio exemplis rectius, quam regulis docetur.

$$\begin{array}{llll} x^3 - 3x^2\sqrt{3} & * & - 6\sqrt{3} = 0 \\ 1. \qquad \sqrt{3}. & 3. & 3\sqrt{3} \\ \hline \end{array}$$

$$y^3 - 3y^2 \quad * \quad - 2 = 0$$

In hac æquatione $y = x : \sqrt{3}$

$$\begin{array}{llll} x^3 - ax^2\sqrt[3]{2} & + abx\sqrt[3]{32} & - a^2b = 0 \\ 1 \qquad \sqrt[3]{2} & \sqrt[3]{4} & 2 \\ \hline \end{array}$$

$$y^3 - ay^2 + 2aby - \tfrac{1}{2}a^2b = 0$$

In hac æquatione $y = x : \sqrt[3]{2}$.

$$\begin{array}{llll} x^3 - x^2\sqrt{2} & + 3\tfrac{1}{2}x & - 3\sqrt{2} = 0 \\ 1 \qquad \sqrt{2} & 2 & 2\sqrt{2} \\ \hline \end{array}$$

$$y^3 - y^2 + \tfrac{7}{4}y - \tfrac{3}{2} = 0$$

Quodsi ulterius fractiones tollere volueris: multiplicatio fieri debet per 2.

$$\begin{array}{llll} y^3 - y^2 & + \tfrac{7}{4}y & - \tfrac{3}{2} = 0 \\ 1 \quad 2 & 4 & 8 \\ \hline \end{array}$$

$$z^3 - 2z^2 + 7z - 12 = 0$$

In hac æquatione $z = 2y = 2x : \sqrt{2}$.

PROBLEMA CLXV.

351. *Invenire utrum æquatio data habeat radices rationales, nec ne, & si quas habet, quænam eæ sint.*

Cum æquationis terminus ultimus sit factum omnium radicum (§. 329), resolvatur is in suos factores & hi successive substituantur pro x in æquatione data: in quibus enim casibus numeri positivi & negativi se mutuo destruunt, in iis substitutus est valor ipsius x.

Sit e. gr. $x^2 - 6x + 8 = 0$. Terminus ultimus 8 factores habet 2 & 4. Ponatur $x = 2$; erit

$$\begin{array}{rcl} x^2 & = & 4 \\ -6x & = & -12 \\ +8 & = & +8 \\ \hline 0 & = & 0 \end{array}$$

Est ergo 2 radix vera æquationis. Fiat quoque $4 = x$; erit

$$\begin{array}{rcl} x^2 & = & 16 \\ -6x & = & -24 \\ +8 & = & +8 \\ \hline 0 & = & 0 \end{array}$$

Est ergo 4 radix altera vera æquationis.

Sit $x^3 - 3x^2 - 13x + 15 = 0$. Factores termini ultimi 15 sunt 1, 3, 5.

Substituatur 1 pro x; erit

$$\begin{array}{rcl} x & = & 1 \\ -3x^2 & = & -3 \\ -13x & = & -13 \\ +15 & = & +15. \\ \hline 0 & = & 0. \end{array}$$

Est

Eſt ergo 1 una ex radicibus veris.

Subſtituatur porro 3 pro x; erit

$$\begin{aligned} x^3 &= 27 \\ -3x^2 &= -27 \\ -13x &= -39 \\ +15 &= +15 \\ \hline 0 &= -24 \end{aligned}$$

Eſt ergo 3 nulla ex radicibus veris.

Subſtituatur ergo -3 pro x.

$$\begin{aligned} x^3 &= -27 \\ -3x^2 &= -27 \\ -13x &= +39 \\ +15 &= +15 \\ \hline 0 &= 0 \end{aligned}$$

Eſt itaque -3 radix falſa æquationis.

Subſtituatur denique 5 pro x; erit

$$\begin{aligned} x^3 &= 125 \\ -3x^2 &= -75 \\ -13x &= -65 \\ +15 &= +15 \\ \hline 0 &= 0 \end{aligned}$$

Eſt ergo 5 radicum verarum altera.

Aliter.

Cum æquationes compoſitæ ex multiplicatione ſimplicium oriantur (§. 329); ſi radix aliqua fuerit rationalis, æquatio per ſimplicem ex aliquo factore termini ultimi & x conflatam diviſibilis ſit neceſſe eſt. Quare diviſio hæc tentanda.

Sit data æquatio $x^3 - 3x^2 - 10x + 24 = 0$. Factores termini ultimi ſunt 1, 2, 3, 4, 6, 8, 12: unde æquationes ſimplices conflantur $x - 1 = 0$, $x + 1 = 0$; $x - 2 = 0$, $x + 2 = 0$; $x - 3 = 0$, $x + 3 = 0$; $x - 4 = 0$, $x + 4 = 0$; $x - 6 = 0$, $x + 6 = 0$; $x - 8 = 0$, $x + 8 = 0$; $x - 12 = 0$, $x + 12 = 0$. Diviſio fruſtra tentatur per $x - 1$ & $x + 1$. Quare 1 nec radix falſa eſt, nec verarum una: ſuccedit autem diviſio per $x - 2$.

$$\begin{array}{r|l} & x^3 - 3x^2 - 10x + 24 \;(x^2 - x - 12 \\ x-2) & x^3 - 2x^2 \\ \hline & -x^2 - 10x \\ & -x^2 + 2x \\ \hline & -12x + 24 \\ & -12x + 24 \\ \hline & 0 \end{array}$$

Eſt adeo 2 una ex radicibus veris, cumque terminus ultimus ſit 12 in quotiente, 8 & 12 non ſunt in numero radicum. Diviſio æquationis quadraticæ $x^2 - x + 12 = 0$ per $x - 3$ fruſtra tentatur; ſed per $x + 3$ ſuccedit.

$$\begin{array}{r|l} x+3) & x^2 - x - 12 \;(x - 4 \\ & x^2 + 3x \\ \hline & -4x - 12 \\ & -4x - 12 \\ \hline & 0 \end{array}$$

Eſt ergo 3 radix falſa æquationis &, ob $x - 4 = 0$, 4 verarum altera.

Similiter ſit $x^3 - 3x^2 - 13x + 15 = 0$: erunt factores termini ultimi 1, 3, 5; conſequenter diviſores tentandi $x - 1 = 0$, $x + 1 = 0$; $x - 3 = 0$, $x + 3 = 0$, $x - 5 = 0$, $x + 5 = 0$. Tentetur diviſio per $x - 1$.

$$\begin{array}{r|l} x-1) & x^3 - 3x^2 - 13x + 15 \;(x^2 - 2x - 15 \\ & x^3 - x^2 \\ \hline & -2x^2 - 13x \\ & -2x^2 + 2x \\ \hline & -15x + 15 \\ & -15x + 15 \\ \hline & 0 \end{array}$$

Eſt ergo 1 radicum verarum una. Diviſio in æquatione quadratica per $x - 3$ non ſuccedit: ſuccedit tamen per $x + 3$.

$$
\begin{array}{rl}
x+3\,) & x^2 - 2x - 15\,(x-5 \\
 & x^2 + 3x \\
\hline
 & \quad -5x - 15 \\
 & \quad -5x - 15 \\
\hline
 & \qquad 0
\end{array}
$$

Est itaque 3 radix falsa, & ob $x-5=0$, 5 verarum altera.

Corollarium.

352. Ex modo allatis exemplis manifestum est, problema præsens hanc quoque admittere solutionem:

1. Numerus, quem radicem esse suspicamur, subducendus est ex coëfficiente secundi termini.
2. Residuum multiplicandum est per illum ipsum numerum & factum ex coëfficiente termini tertii subtrahendum.
3. Quod relinquitur, denuo per illum numerum multiplicetur; factum ex coëfficiente termini tertii subtrahatur & ita porro.

$$
\begin{array}{rccc}
 & x^3 - 3x^2 & -10x & +24=0 \\
 & -2 & +2 & +24 \\
\hline
 & -1 & -12 & 0 \\
-2 & \overline{\quad} & \overline{\quad} & \\
 & +2 & +24 &
\end{array}
$$

Quoniam 0 relinquitur, 2 est una radicum verarum.

$$
\begin{array}{rccc}
 & x^3 - 3x^2 & -13x & +15=0 \\
 & -1 & +2 & +15 \\
\hline
 & -2 & -15 & 0 \\
-1 & \overline{\quad} & \overline{\quad} & \\
 & +2 & +15 &
\end{array}
$$

Est ergo 1 altera radicum verarum.

Scholion.

353. *Ne radicum rationalium investigatio molesta accidat, consultum est, ut vel æquationem propositam in aliam transformemus, in qua terminus ultimus divisores pauciores habet, vel duos numeros investigemus, intra quos radices continentur: quem in finem sequentia subnectimus problemata.*

Problema CLXVI.

354. *Æquationem propositam, in qua terminus ultimus plures admittit divisores, transformare in aliam, in qua terminus ultimus pauciores divisores habet.*

Fiat $x=1$, vel $x=-1$; vel $x=2$, vel $x=-2$; vel $x=3$, vel $x=-3$; vel $x=4$, vel $x=-4$ &c. &, his valoribus successive substitutis, observetur, quo in casu summa relinquat numerum pauciores factores habentem, quam terminus ultimus æquationis: eo enim numero radix æquationis vel augenda est, vel minuenda (§. 332).

Sit e. gr. $x^3 - 3x^2 - 10x + 24 = 0$

$$
\begin{array}{rl}
\text{Fiat } x = & 1 \\
\hline
\text{erit } x^3 = & 1 \\
-3x^2 = & -3 \\
-10x = & -10 \\
+24 = & +24 \\
\hline
\text{Summa} = & +12
\end{array}
$$

Cum 12 pauciores divisores admittat quam 24;

$$
\begin{array}{rl}
\text{Fiat } x = & y+1 \\
\text{erit } x^2 = & y^2 + 2y + 1 \\
\hline
x^3 = & y^3 + 3y^2 + 3y + 1 \\
-3x^2 = & \quad -3y^2 - 6y - 3 \\
-10x = & \qquad\quad -10y - 10 \\
+24 = & \qquad\qquad\quad +24 \\
\hline
 & y^3 \;\; * \;\; -13y + 12 = 0
\end{array}
$$

In hac æquatione est $y = x - 1$.

Scho-

SCHOLION.

355 *Eadem æquatio* $y^3 * -13y + 13 = 0$ *habet radicem falsam* -4. *Si enim hunc valorem pro y substituas, prodibit* $-64 + 52 + 12 = 0$. *Ergo* $x = y + 1 = -3$. *Reperitur adeo* -3 *radix falsa æquationis propositæ* $x^3 - 3x^2 - 10x + 24 = 0$ *prorsus ut supra* (§. 350).

PROBLEMA CLXVII.

356. *Invenire limites æquationis, hoc est, duas quantitates, intra quas radix continetur.*

Sit $x^2 + px - q = 0$
erit $x^2 + px = q$
$px < q$ (§. 84 *Arithm.*).
$x < q:p$ (§. 182 *Arithm.*).
Similiter ob $x^2 + px = q$
$q > x^2$ (§. 84 *Arithm.*).
$\sqrt{q} > x$ (§. 246. 180 *Arit.*)

$x\sqrt{q} > x^2$ (§. 180 *Arithm.*).
$px \quad px$ add.
$x\sqrt{q} + px > x^2 + px$ (§. 90 *Arithm.*)
adeoque $(\sqrt{q} + p)\, x > q$ (§. 89 *Arith.*)
$x > q : (\sqrt{q} + p)$ (§. 182 *Arithm.*).

Sunt adeo limites æquationis $q:p$ & $q:(\sqrt{q} + p)$. Nempe radix minor esse debet quam $q:p$ & major quam $q:(\sqrt{q} + p)$.

Sit $x^2 - px + q = 0$
erit $x^2 + q = px$
$x^2 < px$
$x < p$

Similiter quia $x^2 = px - q$, adeoque differentia inter px & q positiva, erit
$px > q$
$x > q:p$

Sunt adeo limites æquationis p & $q:p$. Nempe radix minor est quam p & major quam $q:p$.

Sit $x^2 - px - q = 0$
erit $x^2 = px + q$
$x^2 > q$
$x > \sqrt{q}$
$x\sqrt{q} > q$
Ergo $px + x\sqrt{q} > px + q$
hoc est, $px + q < px + x\sqrt{q}$
adeoque $x^2 < px + x\sqrt{q}$
$x < p + \sqrt{q}$
Similiter $x^2 > px$
$x > p$
$px > p^2$
$px + q > p^2 + q$
$x^2 > p^2 + q$
$x > \sqrt{(p^2 + q)}$

Sunt adeo limites $p + \sqrt{q}$ & $\sqrt{(p^2 + q)}$. Nimirum radix minor esse debet quam $p + \sqrt{q}$; sed major quam $\sqrt{(p^2 + q)}$.

Sit $x^3 - qx + r = 0$
erit $x^3 + r = qx$
Ergo $qx > r$
$x > r:q$
Similiter $x^3 < qx$
$x^2 < q$
$x < \sqrt{q}$

Sunt adeo limites $r:q$ & $\sqrt{q}$.

Sit $x^3 + qx - r = 0$

 erit

erit $x^3 + qx = r$

$qx < r$

$x < r:q$

Similiter $r > x^3$

$r^{1:3} > x$

$r^{2:3} > x^2$

$xr^{2:3} > x^3$

$xr^{2:3} + qx > x^3 + qx$

$> r$

$x > r:(r^{2:3} + q)$

Sunt adeo limites $r:q$, & $r:(r^{2:3}+q)$.

Sit $x^3 - px^2 + qx - r = 0$

erit $x^3 - px^2 = r - qx$

Quodsi ergo $x > p$, erit quoque $r > qx$, consequenter $x < r:q$. Sed si $p > x$; erit $qx > r$, consequenter $x > r:q$.

In utroque igitur casu limites sunt p & $r:q$.

Sit $x^3 - px^2 - qx + r = 0$

erit $x^3 + r = px^2 + qx$

$px^2 + qx > r$

$x^2 + qx:p > r:p$

$x^2 + qx:p + q^2:4p^2 > r:p + q^2:4p^2$

$x + q:2p > \sqrt{(r:p + q^2:4p^2)}$

$x > \sqrt{(r:p + q^2:4p^2)} - q:2p$

Similiter $px^2 + qx > x^3$

$px + q > x^2$

$q > x^2 - px$

$q + \frac{1}{4}p^2 > x^2 - px + \frac{1}{4}p^2$

$\sqrt{(q + \frac{1}{4}p^2)} > x - \frac{1}{2}p$

$x < \sqrt{(q + \frac{1}{4}p^2)} + \frac{1}{2}p$

Sunt adeo limites $\sqrt{(r:p + q^2:4p^2)} - q:2p$ & $\sqrt{(q + \frac{1}{4}p^2)} + \frac{1}{2}p$.

Sit $x^4 - qx^2 - rx - s = 0$

erit $x^4 - qx^2 = rx + s$

Ergo $x^4 > qx^2$

$x^2 > q$

$x > \sqrt{q}$

Similiter $x^4 - rx = qx^2 + s$

ergo $x^3 > r$

$x > r^{1:3}$

Tandem $x^4 - s = qx^2 + rx$

Ergo $x^4 > s$

$x > s^{1:4}$

$x^3 > s^{3:4}$

$x^3 s^{1:4} > s$

Similiter $x > q^{1:2}$ | $x > r^{1:3}$

$xq^{1:2} > q$ | $x^2 > r^{1:3}$

$x^3 q^{1:2} > qx^2$ | $x^2 r^{1:3} > r$

$x^3 r^{1:3} > rx$

Ergo ob $x^4 = qx^2 + rx + s$

$x^4 > x^3 q^{1:2} + x^3 r^{1:3} + x^3 s^{1:4}$

$x > q^{1:2} + r^{1:3} + s^{1:4}$

Sunt adeo limites $\sqrt{q}$ vel $r^{1:3}$ & $q^{1:2} + r^{1:3} + s^{1:4}$.

Eodem modo operandum est in casibus aliis.

SCHOLION.

357. *In æquatione* $x^3 - 3x^2 - 10x + 24 = 0$ *factores termini ultimi sunt* 1. 2. 3. 4. 6. 8. 12. 24. *Limites reperiuntur* $\sqrt{(\frac{24}{3} + \frac{25}{9})} - \frac{5}{3} = \sqrt{\frac{97}{9}} - \frac{5}{3} = \frac{98 - 50}{30} = \frac{38}{30} = 1\frac{1}{4}$ *fere &* $\sqrt{(10 + \frac{9}{4})} + \frac{3}{2} = \sqrt{\frac{49}{4}} + \frac{3}{2} = \frac{7}{2} + \frac{3}{2} = \frac{10}{2} = 5$. *Maxima igitur radicum non potest esse minor quam* $1\frac{1}{4}$ *debet tamen esse minor quam* 5. *Unde apparet divisionem tentandam esse per* $x - 2$.

Quo

Quo facto reperitur $x=2$ *& æquatio reducitur ad quadraticam* $x^2-x-12=0$ (§.351). *Unde radix vera altera* $=\frac{1}{2}+\frac{1}{2}\sqrt{37}$ (§.143.) *& radix falsa* $\frac{1}{2}-\frac{1}{2}\sqrt{37}$.

PROBLEMA CLXVIII.

358. *Ex æquatione cubica radicem extrahere.*

Æquationes cubicæ, sublato secundo termino, ad hos tres casus reducuntur (§.345).

$$x^3=+px+q$$
$$x^3=-px+q$$
$$x^3=+px-q$$

Fiat $x=y+z$

erit $x^3=y^3+3y^2z+3z^2y+z^3$

$px=py+pz$

Quamobrem in casu primo

$$y^3+3y^2z+3z^2y+z^3=py+pz+q$$

Fiat $3y^2z+3z^2y=+py+pz$

$(y+z)$

erit $3yz=p$

$(3y)$

$$z=p:3y$$

Erit porro $y^3+z^3=q$

hoc est $y^3+p^3:27y^3=q^3$

$$y^6+\tfrac{1}{27}p^3=qy^3$$

$$y^6-qy^3=-\tfrac{1}{27}p^3$$
$$\tfrac{1}{4}q^2 \qquad \tfrac{1}{4}q^2$$

$$y^6-qy^3+\tfrac{1}{4}q^2=\tfrac{1}{4}q^2-\tfrac{1}{27}p^3$$

$$\left.\begin{matrix} y^3-\tfrac{1}{2}q \\ \tfrac{1}{2}q-y^3 \end{matrix}\right\}=\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2-\tfrac{1}{27}p^3)}$$

$$y^3=\tfrac{1}{2}q\pm\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2-\tfrac{1}{27}p^3)}$$

$$y=(\tfrac{1}{2}q\pm\sqrt{\tfrac{1}{4}q^2-\tfrac{1}{27}p^3}))^{1:3}$$

Est nempe $y=\sqrt[3]{(\tfrac{1}{2}q+\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2-\tfrac{1}{27}p^3)})}$ & $z=\sqrt[3]{(\tfrac{1}{2}q-\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2-\tfrac{1}{27}p^3)})}$.

Ergo $y+z=x=$
$\sqrt[3]{(\tfrac{1}{2}q+\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2-\tfrac{1}{27}p^3)})}+\sqrt[3]{(\tfrac{1}{2}q-\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2-\tfrac{1}{27}p^3)})}$.

Eodem modo reperitur radix in casu altero $\sqrt[3]{(\tfrac{1}{2}q+\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2+\tfrac{1}{27}p^3)})}$ $+\sqrt[3]{(\tfrac{1}{2}q-\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2+\tfrac{1}{27}p^3)})}$.

Denique in casu tertio $x=$
$\sqrt[3]{(-\tfrac{1}{2}q+\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2-\tfrac{1}{27}p^3)})}$
$+\sqrt[3]{(-\tfrac{1}{2}q-\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2-\tfrac{1}{27}p^3)})}$.

E.gr. Sit $x^3=6x+40$: erit $p=6$, $q=40$, adeoque $\tfrac{1}{2}q=20$, $\tfrac{1}{4}q^2=400$, $\tfrac{1}{3}p=2$, $\tfrac{1}{27}p^3=8$, consequenter $\tfrac{1}{4}q^2-\tfrac{1}{27}p^3=392$ & $\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2-\tfrac{1}{27}p^3)}=\sqrt{392}=\sqrt{2.196}$ $=14\sqrt{2}$. Unde $\tfrac{1}{2}q+\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2-\tfrac{1}{27}p^3)}$ $=20+14\sqrt{2}$, adeoque $\sqrt[3]{(\tfrac{1}{2}q+\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2-\tfrac{1}{27}p^3)})}=2+\sqrt{2}$. Quare per regulam primam $x=2+\sqrt{2}+2-\sqrt{2}=4$.

Sit $x^3=-3x+36$. Quia $p=3$, $q=36$, adeoque $\tfrac{1}{2}q=18$, $\tfrac{1}{4}q^2=324$, $\tfrac{1}{3}p=1$, $\tfrac{1}{27}p^3=1$, consequenter $\tfrac{1}{4}q^2+\tfrac{1}{27}p^3=325=\tfrac{1300}{4}$ & $\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2+\tfrac{1}{27}p^3)}=10\sqrt{\tfrac{13}{4}}=\tfrac{40}{4}\sqrt{3\tfrac{1}{4}}$. Unde $\tfrac{1}{2}q+\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2+\tfrac{1}{27}p^3)}$ $=18+\tfrac{40}{4}\sqrt{3\tfrac{1}{4}}$, adeoque $\sqrt[3]{(\tfrac{1}{2}q+\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2-\tfrac{1}{27}p^3)})}=\tfrac{3}{2}+\sqrt{3\tfrac{1}{4}}$. Quare per regul. secund. $x=\tfrac{3}{2}+\sqrt{3\tfrac{1}{4}}+\tfrac{3}{2}-\sqrt{3\tfrac{1}{4}}=3$.

Sit $x^3=6x-40$. Quoniam $p=6$, $q=40$, eodem modo, quo in casu primo, reperitur $\sqrt[3]{(\tfrac{1}{2}q+\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2-\tfrac{1}{27}p^3)})}=-2+\sqrt{2}$, adeoque $x=-2+\sqrt{2}-2-\sqrt{2}=-4$.

SCHOLION.

359. *Equidem ex* $20+\sqrt{392}$ *radix cubica extrahitur per regulas communes* (§. 282 Arithm.): *ut tamen appareat quomodo radix inveniri possit, si regulæ communes com-*

commode applicari nequeant, methodum generalem apponere libet, qua & in aliis casibus similibus utendum. Ceterum formulas illas extrahendi radicem ex æquatione cubica (§. 358) Cardani *regulas vocat* Cartesius (*a*), *quia eas primus publicavit: ipse enim* Cardanus *inventionis laudem* Scipioni Ferreo *tribuit.*

PROBLEMA CLXIX.

360. *Extrahere radicem desideratam ex quantitate irrationali composita.*

Sit ex binomio $3+\sqrt{8}$ extrahenda radix quadrata. Ponamus eam esse $x+\sqrt{y}$, erit $x^2+2x\sqrt{y}+y=3+\sqrt{8}$.

Fiat $x^2+y=3$ $\qquad 2x\sqrt{y}=\sqrt{8}$

erit $x^4+2x^2y+y^2=9$ $\qquad 4x^2y=8$

$$4x^2y=8$$

$$x^4-2x^2y+y^2=1 \quad \text{Ext. Rad.}$$

$$x^2-y=1$$

$$x^2=y+1$$

Est vero etiam, ob $x^2+y=3$, $x^2=3-y$

Quare $3-y=y+1$

$$3=2y+1$$

$$2=2y$$

$$1=y$$

Ergo $x^2=y+1=2$

$$x=\sqrt{2}$$

Est ergo $x+\sqrt{y}=\sqrt{(3+\sqrt{8})}=1+\sqrt{2}$.

Sit similiter in problemate præcedente ex $20+\sqrt{392}$ extrahenda radix cubica. Ponamus radicem esse $x+\sqrt{y}$, erit ejus cubus

$$x^3+3x^2\sqrt{y}+3xy+\sqrt{y^3}=20+\sqrt{392}$$

Fiat $3x^2\sqrt{y}+\sqrt{y^3}=\sqrt{392}$

erit $9x^4y+6x^2y^2+y^3=392$

Porro $x^3+3xy=20$

$$x^6+6x^4y+9x^2y^2=400$$

$$9x^4y+6x^2y^2+y^3=392 \text{ subt.}$$

$$x^6-3x^4y+3x^2y^2-y^3=8 \quad \text{Ext. R.}$$

$$x^2-y=2$$

$$x^2-2=y$$

Substituto valore ipsius y in æquatione:

$$x^3+3xy=20$$

erit $x^3+3x^3-6x=20$

hoc est $4x^3-6x=20$

$$x^3 * -\tfrac{6}{4}x=5$$

$$1 \quad 2 \quad 4 \quad 8 \quad (\text{§. } 337).$$

$$z^3 * -6z=40$$

Si pro z substituatur 4; erit $64-24=40$. Est ergo 4 radix hujus æquationis (§. 351), consequenter $x=z:2=2$. Quare cum sit

$$x^2-2=y$$

erit $4-2=y$

$$2=y$$

Est ergo radix cubica ex $20+\sqrt{392}$ extracta $2+\sqrt{2}$.

Eodem modo operandum est in casibus aliis.

PROBLEMA CLXX.

361. *Æquationem biquadraticam, in qua secundus terminus deficit, reducere ad cubicam.*

Sit æquatio biquadratica $x^4+qx^2+rx+s=0$, ubi retinetur in omnibus terminis signum $+$, ut omnes casus repræ-

(*a*) Geom. Lib. II. p. m. 93. & 94.

repræſententur. Cum æquatio biquadratica ex multiplicatione duarum quadraticarum oriatur (§. 329); aſſumantur duæ quadraticæ $x^2 + yx + z = 0$ & $x^2 - yx + v = 0$, quæ in ſe invicem ductæ generabunt.

$$\begin{aligned} x^4 * &+ zx^2 + yvx + vz = 0 \\ &+ vx^2 - yzx \\ &- y^2x^2 \end{aligned}$$

Quoniam hæc æquatio eadem ſupponitur cum propoſita; erit

$$z + v - y^2 = q \qquad yv - yz = r \qquad vz = f$$

$$q + y^2 = z + v \qquad v - z = r : y$$

$$q + y^2 - v = z \qquad v - q - y^2 + v = r : y$$

$$2v = q + y^2 + r : y$$

$$v = (q + y^2 + r : y) : 2$$

Subſtituatur valor ipſius v in æquatione $q + y^2 - v = z$, erit

$$q + y^2 - (q + y^2 + r : y) : 2 = z$$

hoc eſt $z = (2q + 2y^2 - q - y^2 - r : y) : 2$
$= (q + y^2 - r : y) : 2$.

Ergo $vz = \left(\frac{q + y^2 + r:y}{2}\right)\left(\frac{q + y^2 - r:y}{2}\right)$

$$= \frac{q^2 + 2qy^2 + y^4 - r^2 : y^2}{4} = f$$

$$4y^2$$

$$q^2y^2 + 2qy^4 + y^6 - r^2 = 4fy^2$$

$$\begin{aligned} y^6 + 2qy^4 + q^2y^2 &- r^2 = 0 \\ &- 4fy^2 \end{aligned}$$

Fiat $y^2 = t$, erit

$$\begin{aligned} t^3 + 2qt^2 + q^2t &- r^2 = 0 \\ &- 4ft \end{aligned}$$

PROBLEMA CLXXI.

362. *Ex æquatione biquadratica radicem extrahere.*

I. Si æquatio fuerit pura, e. gr. $x^4 = a^2bc$: extrahatur primum radix quadrata, ut habeatur $x^2 = a\sqrt{bc}$ & hinc denuo educatur radix quadrata. Reperietur $x = \sqrt{(a\sqrt{bc})}$

E. gr. Sit $x^4 = 32$; erit $x^2 = \sqrt{32} = 4\sqrt{2}$, adeoque $x = 2\sqrt{\sqrt{2}}$.

II. Si æquatio fuerit affecta,

1. Tollatur ſecundus terminus, ſi adfuerit (§. 343).
2. Reducatur æquatio ad cubicam (§. 361).
3. Inde extrahatur radix cubica (§. 358).
4. Hac data, ex æquationibus quarum ope biquadraticam ad cubicam reduximus, radices æquationis propoſitæ erui poſſunt.

E. gr. Sit $x^4 - 86x^2 + 600x - 851 = 0$; erit $q = -86$, $r = 600$, $f = -851$. Jam cum æquatio cubica, ad quam ea reducenda, ſit $t^3 + 2qt^2 + q^2t - r^2 = 0$:
$- 4ft$
ſi in ea ſubſtituantur valores quantitatum q, r, f, prodibit

$$t^3 - 172t^2 + 10800t - 360000 = 0$$

Hæc æquatio cum ſit per $t - 100$ diviſibilis (§. 351); erit $t = 100$, adeoque in problemate præcedente $y^2 = 100$ & hinc $y = 10$.

Hoc valore ſubſtituto in æquatione $\frac{q + y^2 - r : y}{2} = z$; reperitur z

$$= \frac{-86 + 100 - 600 : 10}{2} = \frac{-46}{2} = -23:$$

Eodem valore ipſius y ſubſtituto in æquatione $v = \frac{q + y^2 + r : y}{2}$; invenitur $v = \frac{-86 + 100 + 600 : 10}{2} = \frac{74}{2} = 37$. Tandem valores quantitatum

y, z & v substituendi sunt in æquationibus quadraticis $x^2 + yx + z = 0$ & $x^2 - yx + v = 0$ & habebimus:

I. $x^2 + 10x - 23 = 0$.

$x^2 + 10x = 23$
$\quad\quad 25 \quad 25$

$x^2 + 10x + 25 = 48$

$x + 5 = \sqrt{48} = 4\sqrt{3}$

$x = 4\sqrt{3} - 5$

II. $x - 10x^2 + 37 = 0$

$x^2 - 10x^2 = -37$
$\quad\quad 25 \quad 25$

$x^2 - 10x + 25 = -12$

$$\left.\begin{array}{l} x - 5 = \\ 5 - x = \end{array}\right\} = \sqrt{-12} = 2\sqrt{-3}$$

$x = 5 \pm 2\sqrt{-3}$

Sunt ergo radices æquationis propositæ $4\sqrt{3} - 5$, $5 + 2\sqrt{-3}$ & $5 - 2\sqrt{-3}$

PROBLEMA CLXXII.

363. *Ex æquatione quacunque extrahere radicem per approximationem.*

Quamvis æquationum quadraticarum radices surdæ extrahi possint (*§.* 143), nec difficile sit inde ulterius radicem prope veram in fractionibus decimalibus elicere (§. 273 *Arithm.*): quoniam tamen methodus, quam nunc explicare intendimus, universalis est, ab exemplo facillimo æquationis quadraticæ ut ordiamur, consultum ducimus.

Sit $x^2 - 5x - 31 = 0$. Quoniam $x < 5 + \sqrt{31}$ & $> \sqrt{56}$, sive $x < 10 +$ & $> 7 +$ (*§.* 354): ponamus radicem esse $8 + y$, ita ut y denotet fractionem, qua numerus assumtus radicem vel excedit, vel ab ea deficit: erit

$x^2 = 64 + 16y + y^2$
$-5x = -40 - 5y$
$-31 = -31$

$-7 + 11y + y^2 = 0$

Quoniam fractionum potentiæ continuo decrescunt & radix tantum desideratur prope vera, y^2 abjicitur: quo facto erit

$-7 + 11y = 0$

$y = \frac{7}{11} = \frac{6}{10}$ fere $= 0.6$

Ergo $x = 8 + 0.6 = 8.6$

Ponamus $x = 8.6 + y$: erit

$x^2 = \frac{7396}{100} + \frac{172}{10}y + y^2$
$-5x = -\frac{430}{10} - 5y$
$-31 = -31$

$\frac{7396}{100} - \frac{430}{10} - 31 + \frac{172}{10}y - 5y = 0$

hoc est, reductione ad eandem denominationem facta, (quod in gratiam tyronum semel hic exhibere placuit)

$7396 - 4300 - 3100 + (1720 - 500)y = 0$

$-0.04 + 12.20y = 0$

$12.20y = 0.04$

$y = 004 : 1220 = 0.0032$

Ergo $x = 8.6000 + 0.0032 = 8.6032$.

Ponamus $x = 8.6032 + y$, erit

$x^2 = 7401505024 + 1720640000y + y^2$
$-5x = -4301600000 - 500000000y$
$-31 = -3100000000$

$-0.000094976 + 1220640000y = 0$

$y = 0.000094976 : 1220640000$
$= 0.0000077808.$

Ergo

Ergo $x=8.6032000000+0.0000077808=8.603277808$.

Sit similiter ex æquatione cubica $x^3+2x^2-23x-70=0$ extrahenda radix per approximationem. Ponamus denuo radicem esse $5+y$ (numerus 5 assumitur vi limitum æquationis (§. 354)): quoniam termini, in quibus est y^2 & y^3, omittuntur; non opus est, ut in transformatione æquationis exprimantur. Reperitur adeo

$$\begin{aligned} x^3 &= 125+75y\ldots \\ +2x^2 &= 50+20y\ldots \\ -23x &= -115-23y \\ -70 &= -70 \\ \hline -10 &+ 72y=0 \end{aligned}$$

$$y=-\tfrac{10}{72}=0.1$$

Ergo $x=5+0.1=5.1$

Ponamus $x=5.1+y$: erit

$$\begin{aligned} x^3 &= 132651+78030y\ldots \\ +2x^2 &= 52020+20400y \\ -23x &= -117300-23000y \\ -70 &= -70.000 \\ \hline -2.629 &+75.430y=0 \end{aligned}$$

$$75430y=2629$$

$$y=2629:75430=0.0349$$

Ergo $x=5.1+0.0349=5.1349$

Eodem modo progredi licet, quousque libuerit.

Nec difficile est eadem methodo regulam generalem investigare. Sit nempe $x^m+ax^{m-1}+bx^{m-2}+cx^{m-3}+dx^{m-4}+ex^{m-5}$ &c. $+f=0$. Ponamus esse $x=p+y$; erit

$$\begin{aligned} x^m &= t^m + mt^{m-1}y + \frac{m.m-1}{2}t^{m-2}y^2\ldots \\ +ax^{m-1} &= at^{m-1}+(m-1).at^{m-2}y + \frac{m-1.m-2}{2}at^{m-3}y^2\ldots \\ +bx^{m-2} &= bt^{m-2}+(m-2).bt^{m-3}y + \frac{m-2.m-3}{2}bt^{m-4}y^2\ldots \\ +cx^{m-3} &= ct^{m-3}+(m-3).ct^{m-4}y + \frac{m-3.m-4}{2}ct^{m-5}y^2\ldots \\ &\text{\&c. \&c.} \\ +f &= +f \end{aligned}$$

Fiat $t^m+at^{m-1}+bt^{m-2}+ct^{m-3}$ &c. $=p$

$mt^{m-1}+(m-1)\,at^{m-2}+(m-2)\,bt^{m-3}+(m-3)\,ct^{m-4}$ &c. $=q$

$\frac{m.m-1}{2.}t^{m-2}+\frac{m-1.m-2}{2}at^{m-3}+\frac{m-2.m-3}{2}bt^{m-4}+\frac{m-3.m-4}{2}ct^{m-5}$ &c. $=r$

Quoniam termini, in quibus y ad plures dimensiones ascendit, ob parvitatem abjiciuntur, erit

$$p+qy+ry^2=0$$

Fiat ut in exemplis specialibus

$$p+qy=0$$

erit $qy=-p$

$$y=-p:q$$

In applicatione regulæ hujus generalis eadem calculi instauratione opus est, qua in exemplis specialibus paulo ante usi sumus.

Quodsi vero regula desideretur, quæ celerius appropinquat, ex æquatione prima hunc in modum eruitur.

Quoniam $p + qy + ry^2 = 0$

erit $qy + ry^2 = -p \quad | \, (q + ry)$

$y = -p : (q + ry)$

Sed $y = -p : q$, per regulam priorem.

Ergo $y = -p : (q - \frac{pr}{q}) = -pq : (q^2 - pr)$.

Vel quia $p + qy + ry^2 = 0$

erit $qy + ry^2 = -p$

$qy : r + y^2 = -p : r$

$q^2 : 4r^2 + qy : r + y^2 = q^2 : 4r^2 - p : r$

$q : 2r + y = \sqrt{(\frac{1}{4}q^2 - pr)} : r$

Habetur adeo x, si valor ipsius y adjiciatur valori t, signo vel positivo, vel privativo, prout repertus fuerit.

SCHOLION.

364. *Duas regulas posteriores methodo ab hac diversa investigavit celeberrimus* Hallejus (a), *& eandem aliquot exemplis illustravit. Quamvis vero usus earum ex ante allatis exemplis manifestus esse videatur; non inconsultum tamen judicamus ut unum apponamus.*

Sit $\underset{a}{x^3 + 438}x^2 - \underset{b}{7825}x - \underset{f}{98508430} = 0$.

Fiat $x = t + y = 300 + y$; erit

$$\begin{aligned} x^3 &= 27000000 + 2700000y + 900y^2 + y^3 \\ +ax^2 &= 39420000 + 262800y + 438y^2 \\ -bx &= -2347500 - 7825y \\ -f &= -98508430 \\ \hline & -34435930 + 524975y + 1338y^2 = 0 \end{aligned}$$

Est itaque $p = -34435930$, adeoque $-p = 34435930$, $q = 524975$, $r = 1338$. Quare $y = -p : (q - pr : q) = 34435930 : (524975 + 46075274340 : 524975) = 34435930 : 612741 = 56$, consequenter $x = 300 + 56 = 356$.

Fiat jam $x = 356 + y$; erit

$$\begin{aligned} x^3 &= 45118016 + 380208y + 1068y^2 + y^3 \\ +ax^2 &= 55510368 + 311856y + 438y^2 \\ -bx &= -2785700 - 7825y \\ -f &= -98508430 \\ \hline & -665746 + 684239y + 1506y. = 0. \end{aligned}$$

Est itaque $p = -665746$, $q = 684239$, $r = 1506$. Quare $y = -p : (q - pr : q) = 665746 : (684239 + 1002613476 : 684239) = 6657460 : 685704 = 0.9708$, consequenter $x = 356 + 0.9708 = 356.9708$.

Per regulam irrationalem radix in pluribus notis per duas operationes inveniri potest, quia rationali accuratior. Possunt quoque plures notæ inveniri per rationalem, si operatio continuetur.

COROLLARIUM.

365. Si $x^m - f = 0$ & fiat $x = t + y$; erit $x^m - f = t^m + mt^{m-1}y + \frac{m.m-1}{2}t^{m-2}y^2$ &c. $-f$. Unde si fiat $t^m + mt^{m-1}y - f = 0$, erit $y = f - t^m : mt^{m-1}$.

Quæ est regula per approximationem extrahendi radicem ex quavis æquatione pura. Si accuratior desideretur, fiat ut ante $t^m = p$, $mt^{m-1} = q$, $\frac{m.m-1}{2}t^{m-2} = r$; reperietur ut in problemate $y = -p : (q - pr : q)$. Unde apparet eandem regulam inservire radicum extractioni tum ex æquationibus puris, tum ex affectis.

PROBLEMA CLXXIII.

366. *Ex serie infinita radicem extrahere.*

Sit $v = ax + bx^2 + cx^3 + dx^4 + ex^5$ &c.

Fiat $x = hv + iv^2 + kv^3 + lv^4 + mv^5 + nv^6$ &c. erit (§. 95).

$$\begin{array}{lllllll} x^2 = & h^2v^2 & +2hiv^3 & +i^2v^4 & +2ikv^5 & +k^2v^6 \\ & & & +2hkv^4 & +2hlv^5 & +2ilv^6 \\ & & & & & +2hmv^6 \\ x^3 = & & h^3v^3 & +3h^2iv^4 & +3hi^2v^5 & +i^3v^6 \\ & & & & +3h^2kv^5 & +3h^2lv^6 \\ & & & & & +6hikv^6 \\ x^4 = & & & h^4v^4 & +4h^3iv^5 & +6h^2i^2v^6 \\ & & & & & +4h^3kv^6 \end{array}$$

(a) In Transact. Anglican. n. 210. p. 136.

$x^5 = \qquad h^5v^5 + 4h^4iv^6$

$x^6 = \qquad h^6v^6$

Subſtituantur valores modo inventi in æquatione $0 = -v + ax + bx^2$ $cx^3 + dx^4 + ex^5 + fx^6$ &c. erit

$-v =$	$-v$						
$+ax =$	$+ahv$	$+aiv^2$	$+akv^3$	$+alv^4$	$+amv^5$	$+anv^6$	&c.
$+bx^2 =$		$+bh^2..$	$+2bhi..$	$+bi^2..$	$+2bik..$	$+bk^2..$	
				$+2bhk..$	$+2bhl..$	$+2bil..$	
						$+2bhm..$	
$+cx^3 =$			$+ch^3..$	$+3ch^2i..$	$+3chi^2..$	$+lci^3..$	
					$+3ch^2k..$	$+3ch^2l..$	
						$+6chik..$	
$+dx^4 =$				$+dh^4..$	$+4dh^3i..$	$+6dh^2i^2..$	
						$+4dh^3k..$	
$+ex^5 =$					$+eh^5..$	$+5eh^4i..$	
$+fx^6 =$						$+fh^6..$	

Jam cum æquatio ponatur nihilo æqualis, propterea quod v ſubducitur ex altero æquationis membro ipſi æquali; omnes terminos v, v^2, v^3, v^4, v^5, v^6 &c. in nihilum ductos concipere licet.

Fiat ergo in hac æquatione cujuslibet termini coëfficiens nihilo æqualis, erit

$ah - 1 = 0 \qquad ai + bh^2 = 0$

$h = 1 : a \qquad i = -bh^2 : a$

$i = -b : a^3$

$ak + 2bhi + ch^3 = 0$

$k = (-2bhi - ch^3) : a$

$k = (+2b^2 - ac) : a^5$

$al + bi^2 + 2bhk + 3ch^2i + dh^4 = 0$

$l = (-bi^2 - 2bhk - 3ch^2i - dh^4) : a$

conſequenter ob

$bi^2 = b^3 : \qquad 2bhk = (4b^3 - 2abc) : a^6$

$3ch^2i = -3bc : a^5 \qquad dh^4 = d : a^4$

$l = -b^3 : a^7 - 4b^3 : a^7 + 2abc : a^7 + 3bc : a^6 - d : a^5$

$l = (5abc - 5b^3 - a^2d) : a^7$

$am + 2bik + 2bhl + 3chi^2 + 3ch^2k + 4dh^3i + eh^5 = 0$

Ergo ob

$2bik = (-4b^4 + 2abc) : a^8$

$2bhl = (10ab^2c - 10b^4 - 2a^2bd) : a^8 \qquad eh^5 = e : a^3$

$3chi^2 = 3b^2c : a^7 \qquad 3ch^2k = (6b^2c - 3ac^2) : a^7$

$m = (14b^4 - 21ab^2c + 6a^2bd + 3a^2c^2 - a^3e) : a^9$

Eodem modo reperitur $n = (-42b^5$ $+ 84ab^3c - 28a^2bc^2 - 28a^2b^2d + 7a^3cd$ $+ 7a^3be - a^4f) : a^{11}$ & ita porro.

Quodſi tandem in æquatione aſſumta $x = hv + iv^2 + kv^3 + lv^4 + mv^5 + nv^6$ &c. valores inventi coëfficientium h, i, k, l, m, n &c. ſubſtituantur, prodibit radix quæſita

$$x = \frac{v}{a} - \frac{bv^2}{a^3} + \frac{2b^2 - ac}{a^5}$$

$$+ \frac{5abc - 5b^3 + a^2d}{a^7} v^4 +$$

$$\frac{14b^4 + 6a^2bd - 21ab^2c + 3a^2c^2 - a^3}{a^9} v^5$$

&c. in infinit.

CAPUT VI.

De Algebra ad Geometriam sublimiorem applicata.

DEFINITIO XX.

367. PEr *Geometriam sublimiorem* intelligo eam Geometriæ partem, quæ de lineis curvis & solidis inde genitis tractat.

DEFINITIO XXI.

368. *Diameter* curvæ est recta AD rectas MM inter se parallelas bifariam secans in P. In specie *Axis* vocatur, si rectas æquidistantes ad angulos rectos secet. Tab. III. *Fig.* 36.

DEFINITIO XXII.

369. *Vertex curvæ* est punctum A, ex quo ducitur diameter.

DEFINITIO XXIII.

370. *Ordinatim applicatæ* sunt lineæ æquidistantes MM, quæ a diametro bifariam secantur. Earum dimidiæ PM vocantur *semiordinatæ*. Vocantur etiam *Semiordinatæ* lineæ QM, QM ex punctis curvæ M, M ad lineam AT positione datam ductæ ac inter se parallelæ. Tab. V. *Fig.* 60.

DEFINITIO XXIV.

371. *Abscissa* AP est pars diametri vel alterius lineæ, ad quam curvæ refertur inter verticem aut aliud punctum fixum & semiordinatam PM intercepta. Quidam *sagittam* vocant. Tab. III. *Fig.* 36.

SCHOLION.

372. *Abscissæ nimirum a quovis puncto in linea positione data computari possunt, ad quam referuntur puncta curvæ, quemadmodum ex subsequentibus patebit.*

DEFINITIO XXV.

373. *Diameter transversa* AB est recta, quæ utrinque intra curvas continuata rectas intra easdem æquidistantes MM bifariam secat. Tab. III. *Fig.* 37.

DEFINITIO XXVI.

374. *Diameter conjugata* est recta, quæ alteri diametro æquidistantes bifariam secat.

DEFINITIO XXVII.

375. *Quantitates variabiles* sunt, quæ crescentibus aliis vel decrescentibus aut crescunt, aut decrescunt. Tab. III. *Fig.* 38.
E. gr. semiordinata PM & abscissa AP circuli sunt quantitates variabiles: una enim crescente crescit etiam altera.

Quantitates constantes sunt, quæ crescentibus aliis vel decrescentibus eædem manent.
Ita semidiameter circuli AC est quantitas constans: crescentibus enim abscissis & semiordinatis AP & PM semper eadem manet.

HYPOTHESIS VIII.

376. *Quantitates constantes primis Alphabeti literis indigitentur* a, b, c, &c. *variabiles vero ultimis* z, y, x, &c. *Speciatim* x *abcissam*, y *semiordinatam denotet, nisi aliud expresse moneatur.*

DEFINITIO XXVIII.

377. *Curva Algebraica* est, in qua relatio abscissarum AP ad semiordinatas per æquationem algebraicam explicari potest. Sit exempli gr. in circulo Tab. III. *Fig.* 36.

AB

$AB = a$, $AP = x$, $PM = y$, erit $PB = a - x$, consequenter ob $PM^2 = AP. PB$ (§. 327. 377 *Geom.*), $y^2 = ax - x^2$. Vel sit $PC = x$, $AC = a$, $PM = y$; erit (§. 417 *Geom.*) $MC^2 - PC^2 = PM^2$, hoc est, $a^2 - x^2 = y^2$.

Tab. III. *Fig.* 38.

SCHOLION I.

378. *Dicuntur æquationes algebraicæ, quæ determinati sunt gradus, ita ut æquatio semper eadem maneat in singulis punctis curvæ.*

SCHOLION II.

379. *Vulgo cum* Cartesio (*a*) *lineas algebraicas* Geometricas *vocant, quod eas tantum ad construenda problemata admittant, adeoque in Geometriam recipiant. Aliter vero nobis videtur, non refragantibus summis in re Geometrica arbitris* Leibnitio *atque* Newtono (*b*).

DEFINITIO XXIX.

380. *Curva transcendens* est, quæ per æquationem algebraicam definiri nequit.

SCHOLION.

381. *Curvæ transcendentes ab aliis* Cartesii *exemplo dicuntur* mechanicæ *& ex Geometria ejiciuntur, aliter sentientibus viris summis* Leibnitio *atque* Nevvtono. *Invenit quoque* Leibnitius *novum æquationum transcendentium genus, quibus curvæ transcendentes definiuntur & quæ sunt gradus indefiniti, hoc est non constanter eædem in omnibus curvæ punctis* (*c*).

DEFINITIO XXX.

382. *Curvæ algebraicæ ejusdem generis* sunt, quarum æquationes ad eandem dimensionem assurgunt. Cum vero sola æquatio, quæ rectam definit, unius dimensionis esse possit, *Curva primi generis* vocatur, in qua æquatio ad duas dimensiones assurgit; si ad tres, *curva secundi generis*; si ad quatuor, *curva tertii generis*, &c.

E. gr. æquatio pro circulo est $y^2 = ax - x^2$, vel etiam $a^2 - x^2 = y^2$ (§. 377). Est ergo circulus curva primi generis. Similiter curva primi generis est, quæ definitur per æquationem $ax = y^2$. Sed curva secundi generis est, quam definit æquatio $a^2x = y^3$.

DEFINITIO XXXI.

383. *Familia curvarum* vocatur plurium curvarum diversi generis congeries, quæ omnes, per eandem æquationem indeterminati gradus, sed pro diversitate generis diversimode explicandi definiuntur.

E.gr. sit æquatio indeterminati gradus $a^{m-1}x = y^m$. Si $m = 2$, erit $ax = y^2$. Si $m = 3$, erit $a^2x = y^3$; si $m = 4$, erit $a^3x = y^4$, &c. in infinitum. Omnes istæ curvæ dicuntur ejusdem familiæ.

SCHOLION.

384. *Æquationes, per quas curvarum familiæ definiuntur, cum transcendentibus non sunt confundendæ. Licet enim intuitu totius familiæ sint gradus indeterminati; cujuslibet tamen ex familia curvæ respectu gradum determinatum habent, cum æquationes transcendentes respectu ejusdem curvæ indefiniti gradus existant* (§. 381).

COROLLARIUM.

385. Omnes adeo curvæ algebraicæ familiam quandam componunt, ex innumeris aliis constantem, quarum una quælibet infinita genera complectitur. Cum enim æquationes per quas curvæ definiuntur, ingre-

(*a*) Lib. 2. p. m. 17. & seq.
(*b*) Act. Erudit. Lips. A. 1708. p. 526.
(*c*) Act. Erudit. Lips. A. 1684. p. 234. 235.

ingrediantur facta vel ex potentiis abscissarum & semiordinatarum in coëfficientes datos, vel ex potentiis abscissarum in potentias semiordinatarum, vel ex meris quantitatibus datis, omnes vero æquationes nihilo æquales fieri possint (e. gr. si $ax = y^2$, erit $ax - y^2 = 0$); æquatio pro omnibus curvis algebraicis erit $ay^m + bx^n + cy^r x^s + df = 0$. Signum $+$ in omnibus terminis retinetur, quia in casibus singularibus infinitæ variationes occurrere possunt. Et, si plures potentiæ ejusdem indeterminatæ quantitatis, v. gr. x occurrunt, coëfficiens termini in formula, v. gr. b explicatur per omnes ejus coëfficientes & exponens dignitatis v. gr. n per omnes dignitatum exponentes.

Definitio XXXII.

386. *Sectiones conicæ* sunt lineæ curvæ, quæ ex coni sectione oriuntur.

Scholion.

387. *Sectiones conicæ præter circulum sunt tres*; Parabola, Hyperbola & Ellipsis. *Nos præcipuas earum proprietates, quæ scilicet frequentioris sunt usus, ex æquationibus eas definientibus per calculum Algebraicum eruemus, quia nobis propositum est, Algebræ ad Geometriam sublimiorem applicationem exemplis docere, licet non diffiteamur, communes earum proprietates una eademque opera demonstrari, si in solido seu in cono, ex quo secantur, considerentur.*

Definitio XXXIII.

388. *Parabola* est curva, in qua $ax = y^2$, hoc est, quadratum semiordinatæ æquatur rectangulo ex abscissa in rectam constantem, quæ axis *Parameter*, ab aliis *Latus rectum* dicitur.

Scholion.

389. *Hanc proprietatem parabolæ competere assumimus respectu axis: quod vero etiam ipsi competere debeat respectu cujuslibet diametri, inferius demonstrabitur.*

Corollarium I.

390. Est ergo parabola curva primi generis & crescentibus abscissis crescunt semiordinatæ, consequenter curva in se non redit.

Corollarium II.

391. Et in ea $x = y^2 : a$ atque $a = y^2 : x$, hoc est, abscissa est tertia proportionalis ad parametrum & semiordinatam, parameter vero tertia proportionalis ad abscissam & semiordinatam.

Corollarium III.

392. Porro $\sqrt{ax} = y$, hoc est, semiordinata est media proportionalis inter parametrum & abscissam.

Corollarium IV.

393. Data itaque parametro AB describi potest parabola. Continuetur enim parameter AB in C & in B erigatur perpendicularis infra lineam AC continuanda in N. Ex centris ad libitum assumtis circino usque ad A aperto ducantur arcus, rectam BV in I, II, III, IV, V &c. rectam vero BC in 1, 2, 3, 4, 5 &c. intersecantes: erunt B1, B2, B3, B4, B5 &c. abscissæ, BI, BII, BIII, BIV, BV &c. semiordinatæ (§. 327 *Geom.*). Quare si lineæ B1, B2, B3 &c. ex recta BC in BN transferantur & in punctis 1, 2, 3 &c. normales applicentur 1I = BI, 2II = BII, 3III = BIII &c. curva per puncta I, II, III &c. transiens parabola est: BN vero ejus axis (§. 392). Elegantius parabola describitur, si sumto AX pro axe parabolæ & puncto A pro vertice fiat AB parametro æqualis & ducta recta CD, quæ rectam BX ad angulos rectos secet, describantur pro arbitrio circuli quotcunque transeuntes per B & axem secantes in P, P, P &c. erunt enim AP, AP, AP &c. abscissæ, PI = A1, PII = A2, PIII = A3 &c. semiordinatæ parabolæ (§. 327 *Geom.*).

Tab. III. *Fig.* 39.

Tab. XII. *Fig.* 118.

Corol-

COROLLARIUM V.

Tab. III. Fig. 39. 394. Quodlibet etiam punctum parabolæ geometrice determinari potest. E. gr. quæritur, utrum punctum M sit in parabola, necne. Demittatur ex M ad BN perpendicularis PM & fiat PN parametro AB æqualis. Super BN describatur semicirculus. Quodsi enim is transeat per M; erit punctum M in parabola (§. 327. *Geom.* & §. 391 *Analys.*).

DEFINITIO XXXIV.

395. *Focus* est punctum axis F, in quo semiordinata FN æquatur semiparametro.

PROBLEMA CLXXIV.

Tab. III. Fig. 40. 396. *Invenire distantiam Foci a vertice AF.*

Sit $AF = x$, $parameter = a$, erit $FN = \frac{1}{2}a$ (§. 395), consequenter

$$\frac{1}{4}a^2 = ax \text{ (§. 387)}$$

$$\frac{1}{4}a = x$$

Theorema. In Parabola distantia foci a vertice AF est ad parametrum in ratione subquadrupla, seu quarta pars parametri.

COROLLARIUM I.

397. Quoniam $y^2 = ax$ (§. 388): quadratum semiordinatæ PM est quadruplum rectanguli ex distantia foci a vertice in abscissam $\frac{1}{4}ax$ sive AF. AP.

COROLLARIUM II.

398. Invenitur adeo distantia foci a vertice AF, si ad abscissam quamcunque AP & dimidiam semiordinatam $\frac{1}{2}$ PM quæratur tertia proportionalis (§. 327 *Geom.*). Est enim $\frac{1}{4}PM^2 = AP.\ AF$ (§. 377 *Geom.*), consequenter $PM^2 = 4\ AF.\ AP$.

PROBLEMA CLXXV.

Tab. III. Fig. 40. 399. *Determinare quantitatem rectæ FM ex foco F ad extremitatem semiordinatæ M ductæ.*

Sit $AP = x$. Quoniam $AF = \frac{1}{4}a$ (§. 396), erit $PF = x - \frac{1}{4}a$ vel $\frac{1}{4}a - x$, si $AF > PA$, consequenter

$$PF^2 = x^2 - \frac{1}{2}ax + \frac{1}{16}a^2$$
$$PM^2 = ax \text{ (§. 388)}$$

$$FM^2 = x^2 + \frac{1}{2}ax + \frac{1}{16}a^2 \text{ (§. 417 Geom.)}$$

$$FM = x + \frac{1}{4}a.$$

Theorema. Recta FM ex foco F ad extremitatem semiordinatæ parabolæ ducta æquatur aggregato ex abscissa AP & distantia foci a vertice AF.

COROLLARIUM. I.

400. Si quarta pars parametri ex A in *f* & F transfertur & per AD parallelæ quotcunque ipsi in punctis P normales MM aguntur, tandemque ex F intervallo P*f* puncta M determinantur; curva per hæc puncta transiens est parabola.

COROLLARIUM II.

401. Potest ergo parabola etiam continuo motu describi. Nimirum assumta recta pro axe fiat $fA = AF = \frac{1}{4}a$. In A firmetur regula DB secans axem *f* D ad angulos rectos. Extremitati regulæ alterius EC alligetur filum, altero sui extremo in foco F fixum, quod sit $= AD + AF$. Quodsi stylo ad regulam EC applicato regula EC juxta ductum alterius DB dextrorsum & dein sinistrorsum promoveatur; stylus parabolam designabit. Est enim constanter $FM = EM = Pf = x + \frac{1}{4}a$. consequenter punctum M in parabola (§. 399). Tab. III. Fig. 41.

PROBLEMA CLXXVI.

402. *Invenire rationem semiordinatarum in Parabola.*

Sint abſciſſæ x & v, ſemiordinatæ y & z; erit $y^2 = ax$ & $z^2 = av$ (§. 388), conſequenter

$$y^2 : z^2 = ax : av$$
$$y^2 : z^2 = x : v \quad (\S.\,124)$$
$$y : z = \sqrt{x} : \sqrt{v}$$

Theorema. Quadrata ſemiordinatarum ſunt inter ſe ut abſciſſæ: ipſæ autem ſemiordinatæ in ratione ſubduplicata abſciſſarum.

PROBLEMA CLXXVII.

Tab. III. Fig. 40. 403. *Determinare quantitatem rectanguli ex ſumma duarum ſemiordinatarum* PM + pm *in differentiam earundem* R*m*.

$$PM + pm = \sqrt{ax} + \sqrt{av} \quad (\S.\,402$$
$$mR = \sqrt{av} - \sqrt{ax} \quad 388).$$
$$(PM + pm) mR = av - ax = a(v - x)$$
$$= a.\,Pp$$

Theorema. Rectangulum ex ſumma duarum ſemiordinatarum in differentiam earundem æquatur rectangulo ex parametro in differentiam abſciſſarum.

COROLLARIUM.

404. Eſt ergo parameter ad ſummam duarum ſemiordinatarum ut earundem differentia ad differentiam abſciſſarum. (§. 299 *Arithm.*)

PROBLEMA CLXXVIII.

405. *Determinare quantitatem rectanguli ex ſemiordinata in abſciſſam.*

Tab. III. Fig. 40. Quoniam PM $= \sqrt{ax}$ (§. 392); erit PM. AP $= x\sqrt{ax} = \sqrt{ax^3}$ (§. 61). Quare cum ſit $ax : \sqrt{ax^3} = \sqrt{ax^3} : x^2$, hoc eſt, $ax : x\sqrt{ax} = \sqrt{ax^3} : x^2$; erit $a : \sqrt{ax} = \sqrt{ax^3} : x^2$ (§. 124)

hoc eſt a : PM = PM. AP : AP^2.

Theorema. In parabola eſt rectangulum ex ſemiordinata in abſciſſam ad quadratum abſciſſæ ut parameter ad ſemiordinatam.

PROBLEMA CLXX.

406. *Determinare quantitatem rectanguli ex abſciſſa una in alteram.*

Sit abſciſſa una $= x$, altera $= v$; ſemiordinata una $= y$, altera $= z$; erit $x = y^2 : a$ & $v = z^2 : a$ (§. 391), conſequenter $xv = y^2 z^2 : a^2$, adeoque $a^2 : y^2 = z^2 : xv$.

Theorema. In parabola quadratum parametri eſt ad quadratum ſemiordinatæ unius, ut quadratum ſemiordinatæ alterius ad rectangulum abſciſſarum,

PROBLEMA CLXXX.

407. *Determinare quantitatem chordæ* AM. Tab. III. Fig. 41.

Sit Parameter $= a$, AP $= x$, erit PM$^2 = ax$ (§. 388). Quare cum AP$^2 = x^2$; erit AM$^2 = ax + x^2$ (§. 417 *Geom.*), $= (a + x)\,x = (a +$ AP). AP.

Theorema. In parabola chorda eſt media proportionalis inter abſciſſam & compoſitam ex parametro & abſciſſa.

DEFINITIO XXXV.

408. Si TM curvam tangit in M, ducatur MR ad tangentem normalis; Tab. III. Fig. 42. recta PT inter tangentem TM & ſemiordinatam PM intercepta *Subtangens* vocatur: quæ vero inter ſemiordinatam & normalem intercipitur PR, *Subnormalis* audit.

COROLLARIUM.

409. Eſt adeo TMR triangulum rectangulum (§. 91 *Geom.*), adeoque ob PM ad AR normalem (§. 329. 267 *Geom.*), PR : PM = PM : PT & PM : PT = MR : TM, hoc eſt, in omni curva ſubnormalis eſt tertia proportionalis ad ſubtangentem & ſemiordinatam, & normalis eſt ad tangentem ut ſemiordinata ad ſubtangentem.

PRO-

PROBLEMA CLXXXI.

410. *Determinare quantitatem subtangentis PT & subnormalis PR in Parabola.*

Sit $AP=x$, MR ad tangentem TM perpendicularis $=t$, $RA=v$, erit $PR=v-x$, $PM^2=ax$ (§. 388) & (§. 417 *Geom.*)

$$ax=t^2-v^2+2vx-x^2$$

hoc est $$\begin{array}{l} x^2-2vx+v^2=0 \\ +\;ax-t^2 \end{array}$$

Eadem æquatio provenit, si recta TM parabolam secet, & quidem ad utrumque sectionis punctum. Quoniam itaque in puncto contactus duo illa puncta coincidunt; æquatio duas radices æquales habere debet, coincidentibus nimirum etiam abscissis per x designatis. Quare si fiat $x=z$ seu $x-z=0$ & inde formetur æquatio $x^2-2zx+z^2=0$, duas æquales radices continens (§. 329); hæc cum antea inventa eadem esse debet, consequenter

$$-2z=-2v+a$$

Ergo ob $z=x$) $x=v-\frac{1}{2}a$

$$\frac{1}{2}a=v-x=PR$$

Porro (§. 406) $PR:PM=PM:PT$

hoc est, $\frac{1}{2}a:\sqrt{ax}=\sqrt{ax}:PT$

Ergo $PT=ax:\frac{1}{2}a=2x$.

Theorema. In parabola subtangens PT est abscissæ AP dupla; subnormalis vero PR parametri subdupla, adeoque constans.

COROLLARIUM I.

Tab. III. Fig. 40. 411. Quoniam $TA=x$ & distantia foci a vertice $AF=\frac{1}{4}a$ (§. 396); erit $TF=\frac{1}{4}a+x$. Ergo recta FM ex foco F ad punctum contactus M ducta æquatur rectæ TF (§. 399), consequenter TFM triangulum æquicrurum.

COROLLARIUM II.

412. Quoniam $PA=x$ & $AF=\frac{1}{4}a$ (§. 396), erit $PF=x-\frac{1}{4}a$, consequenter cum sit $PR=\frac{1}{2}a$ (§. 410), $FR=x+\frac{1}{4}a$, adeoque $FR=FM$ (§. 399) $=TM$ (§. 411). Circulus igitur ex foco parabolæ F per punctum ejus M ductus subtangentem PT & subnormalem PR determinat, consequenter punctum T, ex quo ducitur tangens TM.

COROLLARIUM III.

413. Quodsi MG ducatur parallela axi AQ, erit angulus $GMS=FTM$ (§. 233 *Geom.*). Cumque sit $TF=FM$ (§. 411); erit $FTM=FMT$ (§. 184 *Geom.*), consequenter $FMT=GMS$ (§. 87 *Arithm.*). Tab. III. Fig. 42.

PROBLEMA CLXXXII.

414. *Ducta* ON *tangenti* TM, & MG *axi* AQ *parallela, determinare rationem segmentorum* HF & FN. Tab. III. Fig. 43.

Sit $AP=AT=x$, erit $PM=\sqrt{ax}$ (§. 392) $PT=IO$ (ob $TO=MF=PI$, (§. 257 *Geom.*) $=2x$ (§. 410). Sit $MF=PI=v$, erit $TI=v+2x$, $IA=v+x$. Sit denique $IQ=FG=t$, erit $OQ=OI+IQ=2x+t$, $QA=x+v+t$, & hinc $QN^2=ax+av+at$ (§. 388). Porro (§. 268 *Geom.*).

$$OI:IF=OQ:QN$$

h. e. $$OI^2:IF^2=OQ^2:QN^2$$

$$4x^2:ax=(2x+t)^2:QN^2$$

$$4x:a=(2x+t)^2:\frac{a(2x+t)^2}{4x}$$

Est itaq; $a(x+v+t)=a(2x+t)^2:4x$

$$4x^2+4xv+4tx=4x^2+4tx+t^2$$

$$4xv=t^2$$

Quodsi LI dicatur t; reperietur eodem modo $t^2=4xv$, reliquis manentibus iisdem. Unde patet, esse LI=IQ. Est vero (§. 268 *Geom.*). OH:OL=HN:LQ & OH:OL=HF:LI adeoque HN : HF = LQ : LI (§. 167. 173 *Arithm.*). Sed LI=$\frac{1}{2}$ LQ =IQ, *per demonstrata.* Ergo HF=$\frac{1}{2}$ HN=FN (§. 149 *Arith.*).

Theorema. Si recta HN tangenti TM parallela ducatur, recta MG ex puncto contactus M cum axe parallela ducta eam bifariam secat in F.

COROLLARIUM I.

Tab. III. *Fig.* 43. 415. Est ergo MG diameter, HN ejus ordinata, MF abscissa (§. 368. 370. 371).

COROLLARIUM II.

416. Quoniam anguli recti ad G & I *per constr.* æquales sunt (§. 145 *Geom.*) & ob parallelismum rectarum FG & OQ *per construct.* anguli F & O in ΔΔFNG & FOI æquales sunt (§. 233 *Geom.*), erit (§. 268 *Geom.*)

$$OI : FI = FG : GN$$
$$2x : \sqrt{ax} = \sqrt{4vx} : \sqrt{av}$$

Et quia (§. 417 *Geom.*) $FN^2 = FG^2 + GN^2$ erit $FN^2 = 4vx + av = (a+4x)v$. Jam cum FM=$v$, & x respectu puncti M constans; $a + 4x$ est parameter diametri, & quadratum etiam ad diametrum applicatæ æquale rectangulo ex parametro in abscissam.

COROLLARIUM III.

417. Recta ex foco ad verticem diametri M ducta est $\frac{1}{4}a + x$ (§. 399); diameter ergo parametri est rectæ illius quadrupla.

PROBLEMA CLXXXIII.

Tab. XII. *Fig.* 191. 418. *Si TM parabolam tangit in M & MR fuerit ad eam normalis & ex foco F ducatur recta FM atque FO ad TM normalis, demittatur etiam ex R ad rectam FM normalis RH; determinare quantitatem segmentorum MH & FH, itemque rectæ OF.*

Sit parameter a, AP=x, erit FM $=\frac{1}{4}a+x$ (§. 399), PR=$\frac{1}{2}a$ & TP=$2x$ (§. 410). Cum TFM sit triangulum æquicrurum (§. 411), erit TO=OM (§. 184 *Geom.*). Quoniam itaque $TM^2=TP^2+PM^2$ (§. *cit.*); erit $TM^2=4x^2+ax$ (§. 388), consequenter $OM^2=x^2+\frac{1}{4}ax$, quod ex $FM^2=\frac{1}{16}a^2+\frac{1}{2}ax+x^2$ subductum relinquit $FO^2=\frac{1}{16}a^2+\frac{1}{4}ax=(\frac{1}{4}a+x)\frac{1}{4}a$ (§. 417 *Geom*). Porro $MR^2=PR^2+PM^2$ (§. 417 *Geom.*) $=\frac{1}{4}a^2+ax=(\frac{1}{4}a+x)a$. Jam cum in Triang. OFM & HMR anguli ad O & H recti *per hypoth.* sint inter se æquales (§. 145 *Geom.*) & ob parallelismum rectarum MR & FO (§. 256. *Geom.*) anguli F & M æquales (§. 233 *Geom.*); erit (§. 268 *Geom.*).

$$FM : OF = MR : MH$$

adeoq; $FM^2 : OF^2 = MR^2 : MH^2$ (§. 124)

$$(\tfrac{1}{4}a+x)^2 : (\tfrac{1}{4}a+x)\tfrac{1}{4}a = (\tfrac{1}{4}a+x)a : MH^2$$
$$\tfrac{1}{4}a + x : \tfrac{1}{4}a = (\tfrac{1}{4}a+x)a : MH^2 \text{ (§ 124)}$$
$$1 : \tfrac{1}{4}a = a : MH^2 \text{ (§. cit.)}$$

$$MH^2 = \tfrac{1}{4}a^2$$

$$MH = \tfrac{1}{2}a = PR$$

Ergo HF=FM—HM=$x - \frac{1}{4}a$=FP.

Theorema 1. Recta OF ex foco parabolæ F ad tangentem TM ducta est media proportionalis inter quartam partem parametri & rectam FM ex foco F ad punctum parabolæ M ductam.

Theorema

Theorema 2. Si MR fuerit ad parabolam in puncto M normalis & ex R ducatur ad rectam FM ex foco F in idem parabolæ punctum M ductum normalis RH; erit MH subnormali PR & HF portioni axis inter focum F & semiordinatam PM interceptæ æqualis.

PROBLEMA CLXXXIV.

Tab. III. Fig. 42. 419. *Invenire æquationem ad parabolam externam, hoc est, punctis parabolæ M ad rectam AO, quæ ad axem AR in vertice A perpendicularis, relatis.*

Sit abscissa $AN = x$, semiordinata $NM = y$, parameter $= a$. Quoniam AN *per hypoth.* & PM (§. 368) perpendicularis ad AR; erit AN ipsi PM parallela (§. 256 *Geom.*). Cum ex eadem ratione NM sit parallela ipsi AR; erit AN=PM & NM= AP (§. 257 *Geom.*), consequenter $PM = x$, $AP = y$, atque ideo $x^2 = ay$ (§. 388).

DEFINITIO XXXVI.

Tab. III. Fig. 44. 420. *Ellipsis* est linea curva, in qua quadratum semiordinatæ PM est ad rectangulum ex segmentis axis AP & PB ut parameter ad axem, hoc est, si $AB = a$, parameter $= b$, $PM = y$, $AP = x$, erit $b : a = y^2 : ax - x^2$ adeoque $ay^2 = abx - bx^2$.

COROLLARIUM I.

421. Est ergo $y^2 = bx - bx^2 : a$, hoc est, quadratum semiordinatæ æquatur rectangulo ex parametro in abscissam, demto tamen alio rectangulo ex eadem abscissa in quartam proportionalem ad axem, parametrum & abscissam.

COROLLARIUM II.

422. Fiat $y = 0$, erit $bx - bx^2 : a = 0$, adeoque $abx = bx^2$ consequenter $a = x$. Patet adeo curvam secare AB in A & B, consequenter in se redire.

COROLLARIUM III.

423. Fiat $x = \frac{1}{2} a$. Erit $y^2 = \frac{1}{2} ab - a^2 b : 4a = \frac{1}{4} ab$, consequenter $y = CD = \sqrt{\frac{1}{4} ab}$. Ergo $DE = 2\sqrt{\frac{1}{4} ab} = \sqrt{ab}$, hoc est, axis minor ED est medius proportionalis inter majorem AB & parametrum, consequenter parameter tertia proportionalis ad axem majorem & minorem.

COROLLARIUM IV.

424. Quia $ay^2 = abx - bx^2$

$$\overline{\qquad\qquad}$$

erit $bx^2 = abx - ay^2$

$$\overline{\qquad\qquad}$$

$$bx^2 : (bx - y^2) = a$$

Invenitur ergo axis parametro, abscissa & semiordinata datis, si fiat, 1°. $b : y = y : \frac{y^2}{b}$ 2°. $x - \frac{y^2}{b} = \frac{bx - y^2}{b} : x = x : a$. Nimirum sit axis AB positione datus & parameter AL ad eum perpendicularis. Datis abscissa AP & semiordinata PM, fiat AN= AQ= PM; ducta NF ipsi LQ parallela, erit $AF = y^2 : b$, consequenter $FP = x - y^2 : b$. Continuetur LA in G, factaque AH= FP & AG= AP ducatur GB ipsi HP parallela: erit $AB = bx^2 : (bx - y^2)$, adeoque axis quæsitus. Tab. XII. Fig. 120.

COROLLARIUM V.

425. Quia $ay^2 = abx - bx^2$

$$\overline{\qquad\qquad}$$

erit $ay^2 : (ax - x^2) = b$ consequenter 1°. $x : y = y : \frac{y^2}{x}$ & 2°. $a - x : \frac{y^2}{x} = a : b$. Tab. IV. Fig. 45.

Datis ergo axe AB, abscissa AP & semiordinata PM, ita invenitur parameter AG. 1°. Fiat AI= PM & ex A per M ducatur recta AL. 2°. In I erigatur perpendicularis LI; erit (§. 268. *Geom.*) ob AP : PM= AI : LI; $LI = y^2 : x$. 3°. Producatur PM in O, donec $PO = LI = y^2 : x$, & ex B per O ducatur recta BG. 4. In A excitetur perpendicularis GA = (ob BP: PO = BA: GA) $ay^2 : (ax - x^2)$: quæ erit parameter AG.

COROLLARIUM VI.

426. $$y = \sqrt{\left(\frac{abx - bxx}{a}\right)} = \sqrt{\left(\frac{bx}{a}(a - x)\right)}.$$

Datis itaque axe AB & parametro AG, cuilibet abſciſſæ BP ſemiordinata PN aſſignatur, ſi parametro AG axi AB ad angulos rectos juncta ducatur GB & erecta perpendiculari PN, fiat PL = PH, tandemque ſuper AL ſemicirculus deſcribatur. Eſt enim AB (a): GA (b) = BP (x): PH $(bx : a)$ & PN $= \sqrt{(AP. PL)} = \sqrt{((a - x, (bx : a))} = \sqrt{(bx - bx^2 : a)}$.

PROBLEMA CLXXXV.

Tab. III. Fig. 44. 427. *Invenire diſtantiam foci a vertice* AF.

Sit AB $= a$, parameter $= b$, AF $= x$, erit FR $= \frac{1}{2}b$ (§. 395) &

$$\frac{1}{4}ab^2 = abx - bx^2$$

$$\frac{1}{4}ab = ax - x^2$$

$$x^2 - ax = -\frac{1}{4}ab$$
$$\quad \frac{1}{4}a^2 \qquad \frac{1}{4}a^2$$

$$x^2 - ax + \frac{1}{4}a^2 = \frac{1}{4}a^2 - \frac{1}{4}ab$$

$$\frac{1}{2}a - x = \sqrt{(\frac{1}{4}a^2 - \frac{1}{4}ab)}$$

$$\frac{1}{2}a - \sqrt{(\frac{1}{4}a^2 - \frac{1}{4}ab)} = x$$

Conſtructio. Ex B in L transferatur dimidia parameter, erit CL $= \frac{1}{2}a - \frac{1}{2}b$. In centro C erigatur perpendicularis CK occurrens ſemicirculo ſuper AL deſcripto in K, erit CK $= \sqrt{(\frac{1}{4}a^2 - \frac{1}{4}ab)}$. Fiat itaque CF = CK; erit in F focus.

Aliter Quoniam $\sqrt{\frac{1}{4}ab}$ = CD, (§. 423) ſi intervallo DF $= \frac{1}{2}a$ interſecetur AB in F, erit in F focus. Nam CD$^2 = \frac{1}{4}ab$ & DF$^2 = \frac{1}{4}a^2$. Ergo CF $= \sqrt{(\frac{1}{4}a^2 - \frac{1}{4}ab)}$, ut ante.

Æquatio ſecunda ſequens ſuppeditat

Theorema. Si axis AB in foco F ſecetur; erit rectangulum ex ſegmentis axis AF. FB ſubquadruplum rectanguli ex parametro in axem ſeu quadrato axis dimidii majoris CD æquale.

COROLLARIUM.

428. Diſtantia foci a centro eſt $= \sqrt{(\frac{1}{4}a^2 - \frac{1}{4}ab)}$, hoc eſt, quadratum ejus eſt differentia quadratorum DC & AC.

PROBLEMA CLXXXVI.

429. *Invenire rationem ordinatarum* PM *&* pm *in ellipſi.* Tab. III. Fig. 44.

Sit AB $= a$, parameter $= b$, AP $= x$, PM $= y$, A$p = z$, $pm = v$; erit

$$\left.\begin{aligned} y^2 &= bx - bx^2 : a \\ v^2 &= bz - bz^2 : a \end{aligned}\right\} (\text{§. } 421).$$

Ergo $y^2 : v^2 = bx - \dfrac{bx^2}{a} : bz - \dfrac{bz^2}{a}$

h. e. $y^2 : v^2 = ax - x^2 : az - z^2$

ſeu PM^2 : pm^2 = AP. BP : Ap.pB

Theorema. In ellipſi quadrata ſemiordinatarum ſunt inter ſe ut rectangula ex axis ſegmentis.

COROLLARIUM I.

430. Eſt igitur etiam DC^2 : PM^2 = CB^2 : AP. PB, conſequenter DC^2 : CB^2 = PM^2 : AP. PB (§. 173 *Arithm.*), hoc eſt, quadratum axis minoris eſt ad quadratum majoris ut quadratum ſemiordinatæ ad rectangulum ex axis ſegmentis.

COROLLARIUM II.

431. Sit CP $= x$, erit AP $= \frac{1}{2}a - x$ & PB $= \frac{1}{2}a + x$, conſequenter AP. PB $= \frac{1}{4}a^2 - x^2$. Habemus adeo (§. 430)

$$\frac{1}{4}ab : \frac{1}{4}a^2 = y^2 : \frac{1}{4}a^2 - xx$$

hoc eſt $b : a =$

$$ay^2 = \frac{1}{4}a^2 b - bx^2$$

$$y^2 = \frac{1}{4}ab - bx^2 : a$$

En æquationem aliam, quæ naturam ellipſis definit, abſciſſis a centro C computatis.

COROL-

COROLLARIUM III.

432. Sit $CD = d$, $AC = r$, $PC = x$, erit $AP = r - x$ & $PB = r + x$, consequenter $AP.PB = r^2 - x^2 = AC^2 - PC^2$. Habemus ergo ut ante

$$d^2 : r^2 = y^2 : r^2 - x^2$$

unde

$$r^2 y^2 = d^2 (r^2 - x^2)$$

$$y^2 = d^2 (r^2 - x^2) : r^2$$

En æquationem adhuc aliam, quæ itidem ellipsis naturam definit, abscissis denuo a centro C computatis, & qua in subsequentibus ob commoditatem utemur.

COROLLARIUM IV.

433. Crescentibus adeo abscissis x, semiordinatæ decrescere debent. Quodsi tandem fiat $x = r$; erit $r^2 - x^2 = 0$, consequenter $y^2 = 0$, adeoque ellipsis cum axe tandem concurrit. Unde porro intelligitur, ellipsin esse lineam in se redeuntem.

PROBLEMA CLXXVII.

Tab. IV. Fig. 46. 434. *Determinare quantitatem rectarum* FM *&* fM *ex utroque foco* F *&* f *ad idem peripheriæ punctum* M *ductarum.*

Sint $FC = fC = c$, reliqua ut ante: erit $PC = \frac{1}{2}a - x$, $Pf = c + \frac{1}{2}a - x$, $pF = c - \frac{1}{2}a + x$, adeoque $PF^2 = c^2 - ac + \frac{1}{4}a^2 + 2cx - ax + x^2, = (\frac{1}{2}a - c)^2 + 2cx - ax + x^2$; $Pf^2 = c^2 + ac + \frac{1}{4}a^2 - 2cx - ax + x^2. = (\frac{1}{2}a + c)^2 - 2cx - ax + x^2$. Est vero (§. 430).

$$CB^2 : DC^2 = AP.PB : PM^2$$

$$\tfrac{1}{4}a^2 : \tfrac{1}{4}a^2 - c^2 = ax - xx : PM^2$$

Habemus adeo

$$PM^2 = ax - xx - \frac{4ccx}{a} + \frac{4ccxx}{aa}$$

$$PF^2 = (\tfrac{1}{2}a - c)^2 + 2cx - ax + xx$$

$$FM^2 = (\tfrac{1}{2}a - c)^2 + 2cx - \frac{4c^2x}{a} + \frac{4c^2x^2}{aa}$$

$$FM = \tfrac{1}{2}a - c + 2cx : a$$

Porro

$$PM^2 = ax - xx - \frac{4ccx}{a} + \frac{4ccxx}{aa}$$

$$Pf^2 = (\tfrac{1}{2}a + c)^2 - 2cx - ax + xx$$

$$fM^2 = (\tfrac{1}{2}a + c)^2 - 2cx - \frac{4ccx}{a} + \frac{4c^2x^2}{aa}$$

$$fM = \tfrac{1}{2}a + c - 2cx : a$$
$$FM = \tfrac{1}{2}a - c + 2cx : a$$

$$fM + FM = a = AB$$

Theorema. Summa rectarum FM & fM ex utroque foco F & f ad idem peripheriæ punctum M ductarum æquatur axi majori AB.

COROLLARIUM I.

435. Datis ergo axibus conjugatis ellipsis facillime describitur. Determinatis enim focis F & f (§. 427), clavi in iis defigantur & his filum circumligetur FMf axi majori AB æquale. Quodsi immisso stylo filum extendatur & circa clavos circumducatur, ellipsis designabitur.

COROLLARIUM II.

436. Immo eodem modo geometrice determinatur quodlibet punctum ellipseos M. Axis enim AB dividatur pro arbitrio utcunque in duas partes, & parte una ex foco F, altera ex foco f describitur arcus: duo enim hi arcus se mutuo secabunt in puncto M. Possunt autem una eademque opera quatuor simul determinari puncta, singula nempe in singulis quadrantibus AD, DB, BE & EA.

PROBLEMA CLXXVIII.

437. *Determinare quantitatem rectæ* MR *ex quovis ellipsis puncto* M *ad axem conjugatum* DC *perpendicularis.* Tab. III. Fig. 44

Sit $MR = PC = v$, $AC = r$, erit $AP = r - v$ & $PB = r + v$. Sit $DR = z$, $DC = c$, erit $RC = PM = c - z$, consequenter (§. 430)

DC²:

$$DC^2 : CB^2 = PM^2 : AP.PB$$
$$cc : rr = z^2 - 2cz + c^2 : r^2 - v^2$$
$$c^2 : z^2 - 2cz + c^2 = r^2 : r^2 - v^2 \text{ (§.173 \textit{Arith.})}$$
$$2cz - z^2 : c^2 = v^2 : r^2 \text{ (§.193 \textit{Arithm.})}$$
$$2cz - z^2 : v^2 = c^2 : r^2 \text{ (§.173 \textit{Arithm.})}$$
$$DR.RE : RM^2 = DC^2 : AC^2.$$

Theorema. Rectangulum ex ſegmentis axis conjugati eſt ad quadratum ſemiordinatæ ipſius ut quadratum axis conjugati ad quadratum axis majoris.

COROLLARIUM I.

438. Habent ergo ad axem conjugatum coordinatæ eandem relationem, quæ inter coordinatas ad axem majorem intercedit.

COROLLARIUM II.

439. Quoniam $v^2 = \frac{2r^2z}{c} - \frac{r^2z^2}{c^2}$ (§.437); ſi fiat $2r^2 : c = p$, erit $v^2 = pz - pz^2 : 2c$. Eſt adeo p parameter axis conjugati (§.420). Quare parameter axis conjugati tertia proportionalis ad $2c$ & $2r$, ſeu ad axem conjugatum & axem majorem.

PROBLEMA CLXXXIX.

Tab. IV. Fig.47. 440. *Determinare ſubtangentem* PT *& ſubnormalem* PR *in Ellipſi.*

Eadem prorſus methodo utendum, qua in parabola uſi ſumus. Nimirum ſit parameter $= b$, axis major $= a$, AP $= x$, PM $= y$, MR $= t$, RA $= z$; erit PR $= z - x$, conſequenter PM$^2 = t^2 - z^2 + 2zx - x^2$. Eſt vero etiam PM$^2 = bx - bx^2 : a$ (§. 421). Quare

$$t^2 - z^2 + 2zx - x^2 = bx - bx^2 : a$$
$$at^2 - az^2 + 2azx - ax^2 = abx - bx^2$$
$$ax^2 - bx^2 + abx - 2azx + az^2 - at^2 = 0$$
$$x^2 + \frac{ab - 2az}{a - b}\,x + \frac{az^2 - at^2}{a - b} = 0$$

Cum ex ſuperioribus conſtet, æquationem hanc duas habere debere radices æquales; ponatur ut ſupra (§.410) $x - v = 0$, erit $x^2 - 2vx + v^2 = 0$, æquatio eadem cum anteriore, conſequenter

$$(ab - 2az) : (a - b) = -2v$$
$$ab - 2az = -2av + 2bv$$
$$ab + 2av - 2bv = 2az$$
$$\tfrac{1}{2}b + v - bv : a = z$$

Eſt vero $v = x$, *per hypoth.* Quare ſi x pro v ſubſtituatur, prodibit $z = \frac{1}{2}b + x - bx : a =$ AR. Ergo PR $= \frac{1}{2}b + x - bx : a - x = \frac{1}{2}b - bx : a = (\frac{1}{2}ab - bx) : a$, quæ expreſſio hanc ſuppeditat analogiam:

$$a : b = \tfrac{1}{2}a - x : PR$$

Theorema. In ellipſi eſt ut axis primus ad parametrum ita diſtantia ſemiordinatæ a centro ad ſubnormalem

Porro PR : PM = PM : PT (§. 409).

$$\frac{\frac{1}{2}ab - bx}{a} : y = y : \frac{ay^2}{\frac{1}{2}ab - bx}$$

Eſt vero $ay^2 = abx - bx^2$ (§. 420). Ergo PT $= (abx - bx^2) : (\frac{1}{2}ab - bx) = (ax - x^2) : (\frac{1}{2}a - x.)$ Habemus adeo

$$\tfrac{1}{2}a - x : x = a - x : PT$$
$$PC : AP = PB : PT$$

Ergo PB. AP = CP. PT

Theorema. In ellipſi rectangulum ex ſegmentis axis æquatur rectangulo ex diſtantia ſemiordinatæ a centro in ſubtangentem.

Tandem AT = PT − AP $= (ax - x^2) : (\frac{1}{2}a - x) - x = (ax - x^2 - \frac{1}{2}ax + x^2) : (\frac{1}{2}a - x) = \frac{1}{2}ax : (\frac{1}{2}a - x)$. Quare

$$\tfrac{1}{2}a - x : \tfrac{1}{2}a = x : AT$$
$$PC : AC = AP : AT$$

Theo-

Theorema. Ut distantia semiordinatæ a centro ad axem dimidium, ita abscissa ad portionem subtangentis inter verticem ellipsis & tangentem interceptam.

COROLLARIUM I.

441. Quia PC: AC = AP : AT; erit etiam PC : AP = AC : AT (§. 173 *Arithm.*), consequenter PC : PC + PA = AC : CA + AT (§. 190 *Arithm.*), hoc est, PC : AC = AC : CT.

COROLLARIUM II.

442. Est ergo $AC^2 = PC.\ CT$ (§. 377 *Geom.*) hoc est quadratum dimidii axis AC æquatur rectangulo ex CT in PC.

COROLLARIUM III.

443. Crescentibus abscissis x, decrescit $\frac{1}{2}a - x$, consequenter ratio $\frac{1}{2}a - x : \frac{1}{2}a$ minuitur (§. 203 *Arithm.*). Abscissa igitur major ad AT rationem minorem habet quam minor.

COROLLARIUM IV.

444. Si $x = \frac{1}{2}a$, hoc est, quando AC fit abscissa, $\frac{1}{2}a - x = 0$, consequenter abscissa rationem infinitam habet ad AT, adeoque tangens TM cum subtangente TP nunquam concurrit. Est igitur axi parallela.

COROLLARIUM V.

445. Hinc vero ulterius liquet, quantitatem finitam AC respectu infinitæ pro nihilo habendam esse.

PROBLEMA CXC.

Tab. IV. Fig. 47. 446. *Determinare quantitatem rectanguli ex subtangente* PT *in abscissam* CP.

Sit $PC = x$, $PT = t$, $AC = r$; erit $AP = r - x$ & $PB = r + x$, $CT = t + x$. Quoniam (§. 441)

$$PC : AC = AC : CT$$
$$x : r = r : t + x$$

erit $tx + xx = r^2$

$$tx = r^2 - x^2 = AP.\ PB$$

Theorema. Rectangulum ex subtangente PT in abscissam CP æquatur rectangulo ex segmentis axis.

PROBLEMA CXCI.

447. *Determinare valorem subtangentis* PT, *abscissis a centro computatis.* Tab. IV. Fig. 47.

Sit $AC = r$, $PC = v$, erit $PB = r + v$, $AP = r - v$, consequenter (§. 440).

$$PC : PB = AP : PT$$
$$v : r + v = r - v : t$$

$$tv = r^2 - v^2$$

Theorema. Rectangulum ex subtangente & distantia ordinatæ a centro æquatur differentiæ quadrati hujus distantiæ a quadrato semiaxis transversi.

PROBLEMA CXCII.

448. *Determinare quantitatem subtangentis* KE *in axe conjugato.* Tab. IV. Fig. 47.

Si tangens TM continuetur, donec axi conjugato continuato in E occurrat, & ex M demittatur perpendicularis MK = PC (§. 157 *Geom.*) erit ob parallelismum rectarum KM & CT angulus T = EMK (§. 233 *Geom.*). consequenter (§. 267 *Geom.*)

$$TP : PM = MK : KE$$
$$\frac{r^2 - v^2}{v} : y = v : \frac{v^2 y}{r^2 - v^2}$$

Quodsi fiat $DC = c$, $DK = z$, erit $KC = PM = y = c - z$ & $v^2 = \frac{2r^2 z}{c} - \frac{r^2 z^2}{c^2}$ (§. 436). Hinc $r^2 - v^2 = (c^2 r^2 - 2r^2 cz + r^2 z^2) : c^2$ & $v^2 y (= 2r^2 cz - r^2 z^2)(c - z) : c^2$. Quare $v^2 y : (r^2 - v^2) = (2r^2 cz^2 - r^2 z^2)(c - z) : (c^2 r^2 - 2r^2 cz + r^2 z^2) = (2r^2 cz - r^2 z^2) : (cr^2 - r^2 z) = (2cz - z^2) : (c - z)$

Expressio itaque subtangentis in axe conjugato eadem, quæ in transverso.

PROBLEMA CXCIII.

Tab. IV. *Fig.* 48. 449. *Si recta* HN *tangenti* TM *parallela ducatur & punctum contactus* M *atque centrum* C *jungantur recta* MC, *quæ secat* HN *in* G, *determinare rationem rectarum* HG *&* GN.

Sit $AB = a$, $PM = y$, $PC = c$, $FG = KD = t$, $GI = KS = z$, erit $IF = HL = DS = t - z$, $HL^2 = t^2 - 2tz + z^2$. Opera nunc danda, ut HL^2 alia adhuc ratione exprimatur. Est itaque (§. 268 *Geom.*)

$$PM : PC = FG : FC$$

$$y : c = t : (tc : y)$$

Et quia $\triangle$ TMP $\backsim$ FOG (§. 233. & 267 *Geom.*), & GIH $\backsim$ FOG (§. 268 *Geom.*); erit etiam TMP $\backsim$ GIH consequenter (§. 267 *Geom.*)

$$PM : PT = GI : HI$$

$$y : \frac{ax - x^2}{c} = z : \frac{(ax - x^2)z}{cy} \quad (§. 440)$$

Ponamus brevitatis gratia $ax - x^2 = v$; erit $FL = HI = vz : cy$. Ergo $CL = FL + FC = tc : y + vz : cy = (tc^2 + vz) : cy$. Hinc $AL = AC - CL = \frac{1}{2}a - (tc^2 + vz) : cy = (\frac{1}{2}acy - tc^2 - vz) : cy$ & $BL = AB - AL = a - (\frac{1}{2}acy - tc^2 - vz) : cy = (\frac{1}{2}acy + tc^2 + vz) : cy$. Est vero (§. 429)

$$AP.\ PB : LA.\ LB = PM^2 : HL^2$$

$$v : \frac{\frac{1}{4}a^2c^2y^2 - t^2c^4 - 2tc^2vz - v^2z^2}{c^2y^2} = y^2 : HL^2$$

Hinc $HL^2 =$

$$\frac{\frac{1}{4}a^2c^2y^2 - t^2c^4 - 2tc^2vz - v^2z^2}{c^2v} = t^2 - 2tz + z^2$$

$$\frac{1}{4}a^2c^2y^2 - t^2c^4 - 2tc^2vz - v^2z^2 = t^2c^2v - 2tc^2vz + z^2c^2v$$

$$\frac{1}{4}a^2c^2y^2 - t^2c^4 - v^2z^2 = t^2c^2v + z^2c^2v$$

$$\frac{1}{4}a^2c^2y^2 - t^2c^4 - t^2c^2v = v^2z^2 + c^2vz^2$$

$$\frac{\frac{1}{4}a^2c^2y^2 - t^2c^4 - t^2c^2v}{v^2 + c^2v} = z^2$$

Quodsi jam KN dicatur z, reliqua maneant ut ante; reperietur eodem modo $z^2 = \frac{\frac{1}{4}a^2c^2y^2 - t^2c^4 - t^2c^2v}{v^2 + c^2v}$, consequenter $KN^2 = KS^2$, adeoque & $KN = KS$.

Est vero (§. 268 *Geom.*) $KN : KS = GN : HG$. Ergo $GN = HG$.

Theorema. Si recta HN tangenti TM parallela ducatur, recta MC per contactum M & centrum ellipsis C transiens eam bifariam secat. Tab. IV. *Fig.* 49.

COROLLARIUM I.

450. Est ergo MQ diameter, HN ejus ordinata (§. 368. 370).

COROLLARIUM II.

451. Cum vero parallelæ HN quamcunque aliam, & rectæ MQ itidem quamcunque aliam substituere liceat; omnes rectæ per centrum transeuntes & in peripheria utrinque terminatæ sunt diametri, ipsisque coordinatæ sunt tangentibus parallelæ.

COROLLARIUM III.

452. Est ergo etiam ECV diameter, consequenter MQ & EV sunt diametri conjugatæ (§. 374).

PROBLEMA CXCIV.

453. *Si ex diametri* VE *tangenti* TM *parallelæ extremitate* V *perpendicularis* VR *demittatur in axem* AB; *determinare quantitatem rectæ* RC.

Sit $CA = r$, $CR = v$, $PT = t$, $PC = x$; erit $AR = r - v$, $RB = r + v$, consequenter $AP.\ PB = tx$ (§. 446), $AR.\ RB = r^2 - v^2 = tx + x^2 - v^2$ (§. 447). Tab. IV.
Quoniam VE ipsi TM parallela, *per hypoth.* erit MTC = TCV (§. 233 *Geom.*). *Fig.* 49.
Quare cum anguli ad P & R sint recti, *per*

per construct. erit (§. 267 *Geom.*), PM : RV = TP : RC. Hinc PM² : RV² = TP² : RC² (§. 124). Est vero etiam PM² : RV² = AP. PB : AR. RB (§. 429). Ergo (§. 167 *Arithm.*)

AP. PB : AR. RB = TP² : RC²

$$tx : tx + x^2 - v^2 = t^2 : v^2$$

$$tv^2x = t^3x + t^2x^2 - t^2v^2$$

$$v^2x = t^2x + tx^2 - tv^2$$

$$tv^2 + xv^2 = t^2x + tx^2$$

$$v^2 = tx$$

hoc est, CR² = AP. PB.
consequenter AP : CR = CR : PB.

PROBLEMA CXCV.

Tab. IV. *Fig.* 49. 454. *Determinare quantitatem semiordinatae* GH *ad diametrum ellipsis* MQ.

Ductis KI ipsi FD & KG ipsi AB parallelis, fiat CP $= x$, AC $= r$, PT $= t$, PM $= y$, KG = IL $= m$, LC $= n$. Erit (§. 268 *Geom.*)

CP : PM = CL : LG

$$x : y = n : \frac{ny}{x}$$

Porro ob parallelas TM & HN *per constr.* ang. TSA = KHG (§. 233 *Geom.*) adeoque ob rectos ad I & K *per constr.* T = HGK (§. 246 *Geom.*), & hinc (§. 267 *Geom.*).

TP : PM = KG : KH

$$t : y = m : \frac{my}{t}$$

$$HI = KI - KH = \frac{ny}{x} - \frac{my}{t}$$

$$CI = CL + LI = n + m$$

$$HI^2 = \frac{n^2y^2}{x^2} - \frac{2mny^2}{tx} + \frac{m^2y^2}{t^2}$$

$$CI^2 = n^2 + 2mn + m^2$$

AI. IB = AC² − CI² $= r^2 - n^2 - 2mn - m^2$ (§. 432).

Est vero (§. 429)

AP. PB : AI. IB = PM² : HI²

$$r^2 - x^2 : r^2 - n^2 - 2mn - m^2 = y^2 : HI.$$

Unde elicitur $HI^2 = \frac{r^2y^2 - n^2y^2 - 2mny^2 - m^2y^2}{r^2 - x^2}$

Quare

$$\frac{m^2y^2}{x^2} - \frac{2mny^2}{tx} + \frac{m^2y^2}{t^2} = \frac{r^2y^2 - n^2y^2 - 2mny^2 - m^2y^2}{r^2 - x^2}$$

Sed $\frac{2mny^2}{tx} = \frac{2mny^2}{r^2 - x^2}$ (§. 446). Ergo

$$\frac{n^2y^2}{x^2} + \frac{m^2y^2}{t^2} = \frac{r^2y^2 - n^2y^2 - m^2y^2}{r^2 - x^2}$$

y^2

$$\frac{n^2}{x^2} + \frac{m^2}{t^2} = \frac{r^2 - n^2 - m^2}{r^2 - x^2}$$

x^2

$$n^2 + \frac{m^2x^2}{t^2} = \frac{r^2x^2 - n^2x^2 - m^2x^2}{r^2 - x^2}$$

$$\frac{m^2x^4}{t^2x^2} = \frac{r^2x^2 - n^2x^2 - m^2x^2}{r^2 - x^2} - n^2$$

$$\frac{m^2x^4}{t^2x^2} = \frac{r^2x^2 - n^2x^2 - m^2x^2 - r^2n^2 + n^2x^2}{r^2 - x^2}$$

$$= \frac{r^2x^2 - m^2x^2 - r^2n^2}{r^2 - x^2}$$

hoc est, ob $t^2x^2 = (r^2 - x^2)^2$ (§. 446)

$$m^2x^4 = (r^2x^2 - m^2x^2 - r^2n^2)(r^2 - x^2)$$

$$= r^4x^2 - r^2m^2x^2 - r^4n^2 - r^2x^4 + m^2x^4 + r^2n^2x^2$$

$$0 = r^4x^2 - r^2m^2x^2 - r^4n^2 - r^2x^4 + r^2n^2x^2$$

$$0 = r^2 - m^2 - \frac{r^2n^2}{x^2} - x^2 + n^2$$

$$m^2 = r^2 + n^2 - x^2 - \frac{r^2n^2}{x^2} = KG^2$$

Sit jam CM $= v$, erit (§. 268 *Geom.*)

CP : CM = CL : CG

$$x : v = n : (vn : x)$$

Ergo MG = MG − CG $= v - vn : x$ & GQ = GC

$=GC+MC=v+vn:x$ MG.GQ $=v^2-v^2n^2:x^2$

Quodsi $v^2-v^2n^2:x^2=$ MG QG multiplices per $r^2-x^2=CR^2$ (§. 453) & $r^2+n^2-x^2-r^2n^2:x^2=KG^2$ per $v^2=CM$; utrobique prodit $r^2v^2+n^2v^2-x^2v^2-r^2n^2v^2:x^2$ Est itaque MG. QG. $CR^2=KG^2.CM^2$, adeoque (§.299 *Arithm.*) $KG^2:CR^2=$ MG. QG: CM^2. Jam ob parallelas EV & HN, *per hypoth.* MCV = MGH (§. 233 *Geom.*) & ob parallelas KG & RC, *per constr.* MGK = MCR (§. *cit.*). Ergo KGH = RCV (§.91 *Arith.*), consequenter $KG^2:CR^2=HG^2:CV^2$ (§. 267 *Geom.* & §. 260 *Arithm.*). Unde tandem habetur (§. 167 *Arithm.*) MG QG: $CM^2=HG^2:CV^2$.

Theorema. In ellipsi est quadratum semiordinatæ ad quadratum semidiametri conjugatæ ut rectangulum ex segmentis diametri ad quadratum semidiametri.

COROLLARIUM.

455. Sit MQ $=a$, EV $=c$, MG $=x$, HG $=y$, erit GQ $=a-x$, consequenter (§. 454)

$$ax-x^2:\tfrac{1}{4}a^2=y^2:\tfrac{1}{4}c^2$$

$$\tfrac{1}{4}c^2ax-\tfrac{1}{4}c^2x^2=\tfrac{1}{4}a^2y^2 \quad \tfrac{1}{4}a$$

$$c^2x-\frac{c^2x^2}{a}=ay^2$$

Fiat $\dfrac{c^2}{a}=b$, erit $c^2=ab$.

Hinc $abx-bx^2=ay^2$

Eadem ergo est relatio semiordinatarum ad diametros, quæ ad axem (§. 420) & diametri parameter est tertia proportionalis ad diametros a & c.

SCHOLION.

456. *Cum ex hac æquatione fundamentali reliquas ellipsis proprietates respectu axis deduxerimus; evidens est, omnes quoque istas proprietates ellipsi competere intuitu diametri.*

PROBLEMA CXCVI.

457. *Determinare quantitatem rectæ FO ex foco F ad Tangentem Ellipsis TM perpendicularis.* Tab. XII. Fig. 119.

Sit RM ad tangentem TM normalis: erunt MR & OF inter se parallelæ (§. 256 *Geom.*), adeoque TR:RM = TF:FO (§. 268 *Geom.*). Porro cum in triangulo rectangulo TMR semiordinata PM sit ad hypothenusam TR perpendicularis (§. 368. 370); erit $\triangle$ PMR $\backsim$ $\triangle$ TMP (§. 329 *Geom.*), adeoque TR : RM = RM : PR (§. 267 *Geom.*). Est ergo RM : PR = TF : FO (§. 167 *Arithm.*), consequenter FO. RM = PR. TF (§. 378 *Geom.*).

Theorema. Rectangulum ex subnormali PR in differentiam distantiæ foci a semiordinata atque subtangentis TF æquale est rectangulo ex normali MR & recta ex foco ad tangentem perpendiculari FO.

PROBLEMA CXCVII.

458. *Si in F fuerit focus ellipsis & MR ad eam normalis, HR vero normalis ad FM ex foco ad punctum contactus ductam; determinare quantitatem segmentorum MH & HF.* Tab. XII. Fig. 119.

Sit parameter $=b$, axis $=a$, distantia foci a centro $=c$, erit FM $=\tfrac{1}{2}a-c+2cx:a$ (§. 434), PR $=(\tfrac{1}{2}ab-bx):a$ (§. 440), AT $=\tfrac{1}{2}ax:(\tfrac{1}{2}a-x)$ (§. *cit.*) & AF $=\tfrac{1}{2}a-c$, consequenter TF $=\tfrac{1}{2}ax:(\tfrac{1}{2}a-x)+\tfrac{1}{2}a-c=ax:(a-2x)+\tfrac{1}{2}a-c=(\tfrac{1}{2}a^2-ac+2cx):(a-2x)$. Ducatur FO ad tangentem TM normalis, erit OF parallela ipsi MR (§. 256 *Geom.*), adeoque angulus OFM ipsi HMR æqualis (§. 233 *Geom.*) & hinc

& hinc ob rectos ad O & H æquales (§.145 *Geom.*) reperitur (§. 267 *Geom.*) FM: FO = MR: MH hoc est, FM: $\frac{PR.TF}{MR}$ = MR: MH (§. 457). Est itaque MH = (PR. TF): FM, consequenter FM: TF = PR: MH. Quare

$$\tfrac{1}{2}a - c + \frac{2cx}{a} : \frac{\frac{1}{2}a^2 - ac + 2cx}{a - 2x} = \frac{ab - 2bx}{2a} : MH$$

$$a^2 - 2ac + 4cx : \frac{\frac{1}{2}a^2 - ac + 2cx}{a - 2x} = ab - 2bx : MH$$

(§.184. *Arith.*)

$$\frac{a^2 - 2ac + 4cx}{a - 2x} : \frac{\frac{1}{2}a^2 - ac + 2cx}{a - 2x} = b : MH$$

(§.183. *Arith.*)

Est ergo $MH = \frac{1}{2}b$ (§.149 *Arith.*)

Theorema. Si MR fuerit ad ellipsin normalis & ex R ducatur ad rectam FM ex foco F in idem parabolæ punctum M ductam normalis HR; erit MH parametro dimidiæ æqualis.

DEFINITIO XXXVII.

459. *Hyperbola* est linea curva, in qua $ay^2 = abx + bxx$, hoc est, $b:a = y^2 : ax + x^2$, seu quadratum semiordinatæ est ad rectangulum ex abscissa in rectam compositam ex eadem abscissa & recta quadam constante, quæ *Axis transversus*, vel *Latus transversum* audit, ut recta alia constans, quæ *axis Parameter* dicitur, ad axem transversum.

COROLLARIUM.

460. Est ergo etiam hic ut in ellipsi $y^2 = bx + bx^2 : a$, $b = ay^2 : (ax + xx)$, $a = bxx : (y^2 - bx)$ &c. nisi quod hic contraria signa occurrant (§. 421 & seqq.).

DEFINITIO XXXVIII.

461. In hyperbola *Axis conjugatus* dicitur media proportionalis inter axem transversum & parametrum, quia talis est axis conjugatus in ellipsi (§. 423).

DEFINITIO XXXIX.

462. Si axis transversus AB axi AX in directum jungitur & in C bifariam dividitur; punctum C *Centrum* appellatur. Tab. III. *Fig.* 37.

PROBLEMA CXCVIII.

463. *Datis parametro & axe transverso* AB, *invenire distantiam foci a vertice* AF.

Sit parameter $= b$, AB $= a$, erit FN $= \frac{1}{2}b$ (§. 395) & (§. 459).

$$b : a = \tfrac{1}{4}bb : ax + xx$$

$$\tfrac{1}{4}abb = abx + bxx$$

$$\tfrac{1}{4}ab = ax + xx$$

$$\tfrac{1}{4}aa + \tfrac{1}{4}ab = \tfrac{1}{4}aa + ax + xx$$

$$\sqrt{(\tfrac{1}{4}aa + \tfrac{1}{4}ab)} = \tfrac{1}{2}a + x$$

$$\sqrt{(\tfrac{1}{4}aa + \tfrac{1}{4}ab)} - \tfrac{1}{2}a = x$$

Invenitur adeo x quærendo inter $\frac{1}{2}a$ & $\frac{1}{2}a + \frac{1}{2}b$ mediam proportionalem ac inde auferendo $\frac{1}{2}a$. Vel, quia $\sqrt{\frac{1}{4}ab} =$ CE (§. 461), si fiat AG = EC, erit GC = $\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 + \frac{1}{4}ab)}$. Quare cum sit AC $= \frac{1}{2}a$, si ex centro C radio CG describatur arcus GF axem secans in F, erit AF $= \sqrt{(\frac{1}{4}a^2 + \frac{1}{4}ab)} - \frac{1}{2}a$, adeoque in F focus. Tab. III. *Fig.* 37.

COROLLARIUM I.

464. Est adeo distantia foci a centro FC $= \sqrt{(\frac{1}{4}aa + \frac{1}{4}ab)}$. Quare si FC$^2 = c^2$, erit CE$^2 = c^2 - \frac{1}{4}a^2$.

COROLLARIUM II.

465. Quia $ax + xx = \frac{1}{4}ab$ & $ax + xx$ = AF. FB, $\frac{1}{4}ab$ vero quadratum semiaxis conjugati (§. 461), rectangulum ex AF in FB huic quadrato æquale est.

PROBLEMA CXCIX.

Tab. III. Fig. 40. 466. *Invenire rationem semiordinatarum* PM *&* pm.

Sit axis transversus $= a$, parameter $= b$, AP $= x$, PM $= y$, A$p = v$, $pm = z$; erit (§. 460).

$$y^2 : z^2 = bx + \frac{bxx}{a} : bv + \frac{bv^2}{a}.$$

$$= ax + xx : bv + v^2 \text{ (§. 124).}$$

$$= (a + x)x : (b + v)v$$

Theorema. In hyperbola quadrata semiordinatarum sunt inter se ut rectangula ex abscissa in rectam quandam compositam ex abscissa & axe transverso.

COROLLARIUM.

467. Crescentibus adeo abscissis x, crescunt quoque rectangula $ax + x^2$, consequenter & quadrata semiordinatarum y^2, adeoque semiordinatæ ipsæ. Hyperbola igitur continuo ab axe recedit.

PROBLEMA CC.

468. *Invenire rationem axis transversi ad axem conjugatum.*

Si axis transversus $= a$, parameter $= b$, erit quadratum axis conjugati $= ab$ (§. 461). Hoc ergo ad quadratum transversi, ut ab ad aa, hoc est, ut b ad a (§. 124).

Theorema. Quadratum axis conjugati est ad quadratum transversi, ut parameter ad axem transversum.

COROLLARIUM.

Tab. III. Fig. 37. 469. Quoniam $b : a =$ PM^2 : AP. PB (§. 459); quadratum axis conjugati est ad quadratum transversi ut quadratum semiordinatæ ad rectangulum ex abscissa in compositam ex abscissa &. axe transverso.

PROBLEMA CCI.

470. *Sint duæ hyperbolæ æquales, eandem parametrum, eundem axem transversum atque conjugatum habentes, quarum axes* AX *&* BY *cum axe transverso communi* AB *in directum jacent. Ex focis* F *&* f *ad punctum* M *hyperbolæ unius ducantur rectæ* fM *&* FM: *determinare quantitatem harum rectarum.*

Sit FC $= f$C $= c$, reliqua ut in præcedentibus: erit AF $= c - \frac{1}{2}a$, A$f = c + \frac{1}{2}a$, PF $= x - c + \frac{1}{2}a$, P$f = c + \frac{1}{2}a + x$, PF$^2 = x^2 - 2cx + c^2 + ax - ac + \frac{1}{4}a^2$, P$f^2 = c^2 + ac + \frac{1}{4}a^2 + 2cx + ax + x^2$. Jam (§. 464) quadratum semiaxis conjugati CE $= cc - \frac{1}{4}aa$. Porro (§. 469)

$$\text{AC}^2 : \text{CE}^2 = \text{AP. BP} : \text{PM}^2$$

$$\tfrac{1}{4}aa : cc - \tfrac{1}{4}aa = ax + xx : \text{PM}^2$$

Est itaque

$$\text{PM}^2 = -ax - xx + 4c^2x : a + 4c^2x^2 : a^2$$

$$\text{PF}^2 = x^2 - 2cx + c^2 + ax - ac + \tfrac{1}{4}a^2$$

$$\text{FM}^2 = c^2 - ac + \tfrac{1}{4}a^2 - 2cx + \frac{4c^2x}{a} + \frac{4c^2x^2}{a^2}$$

$$\text{FM} = c - \tfrac{1}{2}a + 2cx : a$$

Similiter

$$\text{PM}^2 = -ax - x^2 + 4c^2x : a + 4c^2x^2 : a^2$$

$$\text{P}f^2 = c^2 + ac + \tfrac{1}{4}a^2 + 2cx + ax + x^2$$

$$f\text{M}^2 = c^2 + ac + \tfrac{1}{4}a^2 + 2cx + \frac{4c^2x}{a} + \frac{4c^2x^2}{a}$$

$$f\text{M} = c + \tfrac{1}{2}a + 2cx : a$$

$$\text{FM} = c - \tfrac{1}{2}a + 2cx : a$$

$$f\text{M} - \text{FM} = a = \text{AB}$$

COROLLARIUM I.

471. Datis ergo axe transverso & distantia a vertice, hyperbola motu continuo ita describitur. Scilicet in focis F & f defigantur clavi aut paxilli, quorum alteri in F annectatur filum FMC, altero sui extremo C regulæ Cf alligatum, quæ ipsum superet axe transverso AB. Altera regulæ extremitas perforata clavo f injiciatur & stilo ad filum applicato regula emoveatur. Tab. IV. Fig. 50.

COROL-

COROLLARIUM II.

472. Iisdem datis, puncta quotcunque hyperbolæ determinantur, si ex foco f intervallo quocunque AB majore describatur arcus, facto fb = AB, intervallo residuo bm ex F ducatur arcus alius priorem in m intersecans: erit enim ob fm — Fm = AB, m punctum hyperbolæ (§. 470) Vel commodius hyperbola ita describitur: Fiat AB axi transverso æqualis determinenturque foci f & F (§. 463.). Jungatur ipsi fO recta fK sub angulo acuto quocunque & ex centro f radiis ipsa fA majoribus describantur arcus quotcunque concentrici secantes rectam fK in I, II, III, &c. Fiat FL = AB & ex foco F intervallis LI, LII, LIII &c. intersecentur arcus isti utrinque in 1, 2, 3: erunt puncta 1, 2, 3 &c. in hyperbola. Est enim fI = f1, fII = f2, fIII = f3 &c. (§. 40 *Geom.*). Sed F1 = LI, F2 = LII, F3 = LIII &c. *per constr.* Ergo f1 — F1 = fI — LI = AB, f2 — F2 = fII — LII = AB, f3 — F3 = fIII — LIII = AB &c. consequenter puncta 1, 2, 3 &c. in hyperbola (§. 470).

Tab. XII. *Fig.* 124.

PROBLEMA CCII.

Tab. IV. *Fig.* 51

473. *Determinare situm rectæ* DE, *quæ per verticem* A *ipsi ordinatæ* M*m* *parallela ducitur.*

Sit AP = x, PM = y, parameter = b, axis transversus = a: erit $y^2 = bx - bx^2 : a$ (§. 460). Quoniam in vertice A fit $x = 0$; erit etiam $y = 0$, consequenter DE tota extra hyperbolam cadit, eamque adeo tangit.

Theorema. Si recta DE per verticem A ordinatis Mm parallela ducatur; hyperbolam in A tangit.

DEFINITIO XL.

Tab. IV. *Fig.* 51.

474. Si recta DE per verticem hyperbolæ A ordinatis Mm parallela ducatur, fiatque axi conjugato æqualis, nempe pars DA & AE semiaxi; præterea ex centro C per D & E agantur rectæ CF & CG: rectæ hæ dicuntur *Asymptotæ hyperbolæ.*

COROLLARIUM I.

475. Quoniam (§. 268 *Geom.*) CA : AE = CP : Pr & CA : (DA) AE = CP : PR; erit Pr = PR (§. 177 *Arithm.*). Quare cum sit PM = Pm (§. 370); erit quoque MR = mr (§. 91 *Arithm.*).

COROLLARIUM II.

476. Si AI ducatur parallela ipsi DC & AH ipsi CE; erit EA : ED = AI : DC (§. 268 *Geom.*). Sed EA = $\frac{1}{2}$ ED (§. 474). Ergo AI = $\frac{1}{2}$ DC = $\frac{1}{2}$ CE. Et quoniam porro EA : AD = EI : IC (§. 268. *Geom.*); erit EI = CI = $\frac{1}{2}$ EC, consequenter AI = CI (§. 87).

DEFINITIO XLI.

477. Quadratum rectæ CI vel AI dicitur *Potentia hyperbolæ.*

PROBLEMA CCIII.

378. *Determinare potentiam hyperbolæ.*

Sit CA = $\frac{1}{2}a$, AE = $\frac{1}{2}c$, erit CE = $\sqrt{(\frac{1}{4}aa + \frac{1}{4}cc)}$ (§. 417 *Geom.*) adeoque CI = $\frac{1}{2}\sqrt{(\frac{1}{4}aa + \frac{1}{4}cc)}$. Ergo CI^2 $= \frac{aa + cc}{16}$.

Theorema: Potentia hyperbolæ est decima sexta pars quadratorum axium conjugatorum, vel quarta pars quadratorum semiaxium conjugatorum.

COROLLARIUM.

479. Quoniam $cc = ab$ (§. 461); erit CI^2 $= \frac{aa + ab}{16} = \frac{1}{4}a(\frac{1}{4}a + \frac{1}{4}b)$, hoc est potentia hyperbolæ æquatur rectangulo ex quarta parte axis transversi in quartam partem aggregati ex axe transverso & parametro.

PROBLEMA CCIV.

480. *Determinare differentiam quadratorum* PM *&* PR. Tab. IV. *Fig.* 51.

Quoniam

Quoniam DA$=\sqrt{\frac{1}{4}ab}$ (§. 461) & CP $+\frac{1}{2}a+x$; præterea (§. 268 *Geom.*).

$$CA : AD = CP : PR$$
$$\tfrac{1}{2}a : \sqrt{\tfrac{1}{4}ab} = \tfrac{1}{2}a + x ; PR$$

erit PR$=(\frac{1}{2}a\sqrt{\frac{1}{4}ab}+x\sqrt{\frac{1}{4}ab}):\frac{1}{2}a$ $=\sqrt{\frac{1}{4}ab}+2x\sqrt{\frac{1}{4}ab}:a$. Quare

$$PR^2 = \tfrac{1}{4}ab + bx + bx^2 : a$$
$$PM^2 \quad bx + bx^2 : a \;(\S.460)$$

$$PR^2 - PM^2 = \tfrac{1}{4}ab = DA^2$$

Theorema. Si in hyperbola semiordinata PM producatur, donec asymptoto in R occurrat; erit differentia quadratorum PM & pR æqualis quadrato semiaxis conjugati DA.

COROLLARIUM.

481. Crescente adeo semiordinata PM, decrescit recta MR, adeoque hyperbola ad asymptotum propius accedit. Nunquam tamen cum ea concurrere potest, quia cum sit $PR^2 - PM^2 = DA^2$, fieri nequit, ut $PR^2 - PM^2 = 0$ evadat.

SCHOLION.

482. *En rationem, cur lineas CF & CG* ἀσυμπτώτους *seu non coincidentes vocaverint veteres.*

PROBLEMA CCV.

483. *Determinare quantitatem rectanguli ex* MR *in* Mr.

Sit PR$=z$, PM$=y$; erit MR$=z-y$, Mr$=z+y$, consequenter MR. Mr$=z^2-y^2=$PR$^2-$PM^2.

Theorema. In hyperbola rectangulum ex MR & Mr æquatur differentiæ quadratorum PR^2 & PM^2.

COROLLARIUM.

484. Idem ergo rectangulum æquale est quadrato semiaxis conjugati DA (§. 480), consequenter omnia rectangula eodem modo formata æqualia sunt.

PROBLEMA CCVI.

485. *Si* QM *&* sm *cum asymptoto* CG, qm *&* SM *cum altera* CF *parallelæ ducantur; determinare rationem rectangulorum* QM. MS *&* qm. ms.

Sit MR$=mr=a$, R$m=r$M$=b$, QM $=v$, $mq=z$. Erit (§. 268 *Geom.*)

$$RM : MQ = Rm : ms$$
$$a : v = b : (bv : a)$$
$$rm : mq = rM : MS$$
$$a : z = b : (bz : a)$$

Est ergo MQ.MS$=bvz:a$ & $mq.ms$ $=bvz:a$, consequenter M Q. MS $=mq.\ ms$.

Theorema. Si QM & ms cum asymptoto CG; qm vero & MS cum altera CF parallelæ ducantur; rectangula ex QM in MS & qm in ms æqualia sunt.

COROLLARIUM.

486. Quoniam C$q=sm$ & CQ$=$MS. (§. 257 *Geom.*); etiam rectangula ex Cq in qm & ex CQ in QM æqualia sunt.

PROBLEMA CCVII.

487. *Determinare rationem rectanguli ex* qm *in* ms *ad potentiam hyperbolæ seu* AI^2. Tab. IV. Fig. 51.

Sit $mr=z$, $qm=y$, AE$=c$: erit, ob parallelas AE & Pr, ang. E$=r$, & ob parallelas AI & qm, ang. I$=q$ (§. 233 *Geom.*); consequenter (§. 268 *Geom.*).

$$mr : qm = AE : AI$$
$$z : y = c : \frac{cy}{z}$$

Porro ob mR. mr=AE^2 (§. 484) erit (§. 299 *Arithm.*)

$$mr : AE = AE : mR$$
$$z : c = c : \frac{cc}{z}$$

Denique ob parallelas sm & CE, $o=x$ & ob parallelas DE & Rm, $x=y$ (§. 233 *Geom.*) adeoque $o=y$ (§. 87 *Arith*).

Simi-

Similiter ob parallelas AI & CR, angulus AIE=CDE & ob parallelas DE & R*m*, CDE=*s*R*m* (§. 233 *Geom.*). Ergo IAE=R (§. 87 *Arithm.*), consequenter (§. 267 *Geom.*)

$$AE : IE = mR : sm$$

$$c : \frac{cy}{z} = \frac{cc}{z} : \frac{ccy}{zz}$$

Quare $sm.\ qm = ccyy : zz$. Est vero etiam $AI^2 = c^2y^2 : z^2$. Ergo $sm.\ qm = AI^2$.

Theorema. Si qm cum asymptoto CF parallela ducatur, rectangulum ex qm in Cq aequatur potentiae hyperbolae.

Corollarium I.

488. Quare si fiat CI=AI=a, Cq=x & $qm=y$; erit $a^2=xy$: quae est aequatio naturam hyperbolae intra asymptotos declarans.

Corollarium II.

489. Datis ergo asymptotis positione & latere potentiae hyperbolae CI vel AI, si in una asymptotorum CG sumantur abscissae quotcunque, invenientur totidem semiordinatae & per eas puncta quotlibet hyperbolae determinabuntur, quaerendo ad abscissas & latus potentiae GI tertia proportionales (§. 271 *Geom.*). Nimirum sint AB & AC asymptoti, AD=DI=a latus potentiae hyperbolae. Sit AP=x. Ducatur FG parallela ipsi AC & PN parallela ipsi DI; erit PN=DI (§. 257 *Geom.*)=a. Ducatur AN secans DI in H: erit (§. 268 *Geom.*)

Tab. XIII. Fig. 123.

$$AP : PN = AD : DH$$

$$x : a = a : DH$$

adeoque DH=$a^2 : x$. Quare si fiat PM (=y)=DH: erit $y=a^2 : x$, consequenter $yx=a^2$, adeoque punctum M in hyperbola (§. 488).

Corollarium III.

Tab. IV. Fig. 51.

490. Quodsi abscissae non computentur a centro C, sed ab alio quovis puncto L, dicaturque CL=b; erit Cq=$b+x$, consequenter $a^2=by+xy$.

Problema CVIII.

491. *Determinare in hyperbola subtangentem* PT *&* *subnormalem* PR. Tab. III. Fig. 42.

Sit parameter=b, axis transversus =a, AP=x, PM=y, RM=z, RA=t, erit PR=$t-x$, $PM^2=z^2-t^2+2tx-x^2$. Quare (§. 417 *Geom.*).

$$z^2 - t^2 + 2tx - x^2 = bx + bx^2 : a$$

$$az^2 - at^2 + 2atx - ax^2 = abx + bx^2$$

$$bx^2 + ax_2 + abx + at^2 = 0$$

$$-2atx - az^2$$

$$\overline{\qquad\qquad\qquad\qquad}\ b+a$$

$$x^2 + \frac{ab-2at}{b+a}x + \frac{at^2-az^2}{b+a}\ \frac{ab^2=az^2}{b+a} = 0$$

Fiat jam ob rationes supra (§. 410) allatas $x-v=0$: erit $x^2-2vx+v^2=0$, & quia haec aequatio eadem cum praecedente, habetur

$$\frac{ab-2at}{b+a} = -2v$$

$$\overline{\qquad\qquad\qquad}\ b+a$$

$$ab - 2at = -2bv - 2av$$

$$ab + 2bv + 2av = 2at$$

$$\overline{\qquad\qquad\qquad}\ 2a$$

$$\tfrac{1}{2}b + \frac{bv}{a} + v = t$$

hoc est, quia $x=v$,

$\frac{1}{2}b + bx : a + x = t =$ RA.

Ergo PR $= \frac{1}{2}b + bx : a + x - x$ $= \frac{1}{2}b + bx : a = (\frac{1}{2}a + x)b : a$.

Theorema In hyperbola est ut axis transversus ad parametrum, ita aggregatum ex semiaxe transverso & abscissa ad subnormalem.

Porro (§. 409)

$$PR : PM = PM : PT$$

$$\frac{\frac{1}{2}a+x}{a}b : \sqrt{\left(bx+\frac{bx^2}{a}\right)} = \sqrt{\left(bx+\frac{bx^2}{a}\right)} : PT$$

Reperitur ergo PT$=(abx + bx^2) : (\frac{1}{2}a+x)b = (ax+x^2) : (\frac{1}{2}a+x)$.

Theorema. In hyperbola eſt ut aggregatum ex ſemiaxe transverſo & abſciſſa ad abſciſſam ita aggregatum ex integro axe transverſo & abſciſſa ad ſubtangentem.

Denique $AT=(ax+x^2):(\frac{1}{2}a+x)-x=(ax+x^2-\frac{1}{2}ax-x^2):(\frac{1}{2}a+x)=\frac{1}{2}ax:(\frac{1}{2}a+x)$.

Theorema. In hyperbola eſt ut aggregatum ex ſemiaxe transverſo & abſciſſa ad abſciſſam, ita ſemiaxis transverſus ad rectam AT inter verticem & tangentem intercepta.

PROBLEMA CCIX.

Tab. V. Fig. 52. 492. *Ducta* NO *tangenti* TM *parallela, & ex centro* C *per contactum* M *recta* CQ, *quæ* NO *ſecat in* G, *determinare rationem ſegmentorum* GN *&* GO.

Demittatur ex N perpendicularis NS ad axem AS continuanda in D, donec rectæ OD axi AS parallelæ occurrat in D. Ducantur porro HG ad ND & GF, MP, OL ad axem AS perpendiculares: erit GI ipſi PM parallela (§. 256 *Geom.*). Sit AB axis transverſus $=a$, $AP=x$, $PM=y$, $PC=\frac{1}{2}a+x=p$, $GI=HS=v$, $GF=HD=z$, erit $IF=DS=LO=z-v$, & (§. 268 *Geom.*)

$$PM:PC=GI:IC$$

$$y:p=v:\frac{pv}{y}$$

Ob parallelas TM & GO (§.233 *Geom.*) angulus K=T & ob parallelas KI & OF *per conſtr.* angulus K=O, conſequenter O=T. Quare cum præterea F & P ſint recti; erit (§. 267 *Geom.*)

$$PM:PT=GF:FO$$

$$y:\frac{ax+xx}{\frac{1}{2}a+x}=z:\frac{(ax+xx)z}{(\frac{1}{2}a+x)y}$$

Ponatur brevitatis gratia $ax+xx=q$ & $\frac{1}{2}a+x=p$ ut ante; erit $FO=qz:py$. Ergo $LC=IC-FO=pv:y-qz:py=(p^2v-qz):py$ & $LA=LC-AC=(p^2v-qz-\frac{1}{2}apy):py$, $LB=LC+CB=(p^2v-qz+\frac{1}{2}apy):py$. Eſt vero (§.466)

$$AP.PB:AL.LB=PM^2:OL^2$$

$$q:\frac{p^4v^2-2p^2qzv+q^2z^2-\frac{1}{4}a^2p^2y^2}{p^2y^2}=y^2:OL^2$$

Quare

$$OL^2=\frac{p^4v^2-2p^2qzv+q^2z^2-\frac{1}{4}a^2p^2y^2}{p^2q}$$

Jam $yy=(ax+xx)b:a$ (§. 459). Cum itaque poſuerimus $ax+xx=q$; $yy=bq:a$. Hoc valore in expreſſione ipſius OL^2 ſubſtituto habetur

$$OL^2=\frac{p^4v^2-2p^2qzv+q^2z^2-\frac{1}{4}ap^2bq}{p^2q}$$

Enim vero $LO^2=z^2-2zv+v^2$. habemus adeo

$$z^2-2zv+v^2=\frac{p^4v^2-2p^2qzv+q^2z^2-\frac{1}{4}ap^2bq}{p^2q}$$

$$p^2qz^2-2p^2qzv+p^2qv^2=p^4v^2-2p^2qzv+q^2z^2-\frac{1}{4}ap^2bq$$

$$\frac{1}{4}ap^2bq+p^2qv^2-p^4v^2=q^2z^2-p^2qz^2$$

$$z^2=\frac{\frac{1}{4}ap^2bq+p^2qv^2-p^4v^2}{q^2-p^2q}$$

Quodſi HN dicatur z & calculus eodem modo inſtituatur; reperietur denuo $z^2=\frac{\frac{1}{4}ap^2bq+p^2qv^2-p^4v^2}{p^2-p^2q}$. Unde liquet eſſe $HN^2=GF^2=HD^2$, conſequenter HN=HD. Quoniam igitur (§.268 *Geom.*) HN: HD=NG: GO; erit NG=GO.

Theorema. Recta CQ ex centro C per contactum M ducta dividit rectas NO tangenti TM parallelas bifariam.

COROLLARIUM.

493. Eſt itaque CQ diameter, NO ordinatim ad eam applicata (§.368); MC vero eſt ſemidiameter transverſa.

PRO-

PROBLEMA CCX.

Tab. V. Fig. 53. 494. *Ductis duabus rectis* Hm *&* mK *ex eodem hyperbolæ puncto* m, *utrinque in asymptotis* CQ *&* CT *terminatis, itidemque duabus aliis* LN *&* NO *prioribus parallelis; determinare rationem rectangulorum* Hm. mK *&* LN.NO.

Ducantur ordinatæ ad axem utrinque usque ad asymptotos continuandæ Rr & QT.

Sit $Rm=y$, $QN=z$, $TN=t$. Quoniam $Rm.mr=QN.NT$ (§. 484); erit (§. 299. *Arithm.*)

$$Rm : QN = TN : mr$$
$$y : z = t : \frac{tz}{y}$$

Sit porro $Hm=a$, $mK=b$. Quoniam ob parallelas mr & NT, angulus $r=T$ & ob parallelas Km & NO, $K=O$ (§. 233 *Geom.*) erit (§. 267 *Geom.*)

$$rm : Km = TN : NO$$
$$\frac{tz}{y} : b = t : \frac{by}{z}$$

Ob similem rationem, nempe similitudinem △△ QLN & RHm

$$Rm : Hm = QN : LN$$
$$y : a = z : \frac{az}{y}$$

Ergo LN. NO $= abzy : zy = ab$. Est vero etiam $Hm.\,mK=ab$. Sunt igitur duo ista rectangula æqualia.

Theorema. Si intra asymptotos hyperbolæ ex ejus puncto m ducantur utcunque duæ rectæ Hm & mK & iis aliæ duæ parallelæ LN & NO; erit Hm. mK = LN. NO.

Idem invenitur, si ductæ rectæ Hmk agatur parallela LNo. Nempe in hoc etiam casu Hm. mk=LN. No.

COROLLARIUM.

495. Omnia igitur rectangula ex rectis eidem Hk vel duabus Hm & mK parallelis eodem modo formata inter se æqualia sunt.

PROBLEMA CCXI.

496. *Si recta* Hk *utcunque intra asymptotos* CQ *&* CT *ducatur determinare rationem segmentorum* HE *&* mk *inter hyperbolam & asymptotos interceptorum.* Tab. V. Fig. 53.

Ducantur per E & m rectæ IG & Rr ad axem normales, fiatque $Rm=a$, $IE=b$, $EG=c$, $Hm=x$, $mk=y$. Quia IE. EG=Rm. mr (§. 484); erit (§.299 *Arithm.*)

$$mR : IE = EG : mr$$
$$a : b = c : \frac{bc}{a}$$

Porro ob IG ipsi Rr parallelam (§. 268 *Geom.*)

$$mR : Hm = IE : EH$$
$$a : x = b : \frac{bx}{a}$$
$$rm : km = EG : Ek$$
$$\frac{bc}{a} : y = c : \frac{ay}{b}$$

Est itaque Ek. EH$=abxy : ab = xy$ Hm. mk. Quare

$$Ek : mk = mH : HE$$
$$Ek - mk : mk = mH - HE : HE$$ (§.193 *Arithm.*)

h. e. $Em : mk = Em : HE$.

consequenter $mk = HE$ (§. 177 *Arithm.*).

Theorema. Si inter asymptotos recta Hk utcunque ducatur, segmenta HE & mk inter hyperbolam & asymptotos utrinque intercepta æqualia sunt.

COROLLARIUM I.

497. Quando fit Em =0; recta Hk hyperbolam tangit. Tangens adeo FD inter asymptotos intercepta in contactu V bifariam dividitur.

COROLLARIUM II.

498. Rectangulum itaque ex segmentis Hm & mk rectæ tangenti FD parallelæ æquatur quadrato tangentis dimidiæ DV (§. 495).

PROBLEMA CCXII.

Tab. V. Fig. 54. 499. *Determinare relationem semiordinatæ* PM *ad diametri abscissam* AP.

Sit AB diameter transversa, DE diameter conjugata, adeoque ordinatæ NM parallela, C centrum hyperbolæ & CQ atque CR sint ejus asymptotæ. Fiat $DA = c$, $CA = r$, $PM = y$, $CP = v$ & $CB = AC$: erit (§. 268 *Geom.*)

$$CA : DA = CP : PR$$

$$r : c = v : \frac{cv}{r}$$

Quare $RM = \frac{cv}{r} - y = \frac{cv - ry}{r}$ & $MQ = \frac{cv + ry}{r}$, consequenter $RM.\ MQ = (c^2v^2 - r^2y^2) : r^2$. Est vero $RM.MQ = DA^2 = c^2$ (§. 498). Habemus itaque

$$(c^2v^2 - r^2y^2) : r^2 = c^2 \quad \overline{\qquad\qquad}\, r^2$$

$$c^2v^2 - r^2y^2 = r^2c^2$$

$$c^2v^2 - r^2c^2 = r^2y^2$$

quæ æquatio in hanc resolvitur analogiam,

$$y^2 : v^2 - r^2 = c^2 : r^2$$

$$PM^2 : AP.\ PB = DA^2 : AC^2$$

Est nimirum $BP = BC + CP = r + v$ & $AP = CP - CA = v - r$, adeoque $AP.\ PB = (v - r)(v + r) = v^2 - r^2$.

Theorema. Quadratum semiordinatæ in hyperbola est ad rectangulum ex abscissa & aggregato ex diametro transversa AB & abscissa AP, ut quadratum semidiametri conjugatæ AD ad quadratum semidiametri transversæ CA.

COROLLARIUM.

500. Quodsi fiat $AP = x$, & $2r = AB = a$, erit $v^2 - r^2 = ax + x^2$; consequenter $y^2 = (c^2ax + c^2x^2) : \frac{1}{4}aa = \frac{4c^2x}{a} + \frac{4c^2x^2}{a^2}$.

Fiat $4c^2 : a = b$; erit $y^2 = bx + bx^2 : a$. Eadem ergo æquatio hyperbolæ naturam definit respectu diametri, quæ eam exprimit respectu axis, estque parameter tertia proportionalis ad diametros conjugatas DE & AB. Unde liquet easdem proprietates hyperbolæ competere respectu diametri, quæ superius ex æquatione fundamentali respectu axis deduximus.

PROBLEMA CCXIII.

501. *Ductis* AF *&* TN *asymptoto* CR *parallelis, determinare rationem rectanguli ex* TN *in* TC *ad rectangulum ex* AF *in* FC. Tab. V. Fig. 54.

Sit $CF = a$, $AF = b$, $AD = c$, $RN = z$, erit ob $AE = DA$ etiam $EF = FC = a$ (§. 268 *Geom.*). Et quoniam $RN.\ NQ = DA^2$ (§. 498), erit (§. 299 *Arith.*).

$$RN : DA = DA : NQ$$

$$z : c = c : \frac{c^2}{z}$$

Porro (§. 268 *Geom.*)

$$AE : AF = QN : TN$$

$$c : b = \frac{c^2}{z} : \frac{bc}{z}$$

$$AE : FE = QN : TQ$$

$$c : a = \frac{c^2}{z} : \frac{ac}{z}$$

$$QN : QT = RN : TC$$

$$\frac{c^2}{z} : \frac{ac}{z} = z : \frac{az}{c}$$

Ergo $TC.\ TN = \frac{azbc}{cz} = ab = CF.\ AF$.

Theorema. Si ex vertice A & quocunque hyperbolæ puncto N ducantur AF & TN cum asymptoto CR parallelæ; erit rectangulum ex TN in TC æquale rectangulo ex FA in FC.

COROLLARIUM.

502. Quodsi adeo fiat $TC = x$, $TN = y$; aequatio hyperbolae naturam inter asymptotos respectu diametri declarans erit $xy = ab$.

PROBLEMA CCXIV.

Tab. XII. Fig. 119. 503. *Determinare quantitatem rectae FO ex foco F ad tangentem hyperbolae TM perpendicularis.*

Eodem prorsus, quo supra (§. 457), modo reperitur $FO.RM = PR.TF$, ut verba singula huc transcribere liceat.

Theorema. Rectangulum ex subnormali PR in differentiam distantiae foci a semiordinata atque subtangentis TF aequale est rectangulo ex normali MR & recta ex foco ad tangentem perpendiculari.

PROBLEMA CCXV.

Tab. XII. Fig. 119. 504. *Si in F fuerit focus hyperbolae & MR ad eam normalis, HR vero normalis ad FM ex foco F ad punctum contactus M ductam; determinare quantitatem segmentorum MH & HF.*

Sit parameter $= b$, axis $= a$, distantia foci a centro $= c$, erit $FM = c - \frac{1}{2}a + 2cx : a$ (§. 470), $PR = (\frac{1}{2}ab + bx) : a$ & $AT = \frac{1}{2}ax : (\frac{1}{2}a + x)$ (§. 491), $AF = c - \frac{1}{2}a$, $TF = \frac{1}{2}ax : (\frac{1}{2}a + x) + c - \frac{1}{2}a = ax : (a + 2x) + c - \frac{1}{2}a = (ac - \frac{1}{2}a^2 + 2cx) : (a + 2x)$. Ducta FO ad Tangentem TM parallela, reperitur prorsus ut supra, iisdem retentis verbis, $FM : TF = PR : MH$ (§. 458). Quare

$$c - \frac{1}{2}a + \frac{2cx}{a} : \frac{ac - \frac{1}{2}aa + 2cx}{a + 2x} = \frac{\frac{1}{2}ab + bx}{a} : MH$$

Hoc est

$$2ac - a^2 + 4cx : \frac{ac - \frac{1}{2}aa + 2cx}{a + 2x} = ab + 2bx : MH$$

(§. 184 *Arith.*)

$$\frac{2ac - a^2 + 4cx}{a + 2x} : \frac{ac - \frac{1}{2}aa + 2cx}{a + 2x} = b : MH$$ (§. 183 *Arith.*)

Est ergo $MH = \frac{1}{2}b$ (§. 149. *Arithm.*).

Theorema. Si MR fuerit ad hyperbolam normalis & ex R ducatur ad FM ex foco F ad punctum contactus M ductam normalis HR; erit MH parametro dimidiae aequalis.

DEFINITIO XLII.

505. *Hyperbola aequilatera* dicitur, in qua axes conjugati AB & DE sunt aequales. Tab. IV. Fig. 51.

COROLLARIUM I.

506. Cum parameter sit tertia proportionalis ad axes conjugatos (§. 461); ipsa etiam axibus aequalis est.

COROLLARIUM II.

508. Quare si in aequatione $y^2 = bx + bx^2 : a$ fiat $b = a$; aequatio $y^2 = ax + x^2$ naturam hyperbolae aequilaterae declarat.

COROLLARIUM III.

507. Hinc quadrata ordinatarum y^2 & z^2 sunt inter se ut $ax + x^2$ & $av + v^2$, hoc est, ut rectangula ex abscissis in rectas compositas ex abscissis & axe determinato vel parametro.

COROLLARIUM IV.

509. Si sint $CP = x$, $CA = r$, erit $AP = x - r$ & $PB = r + x$ consequenter $y^2 = r^2 - x^2$.

COROLLARIUM V.

510. Quoniam $AE = CA$ (§. 506); erit ACE angulus semirectus (§. 241 *Geom.*), consequenter angulus asymptotorum FCG in hyperbola aequilatera rectus.

PROBLEMA CCXVI.

Tab. V. Fig. 55. 511. *Investigare naturam curvæ, quæ oritur; si conus* ABC *ita secetur ut sectionis axis* DE *sit lateri Coni* AC *parallelus, ipsum vero planum sectionis* DLN *ad basin sectionis triangularis* AB *perpendicularis.*

Secetur conus plano HMI basi ANB parallelo: erit HMI circulus (§. 468 *Geom.*), consequenter cum uterque circulus HMI & ANB per sectionem triangularem ACB secetur in HI & AB & a sectione data in *p*M & LN; erunt cum HI & AB, tum *p*M & LN inter se parallelæ (§. 499 *Geom.*). Quare cum sit EN perpendicularis ad AB *per hypoth.* erit etiam PM perpendicularis ad HI (§. 492 *Geom.*), consequenter cum DE & HI, itemque DE & AB sint in eodem plano sectionis triangularis, EN & PM etiam perpendiculares sunt ad DE (§. 484 *Geom.*) adeoque semiordinatæ ad axem DE applicatæ (§. 368. 370). Et quia AH parallela ipsi EP *per hypoth.* HP parallela ipsi AE *per demonstr.* erit HP=AE (§. 257 *Geom.*). Sit jam AE =HP=v, PI=t, DP=x, DE=z; erit (§. 268 *Geom.*)

$$DP : DE = PI : EB$$
$$x : z = t : \frac{tz}{x}$$

Ergo $PM^2 = HP.\ PI$ (§. 377) $= tv$ & $EN^2 = AE.\ EB$ (§. *cit.*) $= tzv : x$. Est ergo (positis $PM^2 = y^2$, $EN^2 = q^2$)

$$y^2 : q^2 = tv : \frac{tzv}{x}$$

hoc est $= tvx : tzv$ (§. 124).
$$= x : z$$

Est itaque curva NMD*p*L parabola (§. 402).

PROBLEMA CCXVII.

512. *Si Conus* ABC *ita secetur, ut axis sectionis* DE *cum diametro basis* AB *continuata in* F *concurrat, & planum sectionis continuatum eam ad angulos rectos secet, invenire naturam curvæ ex hac sectione prodeuntis* DMNELD. Tab. V. Fig. 56.

Eodem, quo ante (§. 511) modo ostenditur esse PM & QN cum semiordinatas circulorum IMH & LNK, tum curvæ DMNE. Sit jam DE=a, DP=x, DQ =v, PH=t, QL=f; erit PE=$a-x$, QE=$a-v$ & (§. 268 *Geom.*)

$$DP : PH = DQ : QK$$
$$x : t = v : \frac{vt}{x}$$
$$EQ : QL = EP : PI$$
$$a-v : f = a-x : \frac{fa-fx}{a-v}$$

Quare (§. 377) $PM^2 = HP.\ PI = (tfa - tfx) : (a-v)$ & $QN^2 = KQ.\ QL = vtf : x$. Est adeo

$$PM^2 : QN^2 = \frac{tfa - tfx}{a-v} : \frac{vtf}{x}$$

hoc est $= tfax - tfx^2 : avtf - v^2tf$
(§. 124) $= ax - x^2 : av - v^2$

Est itaque curva DMNELD Ellipsis (§. 429).

PROBLEMA CCXVIII.

513. *Si Conus* ABC *ita secetur, ut axis sectionis* DQ *continuatus cum latere Coni* AC *continuato in* E *concurrat, planum vero sectionis* DLN *secet diametrum basis* AB *ad angulos rectos; invenire naturam curvæ* DMN, *quæ ex hac sectione resultat.* Tab. IV. Fig. 57.

Eodem modo, quo paulo ante (§. 511), ostenditur, QN & PM esse semiordinatas cum circulorum HMI atque

atque ANB, tum curvæ DMN.

Sit $ED = a$, $DP = x$, $DQ = v$, $PH = t$, $PI = f$; erit $EP = a + x$, $EQ = a + v$ & (§. 268 *Geom.*)

$$EP : PH = EQ : AQ$$

$$a + x : t = a + v : \frac{at + vt}{a + x}$$

$$DP : PI = DQ : QB$$

$$x : f = v : \frac{fv}{x}$$

Ergo $HP.\,PI = tf$ & $AQ.\,QB = (atfv + v^2tf) : (ax + x^2)$, consequenter ob $PM^2 = HP.\,PI$ & $QN^2 = AQ.\,QB$ (§. 377).

$$PM^2 : QN^2 = tf : \frac{aftv + vvft}{ax + xx}$$

hoc est, $= 1 : \frac{av + vv}{ax + xx}$

(§. 124) $= ax + xx : av + vv$

Est itaque LDMN hyperbola (§. 466), DE ejus axis transversus, E vertex hyperbolæ oppositæ.

SCHOLION.

514. *Hinc intelligimus, quod statim ab initio parabolam, hyperbolam atque ellipsin tanquam ex Cono sectas proponere & ex indole sectionis æquationem fundamentalem eruere licuisset, nisi nobis constitutum fuisset ostendere, quomodo ex æquationibus utcunque assumtis vel datis curvarum proprietates ac descriptiones per algebram & arithmeticam speciosam eruere debeamus. Immo potuissent quoque (quod faciunt alii) earundem curvarum per motum continuum descriptiones fundamenti loco assumi & inde æquationes elici: quod ut appareat, unum de ellipsi exemplum proposuisse suffecerit.*

PROBLEMA CCXXIX.

Tab. IV. Fig. 58. 515. *Sit descripta curva* ADMB, *circumductu regulæ* GM *in instrumento, cujus structura ex Fig.* 59. *Tab. IV. manifesta est, ita ut paxilli in* E *defixi basis mobilis incedat per canalem* ab, *alterius vero in* F *per* cd; *investigare naturam ejus.*

Ex curvæ descriptione manifestum, esse longitudinem regulæ EM axi majori dimidio CB, partem vero ejus FM axi dimidio minori DC æqualem, consequenter distantiam paxillorum EF differentiam inter semiaxem majorem AC & semiaxem minorem DC. Tab. IV. Fig. 59.

Assumamus itaque quemcumque regulæ situm EFM & determinetur curva, in qua sit punctum ejus M. Demittantur ex puncto M ordinatæ ad utrumque axem PM & MR. Tab. IV. Fig. 58.

Fiat $CP = RM = x$, $PM = y$, $AC = EM = a$, $CD = FM = b$, erit $EF = a - b$ & (§. 268 *Geom.*)

$$EM : MR = EF : FC$$

$$a : x = a - b : \frac{ax - bx}{a}$$

Ergo $PF = x - x + bx : a = bx : a$

Hinc $PM^2 = FM^2 - FP^2$ (§. 417 *Geom.*) $= b^2 - b^2x^2 : a^2 = (a^2b^2 - b^2x^2) : a^2 = y^2$.

Est adeo curva ADMB Ellipsis (§. 432).

DEFINITIO XLIII.

516. *Circuli superiorum generum* sunt curvæ, in quibus est $AP^m : PM^m = PM : PB$ vel etiam $AP^m : PM^m = PM^n : PB^n$. Tab. III. Fig. 38.

COROLLARIUM I.

517. Sit $AP = x$, $PM = y$, $AB = a$: erit $PB = a - x$, consequenter $x^m : y^m = y : a - x$. Hinc æquatio infinitos circulos definiens est $y^{m+1} = ax^m - x^{m+1}$ & alios adhuc infinitos definiens $y^{m+n} = (a - x)^n x^m$.

COROL-

COROLLARIUM II.

518. Si $m=1$, erit $y^2=ax-x^2$, adeoque circulus primi generis sub hac æquatione una continetur. Si $m=2$, $n=1$, erit $y^3=ax^2-x^3$: quæ æquatio circulum secundi generis definit.

DEFINITIO XLIV.

519. *Parabolæ superiorum generum* sunt curvæ algebraicæ, quæ definiuntur per $a^{m-1}x=y^m$, e. gr. per $a^2x=y^3$, $a^3x=y^4$, $a^4x=y^5$, $a^5x=y^6$ &c. Dicuntur a nonnullis *Paraboloides*: speciatim *Paraboloidem cubicalem* vocant, si $a^2x=y^3$; *Paraboloidem biquadraticalem*, si $a^3x=y^4$; *surdesolidalem* si $a^4x=y^5$ &c. Harum curvarum respectu *Parabola* primi generis superius explicata dicitur *Apolloniana*, item *quadratica*. Ad parabolas quoque referri solent curvæ, in quibus $ax^{m-1}=y^m$, veluti $ax^2=y^3$, $ax^3=y^4$: quia a nonnullis *semiparabolæ* appellantur. Omnes comprehenduntur sub communi æquatione $a^mx^n=y^r$, quæ ad alias quoque curvas extenditur, veluti ad eas, in quibus $a^2x^2=y^4$, $a^2x^3=y^5$, $a^3x^4=y^7$.

COROLLARIUM I.

520. Cum in parabolis superiorum generum sit $y^m=a^{m-1}x$, si alia quæcunque semiordinata dicatur v, abscissa ipsi respondens z, erit $v^m=a^{m-1}z$, consequenter

$$y^m : v^m = a^{m-1}x : a^{m-1}z$$

hoc est, $\quad = \quad x : z$

Communis adeo parabolarum proprietas est, quod ordinatarum potentiæ rationem abscissarum habeant.

COROLLARIUM II.

521. In semiparabolis vero est $y^m : v^m = ax^{m-1} : az^{m-1} = x^{m-1} : z^{m-1}$, seu potentiæ semiordinatarum sunt ut potentiæ abscissarum uno gradu inferiores; e. gr. in semiparabolis cubicalibus cubi ordinatarum y^3 & v^3 sunt ut quadrata abscissarum x^2 & z^2. Et in genere in omnibus curvis parabolæ agnatis $y^{m+n} : v^{m+n} = a^mx^n : a^mz^n = x^n : z^n$.

DEFINITIO XLV.

522. *Ellipses infinitas* definit æquatio $ay^{m+n}=bx^m(a-x)^n$, quæ a nonnullis *Elliptoides* dicuntur, si $m>1$, vel $n>1$, vel m & $n>1$. E. gr. *Elliptoidem cubicalem*, si $ay^3=bx^2(a-x)$: *Elliptoïdem biquadraticalem* appellant ellipsin tertii generis, in qua $ay^4=bx^2(a-x)^2$. Harum curvarum respectu *Ellipsis* primi generis *Apolloniana* vocatur.

COROLLARIUM I.

523. Si alia quæcunque ordinata dicatur v & abscissa respondens z; erit $av^{m+n}=bz^m(a-z)^n$, consequenter $ay^{m+n} : av^{m+n} = bx^m(a-x)^n : bz^m(a-z)^n$ hoc est, $y^{m+n} : v^{m+n} = x^m(a-x)^n : z^m(a-z)^n$.

COROLLARIUM II.

524. Si fiat $a=b$, erit $y^{m+n}=x^m(a-x)^n$ & si porro fiat $n=1$, erit $y^{m+1}=x^m(a-x) = ax^m-x^{m+1}$, hoc est, ellipses superiorum generum degenerant in circulos superiorum generum,

DEFINITIO XLVI.

425. *Hyperbolas infinitas* definit æquatio $ay^{m+n}=bx^m(a+x)^n$, quæ a nonnullis *Hyperboloides* appellantur, si $m>1$, vel $n>1$, vel m & $n>1$ e. gr. $ay^3=bx^2(a+x)$. Et harum curvarum respectu *Hyperbola* primi generis *Apolloniana* salutatur.

Co-

Corollarium.

526. Est ergo in infinitis hyperboloibus $ay^{m+n} : av^{m+n} = bx^m (a+x)^n : bz^m (a+z)^n$ hoc est, $y^{m+n} : v^{m+n} = x^m (a+x)^n : z^m (a+z)^n$.

Definitio XLVII.

527. *Conos superiorum generum* appello, quorum bases & sectiones basibus parallelæ sunt circuli superiorum
Tab.V. Fig.55. generum. Generatur istiusmodi Conus, si recta linea AC in puncto sublimi C fixa, sed quæ pro re nata magis aut minus extendi posse concipitur, circa peripheriam circuli ANB convertatur.

Problema CCXX.

528. *Investigare naturas curvarum,*
Tab.V. Fig.55. *quæ prodeunt, si Coni superiorum generum ita secentur, ut axis sectionis* DE *sit lateri Coni* AC *parallelus, planum vero sectionis* LDN *secet diametrum basis* AB *ad angulos rectos.*

Eodem, quo supra (§. 511) modo ostenditur, esse PM & EN inter se parallelas & cum circulorum HMI atque ANB, tum curvæ LDN semiordinatas. Sit $PM = y$, $EN = q$, $AE = HP = v$, $DP = x$, $DE = z$, $PI = t$; reperietur ut *in probl.* 216 (§. 511) $EB = tz : x$. Est vero (§. 516).

$$HP^m : PM^m = PM : PI$$
$$v^m : y^m = y : t$$
$$y^{m+1} = tv^m$$

Porro $AE^m : EN^m = EN : EB$.

$$v^m : q^m = q : (tz : x)$$
$$q^{m+1} = tzv^m : x$$

Quare $y^{m+1} : q^{m+1} = tv^m : \frac{tzv^m}{x}$

hoc est $= 1 : \frac{z}{x}$ (§. 124).

seu $= x : z$

Sunt ergo curvæ istæ parabolæ superiorum generum (§. 520).

Vel sit generaliter (§. 516)

$$HP^m : PM^m = PM^n : PI^n$$
$$v^m : y^m = y^n : t^n$$
$$y^{m+n} = t^n v^m$$
$$AE^m : EN^m = EN^n : EB^n$$
$$v^m : q^m = q^n : \frac{t^n z^n}{x^n}$$
$$q^{m+n} = \frac{t^n z^n v^m}{x^n}$$

Quare

$$y^{m+n} : q^{m+n} = t^n v^m : \frac{t^n z^n v^m}{x^n}$$
$$= x^n : z^n$$

Sunt itaque curvæ DLN superiorum generum parabolis agnatæ (§. 521).

Problema CCXXI.

529. *Investigare naturam curvarum,* Tab. V.
quæ enascuntur, si coni superiorum gene- Fig. 56.
rum ita secantur, ut axis sectionis DE *cum diametro basis* AB *continuata in* F *concurrat, planum vero sectionis continuatum eandem ad angulos rectos secet.*

Patet, ut supra (§. 511) PM & QN esse inter se parallelas atque semiordinatas cum circulorum HMI & KNL, tum curvæ DMNE. Sit $DE = a$, $DP = x$, $DQ = v$, $PH = t$, $QL = s$, $PM = y$, $QN = z$; erit $PE = a - x$, $QE = a - v$ & reperietur ut *in probl.* 217 (§. 512) $QK = vt : x$, $PI = (sa - sx) : (a - v)$. Est vero (§. 517)

$$IP^n : PM^m = PM^n : PH^n$$

$$\frac{\int^m (a-x)^n}{(a-v)^m} : y^m = y^n : t^n$$

$$y^{m+n} = t^n \int^m (a-x)^m : (a-v)^m$$

Porro $QL^m : QN^m = QN^n : KQ^n$

$$\int^m : z^m = z^n : \frac{v^n t^n}{x^n}$$

$$z^{m+n} = t^n v^n \int^m : x^n$$

Quare

$$y^{m+n} : z^{m+n} = \frac{t^n \int^m (a-x)^m}{(a-v)^m} : \frac{v^n t^n \int^m}{x^n}$$

hoc est $= (a-x)^m x^n : (a-v)^m v^n$

Sunt adeo curvæ istæ in numero ellipsium superiorum generum (§. 523).

PROBLEMA CCXXII.

Tab. IV. Fig. 57. 530. *Investigare naturam curvarum, quæ gignuntur, si Coni superiorum generum ita secentur, ut axis sectionis* DQ *cum latere Coni continuato* AC, *continuatus & ipse, in* E *concurrat, planum vero sectionis* DLN *diametrum basis* AB *ad angulos rectos secet.*

Patet ut supra (§. 511), PM & QN esse inter se parallelas, atque semiordinatas cum circulorum HMI & ANB, tum curvæ DMN. Sit DE$=a$, DP$=x$, DQ$=v$, PH$=t$, PI$=\int$; erit EP$=a+x$, EQ$=a+v$ & reperietur *ut in probl.* 218 (§. 513) AQ$=t(a+v):(a+x)$ & QB$=\int v : x$. Est vero (§. 517)

$$PI^m : PM^m = PM^n : PH^n$$

$$\int^m : y^m = y^n : t^n$$

$$y^{m+n} = t^n \int^m$$

Porro $QB^m : QN^m = QN^n : AQ^n$

$$\frac{\int^m v^m}{x^m} : z^m = z^n : \frac{t^n (a+v)^n}{(a+x)^n}$$

$$z^{m+n} = \frac{t^m \int^m v^m (a+v)^n}{x^m (a+x)^r}.$$

Quare.

$$y^{m+n} : z^{m+n} = t^n \int^m : \frac{t^r \int^m v^m (a+v)^n}{x^m (a+x)^n}$$

hoc est (§. 124) $= 1 : \frac{v^m (a+v)^n}{x^m (a+x)^n}$

$$= x^m (a+x)^n : v^m (a+v)^n$$

Sunt adeo curvæ hyperbolæ superiorum generum (§. 526.)

PROBLEMA CCXXIII.

531. *Diametro semicirculi* AB *jungatur ad angulos rectos recta* AT *ducanturque ex centro* C *secantes* QC. *Erigantur in* Q *normales* QM *ipsis* QR *æquales. Investigare naturam curvæ* AMP, *quæ est locus omnium punctorum* M *hac ratione inventorum.* Tab. V. Fig. 60

Sit AQ$=$PM$=y$, QM$=$QR$=x$, AB$=a$, erit (§. 379. *Geom.*) $y^2 = ax + x^2$.

Est adeo curva AMR hyperbola æquilatera, cujus axes & paramerer diametro circuli AB æquales (§. 461.)

COROLLARIUM.

532. Habemus adeo facilem hyperbolæ æquilateræ per innumera puncta M geometrice determinata descriptionem.

PROBLEMA CCXXIV.

533. *Invenire æquationem hyperbolæ ad axem* CR *ex centro* C *ductæ & ad axem transversum* AB *normalem relatæ.* Tab. XII. Fig. 114.

Sit CQ$=$PM$=x$, CP$=$QM$=y$, CB$=$CA$=a$, erit BP$=a+y$, AP$=y-a$, adeoque BP. PA $=y^2-a^2$. Sit porro parameter$=b$, erit.

$$b : a = x^2 : y^2 - a^2$$

$$ax^2 = by^2 - a^2 b$$

$$ax^2 + a^2 b = by^2$$

$$\frac{ax^2}{b} + a^2 = y^2$$

Co-

COROLLARIUM.

534. Quodsi hyperbola fuerit æquilatera, erit $a=b$ (§. 505), consequenter $y^2 = x^2 + a^2$, sive $QM^2 = CQ^2 + CB^2$.

DEFINITIO XLVIII.

Tab. VI. Fig. 61. 535. Si ducatur recta BD & alia AC ad ipsam in E perpendicularis, ex puncto autem C agantur rectæ quotcunque CM rectam BD secantes in Q, fiatque $QM=QN=AE=EF$; Curva, in qua sunt puncta M, dicitur a *Nicomede* inventore *Conchilis* seu *Conchois prima*; altera vero, in qua sunt puncta N, *Conchois secunda*; recta BD *regula*; punctum C *Polus*. Excogitavit autem instrumentum, quo motu continuo Conchois prima describi potest. Nimirum in regula AD excavatus est canalis, ut clavus teres regulæ mobili CB in F firmiter infixus intra eam libere moveri possit. Regulæ EG in K infigitur clavus alius, in fissuram regulæ mobilis CB immittendus. Quodsi regula BC ita moveatur, ut clavus F canalem AD percurrat; stylus in C Conchoidem primam describet. Fig. 62.

COROLLARIUM I.

536. Sit $AP=x$, $AE=a$, erit $PE=MR = a-x$. Crescentibus adeo x, decrescit $a-x$ seu MR, adeoque curva continuo ad regulam BD propius accedit. Eodem modo patet, rectam NO continuo decrescere debere, adeoque conchoidem quoque inferiorem ad regulam continuo propius accedere.

COROLLARIUM II.

537. Quoniam tamen inter conchoidem utramque & rectam BD semper interjicitur recta QM vel QN ipsi AE æqualis (§. 535); neutra conchoidum cum recta BD concurrere potest, consequenter BD est asymptotus utriusque conchoidis.

PROBLEMA CCXXV.

Tab. VI. Fig. 61. 538. *Invenire æquationem pro Conchoide.*

Sit $QM=AE=a$, $EC=b$, $MR=EP=x$, $ER=PM=y$, erit $CP=b+x$ & (§. 268 *Geom.*)

$$PE : MQ = EC : CQ$$
$$x : \quad a = \quad b : \frac{ab}{x}$$

Hinc $CM=a+ab:x=(ax+ab):x$. Et quoniam $PM^2 + PC^2 = CM^2$ (§. 417. *Geom.*); erit $y^2+x^2+2bx+b^2=(a^2b^2+2a^2bx+a^2x^2):x^2$ consequenter $x^4+2bx^3+y^2x^2+b^2x^2 = a^2b^2+2a^2bx+a^2x^2$: quæ est æquatio naturam conchoidis primæ explicans.

Sit $CE=b$, $QN=a$, $EG=ON=x$, $GN=EO=y$; erit $GC=b-x$ & (§. 268. *Geom.*)

$$EG : QN = GC : CN$$
$$x : \quad a = b-x : \frac{ab-ax}{x}$$

Habemus ergo ob $CN^2=CG^2+GN^2$ (§. 417. *Geom.*), $(a^2b^2-2a^2bx+a^2x^2):x^2=b^2-2bx+x^2+y^2$, hoc est, $a^2b^2-2a^2bx+a^2x^2=b^2x^2-2bx^3+x^4+x^2y$: quæ est æquatio naturam conchoidis inferioris declarans.

COROLLARIUM.

539. Est adeo conchois utraque linea tertii generis (§. 382).

DEFINITIO XLIX.

540. Aliæ *Conchoidum* species prodeunt, si fiat $CE : CQ = QM : AE$, vel indefinite si $CE^m : CQ^n = QM^n : AE^n$.

COROLLARIUM.

541. Quare si $CE = b$, $EA = a$, $CQ = x$, $QM = y$, erit $ab = xy$ & pro infinitis conchoidibus $a^m b^m = x^n y^n$.

SCHOLION.

542. *Æquatio hæc videtur eadem cum æquatione hyperbolæ inter asymptotos* (§. 486); *eadem tamen non est, cum in præsente casu æquatio non exprimat relationem punctorum per rectas parallelas ad eandem rectam positione datam, quemadmodum in hyperbola.*

PROBLEMA CCXXVI.

543. *Invenire æquationem ad quodlibet punctum Conchoïdis, in qua* $CE : CQ = QM : AE$.

Sit $AE = a$, $CE = b$, $PM = y$, $PE = x$, erit $CP = b + x$, $CP^2 = b^2 + 2bx + x^2$, $CM^2 = y^2 + b^2 + 2bx + x^2$ (§. 417. *Geom.*) & (§. 268. *Geom.*) $CP : CM = CE : CQ = EP : QM$. Quare $CE.EP : CQ.QM = CP^2 : CM^2$ (§. 213. *Arithm.*), hoc est, ob $CQ.QM = CE.EA$ *per hypoth.*

$CE.\ EP : CE.\ EA = CP^2 : CM^2$

hoc est (§. 181),

$EP : EA = CP^2 : CM^2$

$x : a = b^2 + 2bx + x^2 : y^2 + b^2 + 2bx + x^2$

$ab^2 + 2abx + ax^2 = y^2 x + b^2 x + 2bx^2 + x^3$

quæ est æquatio desiderata.

DEFINITIO L.

Tab. VI. Fig. 63. 544. Diametro AB semicirculi AOB jungatur ad angulos rectos recta indefinita BC. Ducatur recta AH fiatque $AM = IH$, vel in altero quadrante $LC = AN$: erit punctum M, itemque L in curva AMOL, quam *Cissoidem* dixit *Diocles* inventor.

COROLLARIUM I.

545. Ducantur rectæ PM & KI ad AB normales; erunt eædem inter se parallelæ (§. 256. *Geom.*) & (§. 268. *Geom.*) $AP : KB = AM : IH$. Sed $AM = IH$ (§. 544). Ergo $AP = KB$ (§. 149. *Arithm.*), consequenter $AK = PB$ (§. 88. *Arithm.*) & $PN = IK$.

COROLLARIUM II.

546. Eodem modo patet, Cissoidem AMO semicirculum AOB bifariam dividere. Est enim $AO : OF = AG : GB$ (§. 268. *Geom.*). Sed $AO = OF$ (§. 544.). Ergo $AG = GB$ (§. 149. *Arithm.*). Est itaque ANO quadrans.

COROLLARIUM III.

547. $AK : KI = KI : KB$ (§. 327. *Geom.*), hoc est, $AK : PN = PN : AP$ (§. 545). Porro $AK : (KI)\ PN = AP : PM$ (§. 268. *Geom.*). Ergo $PN : AP = AP : PM$ (§. 167. *Arithm.*). Sunt adeo AK, PN, AP & PM quatuor lineæ continue proportionales &, si fiat $PN = v$, $AP = x$, $PM = y$, $x^2 = vy$. Eodem modo ostenditur esse AP, PN, AK, KL continue proportionales.

PROBLEMA CCXXVII.

548. *Invenire æquationem, quæ naturam Cissoidis* AMOL *declarat.*

Sit $AB = a$, $AP = x$, $PM = y$; erit $AK = PB$ (§. 545.) $= a - x$, $KI^2 = PN^2 = ax - x^2$ & (§. 547. 124.)

$AK^2 : PN^2 = AP^2 : PM^2$

$a^2 - 2ax + x^2 : ax - x^2 = x^2 : y^2$

$a^2 y^2 - 2axy^2 + x^2 y^2 = ax^3 - x^4$

$ay^2 - xy^2 = x^3$

hoc est, $(a - x) y^2 = x^3$

Theorema. In Cissoide *Dioclis* cubus abscissæ AP æquatur solido ex quadrato semiordinatæ PM in complementum diametri circuli genitoris PB.

COROL-

COROLLARIUM I.

549. Quando punctum P cadit in B, tum fit $x = a$ & BC $= y$, consequenter $y^2 = \frac{a^3}{0}$. Quare $0 : 1 = a^3 : y^2$, hoc est, valor ipsius y fit infinitus, adeoque Cissois AMOL cum BC nunquam concurrit. Est ergo BC Cissoidis asymptotus.

COROLLARIUM II.

550. Cissois est linea secundi generis (§. 382).

SCHOLION.

551. *Veteres tam Conchoide, quam Cissoide usi sunt ad inveniendas duas medias continue proportionales inter duas rectas datas, quemadmodum docet* Pappus.

DEFINITIO LI.

Tab. VI. Fig. 64. 552. Si recta AX dividatur in partes quotcunque æquales, ipsique in punctis divisionum A, P, p &c. jungantur rectæ AN, PM, pm &c. continue proportionales, puncta N, M, m &c. in curva existunt, quæ *Logistica*, itemque *Logarithmica* vocari solet.

COROLLARIUM I.

553. Sunt ergo abscissæ AP, Ap &c. semiordinatarum PM, pm &c. logarithmi (§. 334. *Arithm.*).

COROLLARIUM II.

554. Hinc si AP $= x$, $Ap = v$, PM $= y$, $pm = z$, & logarithmi ipsorum y & $z = ly$ & lz; erit $x = ly$ & $v = lz$, consequenter $x : v = ly : lz$, hoc est, denominatores rationum AN : PM & AN : pm sunt inter se ut abscissæ AP & Ap.

COROLLARIUM III.

555. Quamobrem infinitas alias logisticas excogitare licet, si fiat $x^m : v^m = ly : lz$, ut nempe abscissarum potestates aut radices quæcunque (m nempe numerum fractum denotante) sint semiordinatarum logarithmi.

COROLLARIUM IV.

556. Cum semiordinatæ pm continuo decrescant, ratione AN ad pm cum abscissis continuo crescente (§. 553. *Analys.* & §. 205. *Arithm.*) curva ad axem AX continuo propius accedit. Quodsi pm ponatur fieri nihilo æqualis, ratio ipsius AN in infinitum augetur, consequenter & abscissa AP (§. 554). Quare logistica nonnisi infinito intervallo cum axe concurrit, adeoque AX est ejus asymptotus.

DEFINITIO LII.

557. Si quadrans circuli in partes quotcunque æquales in punctis P, p, p, &c. dividatur & ex radiis CP, Cp, Cp, &c. resecentur CM, Cm, Cm &c. continue proportionales; puncta M, m, m, &c. erunt in *Logistica spirali.* Tab. VI. Fig. 65.

COROLLARIUM I.

558. Sunt ergo arcus AP, Ap &c. logarithmi ordinatarum CM, Cm &c.

COROLLARIUM II.

559. Unde liquet, infinitas logisticas spirales excogitari posse (§. 555.)

DEFINITIO LIII.

560. Si quadrans BGD bifariam dividatur in G & arcus BG, GD denuo subdividantur bifariam in E & F, atque ita porro; axis AC arbitrariæ longitudinis assumtus eodem modo dividatur in partes æquales Ah, hi, ik, kC, tandemque in punctis h, i, k, C applicentur normales eh, ig, kf, Cd ipsis HE, IG, KF, CD æquales; puncta A, e, g, f, d erunt in Linea, a *Leibnitio* inventore *Linea Sinuum* dicta. Tab. VI. Fig. 66.

COROLLARIUM.

561. Cum HE, IG, KF, CD sint sinus arcuum BE, BG, BF, BD (§. 2. *Trigon.*) erunt abscissæ Ah, Ai, Ak, AC ut arcus seu anguli, semiordinatæ eh, ig, kf, Cd, ut sinus eorundem arcuum seu angulorum.

DEFINITIO LIV.

Tab. VI. *Fig.66.* 562. Iisdem factis, quæ in definitione præcedente fieri præcipimus, fiant *eh*, *ig*, *kf* &c; tangentibus BL, BM, DN &c. vel secantibus CL, CM, CN &c. æquales; Curvæ adhuc aliæ gignentur, quas *Lineas Tangentium* & *Secantium* appellare libet.

COROLLARIUM.

563. In linea tangentium abscissæ sunt ut arcus seu anguli, semiordinatæ ut eorundem tangentes: in secantium vero linea abscissæ itidem sunt ut arcus seu anguli, semiordinatæ ut eorundem secantes.

DEFINITIO LV.

Tab. VI. *Fig.67.* 564. Quadrans arcus ANB dividatur in partes quotcunque æquales in N, *n* &c. per continuam bisectionem; in totidem dividatur radius AC per puncta P, *p* &c. Ducantur radii CN, *cn* &c. denique ex punctis P, *p* &c. erigantur perpendiculares PM, *pm* &c. istis in punctis M, *m* &c. occurrentes: erunt puncta M, *m* &c. in curva, quam *Dinostrates* inventor *Quadraticem* appellavit.

COROLLARIUM.

565. Est ergo ANB: AN = AC: AP. Quare si fiat ANB $= a$, AC $= b$, AN $= x$, AP $= y$; erit $ay = bx$.

DEFINITIO LVI.

Tab. VI. *Fig.68.* 566. Si quadrans ANB & ejus radius in partes æquales dividantur ut in definitione præcedente, & ex punctis P, *p* &c. agantur rectæ PM, *pm* &c. ipsi CB; ex punctis N, *n* &c. rectæ NM, *nm* &c. ipsi AC parallelæ: puncta M, *m*, &c. sunt in *Quadratice Tschirnhusiana* a DNO de *Tschirnhausen* ad imitationem alterius excogitata (*a*).

(*a*) In Medicina Mentis part. II. p. 114.

COROLLARIUM I.

567. Cum etiam hic ANB : AN = AC:AP; quadratrix quoque Tschirnhusiana continetur sub æquatione $ax = by$.

COROLLARIUM II.

568. Quoniam PM = QN, erit PM Sinus arcus AN (§. 2. *Trigon.*). Quare cum sit AP: Ap = AN: An (§. 566); abscissæ Quadraticis hujus sunt ut arcus & semiordinatæ ut sinus eisdem respondentes, quemadmodum in linea sinuum (§. 561).

DEFINITIO LVII.

569. Peripheria circuli AP*p*A dividatur in partes quotcunque æquales in punctis, *p*, per continuam bisectionem. In totidem partes dividatur radius CA, fiatque CM parti uni, C*m* vero duabus &c. partibus radii æqualis. Erunt puncta M, *m*, *m*, &c. in linea curva, quam ab inventore *Archimede* dicunt *Spiralem* vel *Helicem Archimedeam*. Dicitur autem *Spiralis prima*, quia continuari potest, circulo duplo radio descripto: immo *secunda* continuatur, descripto radio circulo triplo & ita porro in infinitum. Tab. VII. *Fig.69.*

COROLLARIUM I.

570. Est ergo AP ad peripheriam ut CM ad radium. Quare si peripheria dicatur p, radius AC $= r$, AP $= x$, PM $= y$, erit CM $= r - y$, consequenter ob $p : r = x : r - y$; habebimus $pr - py = rx$.

COROLLARIUM II.

571. Si CM $= y$; erit $rx = py$: quam æquationem cum quadratice tam *Dinostratis*, quam *Tschirnhusii* communem habet spiralis.

Co-

COROLLARIUM III.

572. Quare pro infinitis spiralibus & quadraticibus erit $r^n x^m = p^r y^n$.

DEFINITIO LVIII.

Tab. VII. *Fig.* 70. 573. *Cyclois* vel *Trochois* est curva, quam describit punctum a in peripheria circuli, si circulus super recta AC rotatur.

COROLLARIUM I.

574. Recta igitur AC peripheriæ; AD semiperipheriæ circuli æqualis est, & in quocunque circuli genitoris situ Ad arcui Pd.

COROLLARIUM II.

575. Si PL ducatur cum AD parallela; erit PM arcui BM circuli genitoris æqualis. Est enim Pd= Ad & hinc Pb= dD (§. 574). Quare cum NL= Dd (§. 226. *Geom*) & ob Pb= MB etiam PN= ML (§. 12. *Trigon.*); erit etiam PN + NM= PM= ML + NM= NL= Dd, consequenter ob Dd= Pb = MB *per demonstr.* PM= MB. Sumto igitur arcu MB pro abscissa, PM pro semiordinata, si BM= x, PM= y; erit $x = y$.

DEFINITIO LIX.

576. *Epicycloïs* describitur, si circulus non ut in præcedente definitione super recta, sed super peripheria alterius circuli incedat. Dicitur *Epicycloïs superior*, si circulus genitor per peripheriæ convexitatem rotatur: *Epicycloïs inferior*, si ejus concavitatem emetitur.

SCHOLION I.

577. *Logarithmica, logistica spiralis, linea sinuum, linea tangentium, linea secantium, quadratrix Dinostratis, quadratrix Tschirnhusiana, Spiralis Archimedea, Cyclois, Epicyclois sunt lineæ transcendentes; neque enim per æquationes algebraicas explicari possunt. Tradidimus equidem pro aliquibus earum æquationes; veruntamen cum in his assumserimus arcus circulares in numerum indeterminatarum, æquationes algebraicæ non sunt. Supposuimus enim superius, æquationes algebraicas relationem, quam habent puncta curvarum ad axem vel diametros, per solas lineas rectas explicare debere.*

SCHOLION II.

578. *Innumeræ autem curvæ aliæ tam algebraicæ, quam transcendentes excogitari possunt & actu excogitatæ sunt a Geometris. Sed de his omnibus agere minime consultum est. Trademus autem in analysi infinitorum methodos generales, quibus non modo curvarum hactenus explicatarum, sed etiam aliarum quarumcunque symptomata, si quando iis opus habemus, erui possunt. Ut tamen appareat, quomodo plures excogitari possint; unum alterumque exemplum addere lubet.*

PROBLEMA CCXXVIII.

§. 579. *Invenire naturas curvarum, quæ prodeunt, si semiordinatæ* PM *continuentur in* N, *donec fiant chordis* AM *æquales.* Tab. XII. *Fig.* 125.

Facile apparet, curvas infinitas, immo infinitas earum series construi posse. Æquatio igitur in dato casu speciali eruenda ex æquatione curvæ genetricis ABC. Sit ea circulus, cujus diameter a. Sit in omni casu AP$=x$, PN$=y$; erit PM$^2 = ax - x^2$ (§. 377). Quare cum AP$^2 = x^2$ & AM^2 = AP^2 + PM^2 (§. 417 *Geom.*); erit AM$^2 = ax$, consequenter æquatio ad curvam genitam AND, $y^2 = ax$. Est itaque curva AND parabola (§. 388).

Sit curva genetrix AMC parabola: erit PM$^2 = ax$ (§. 388.) consequenter AM^2 = PN$^2 = ax + x^2$. Quoniam itaque

taque æquatio ad curvam AND, $y^2 = ax + x^2$; erit ea hyperbola æquilatera, cujus axis transversus $= a$ (§. 507).

Sit curva genetrix AMC hyperbola æquilatera: erit $PM^2 = ax + x^2$, consequenter $AM^2 = PN^2 = ax + 2x^2$. Æquatio itaque ad curvam AND, $y^2 = ax + 2x^2$, adeoque eadem hyperbola scalena, cujus parameter a, axis transversus vero $= \frac{1}{2} a$ (§. 459).

Sit AMC parabola secundi generis, erit $PM = \sqrt[3]{a^2x}$ (§. 519), adeoque $PM^2 = \sqrt[3]{a^4x^2}$ & $PN^2 = x^2 + \sqrt[3]{a^4x^2}$. Cum itaque æquatio ad curvam sit $y^2 = x^2 + \sqrt[3]{a^4x^2}$; erit $(y^2 - x^2)^3 = a^4x^2$, seu $y^6 - 3x^2y^4 + 3x^4y^2 = x^6 + a^4x^2$.

SCHOLION.

580. *Patet per problema præsens plurimarum curvarum descriptiones facillimo negotio detegi posse: quod idem per sequentia quoque problemata intelligitur. Nec minus liquet, eodem modo ad axem* AB *applicari posse tangentes, subtangentes, normales, subnormales & quascunque alias lineas eodem modo determinatas. Hoc pacto subinde theoremata non inelegantia reperiuntur, qualia in ipsa resolutione problematis præsentis continentur*, v. gr. *Quod, si parabola circa diametrum circuli describatur, chordæ circuli* AM *sint semiordinatis parabolæ* PN *æquales.*

PROBLEMA CCXXIX.

Tab. XIII. Fig. 126. 581. *Investigare naturas curvarum, quæ gignuntur, si ad chordam* AM *curvæ genetricis* AMC *erigatur perpendicularis* AN *semiordinatam* PM *ultra axem* AB *continuatam secans in* N.

Sit curva genetrix AMC: Quoniam MAN angulus rectus *per hypothesin*; erit PM : AP = AP : PN (§. 327. *Geom.*), consequenter $PM^m : AP^m = AP^m : PN^m$ (§. 124), adeoque $PN^m = AP^{2m} : PM^m$, consequenter si $AP = x$, $PN = y$; $y^m = x^{2m} : PM^m$. Valor igitur ipsius PM & exponens m ex æquatione curvæ genetricis AMC determinantur.

Sit AMC circulus; erit $PM^2 = ax - x^2$, adeoque æquatio ad curvam ANR, $y^2 = x^4 : (ax - x^2) = x^3 : (a - x)$. Est igitur curva ANR Cissois *Dioclis* (§. 548).

Sit curva genetrix parabola *Apolloniana*: erit $PM^2 = ax$, adeoque $y^2 = x^4 : ax = x^3 : a$, hoc est, $ay^2 = x^3$. Est igitur ANR Parabola secundi generis (§. 519).

Sit in genere curva genetrix quædam ex parabolis infinitis, quæ definiuntur per æquationem $PM^m = ax^{m-1}$, adeoque $y^m = x^{2m} : ax^{m-1} = x^{m+1} : a$ hoc est, $ay^m = x^{m+1}$ Est igitur ANR parabola proxime superior genetrice. Unde patet modus describendi omnes parabolas in infinitum, quæ continentur sub æquatione $y^m = ax^{m-1}$.

Sit curva genetrix hyperbola æquilatera: erit $PM^2 = ax + x^2$, adeoque $y^2 = x^4 : (ax + x^2) = x^3 : (a + x)$. Est igitur ANR curva secundi generis affinitatem quandam habens cum Cissoide; sed quæ peculiari nomine destituitur.

Sit curva genetrix ellipsis: erit $PM^2 = (abx - bx^2) : a$, adeoque $y^2 = ax^4 : (abx - bx^2)$ hoc est $by^2 = ax^3 : (a - x)$.

SCHO-

SCHOLION I.

582. *Si circuli superiorum generum sumuntur pro genetrice, Cissoides superiorum generum erunt genitæ.*

PROBLEMA CCXXX.

Tab. XIII. Fig 127. 583. *Sit curva genetrix* AMK, *recta* AT *ad axem* AX *normalis*, AS *magnitudinis constantis, investigare naturam curvæ, in qua est punctum* N, *quod determinatur, demissa ex* S *perpendiculari* SR *ad semiordinatam genetricis* PM *&* *ducta recta* QN *per punctum curvæ genetricis* M *axi* AX *parallela, rectæ* AN *ex vertice* A *per punctum* R *ductæ occurrente in* N.

Sit $AS = a$, $AQ = x$, $QN = y$, erit ob parallelas SR & QN (§. 268. *Geom.*).

$$AS : (SR)\, QM = AQ : QN$$
$$a : QM = x : y$$

adeoque $\frac{QM.x}{a} = y$

Sit AMK parabola Apolloniana; erit $QM = x^2 : a$. Est igitur.

$$y = x^3 : a^2$$
$$a^2 y = x^3$$

quæ est æquatio ad parabolam secundi generis (§. 519).

Sit AMK quædam ex infinitis parabolis, erit $QM = x^m : a^{m-1}$ (§ *cit.*), adeoque $y = x^{m+1} : a^m$ consequenter $a^m y = x^{m+1}$. Est igitur curva genita parabola proxime superior genetrice, patetque simul modus describendi parabolas omnes in infinitum, quæ continentur sub æquatione $a^{m-1} x = y^m$.

CAPUT VII.

De Locis Geometricis.

DEFINITIO LX.

584. Locus *Geometricus* est linea, per quam construitur problema indeterminatum. In specie *Locus ad rectam* dicitur, si linea recta æquationi construendæ sufficit; *Locus ad circulum*, si circulo utendum & ita porro.

DEFINITIO LXI.

385. Loca ad lineam rectam & circulum veteres dixere *Loca plana*: quæ vero sunt ad parabolam, ellipsin aut hyperbolam, *Loca solida*. Commodius Loca in ordines distinguuntur secundum numerum dimensionum, ad quem assurgunt quantitates indeterminatæ. Sic *Locus primi ordinis* est, si æquatio $x = ay : c$. *Locus secundi seu quadratici ordinis*, si e.gr. $y^2 = ax$ vel $y = a^2 - x^2$ &c. *Locus tertii seu cubici ordinis*, si e. gr. $y^3 = a^2 x$, vel $y^2 = ax^2 - x^3$ &c.

PROBLEMA CCXXXI.

585. *Construere loca ad rectam.* Tab. VII. Fig. 71.

Si $y = ax : b$; $y = ax : b + c$, $y = ax : b - c$, $y = c - ax : b$; Locus semper est ad rectam. Sit enim angulus datus CAB, in quo fiat $AI = b$, $IE = a$:

ductis ipsi EI parallelis quibuscunque PM, pm &c. erit AP$=x$, PM$=y$. Est enim (§. 268. *Geom.*)

$$AI : IE = AP : PM$$
$$b : a = x : y$$

Ergo $ax : b = y$

Quodsi EI continuetur in G, ita ut sit IG$=c$, per G, agatur DF ipsi AB & ex A, AD ipsi EI parallela, erit AP$=$DQ$=x$, QM, $=y$. Est enim PM$=ax : b$, *per demonstr.* PQ$=c$ (§. 257 *Geom.*). Ergo QM$=ax : b + c = y$.

Si LG$=b$, GE$=a$ & LQ vel Lq $=x$: erit QM vel $qm = ax : b$, *per demonstr.* Fiat IG$=c$ & per I ducatur ipsi DF parallela AB, erit PQ$=pq=c$ (§. 257. *Geom.*), consequenter PM vel $pm = ax : b - c$.

Tab. VII. Fig. 72. Denique sit AC$=c$ & AD$=b$; ducatur per D recta EF ipsi AC parallela fiatque DE$=a$. Ducatur recta AL & per C ipsi AL parallela CB. Quodsi alia parallela MN ad EF agatur: erit AP$=x$, PM$=y$. Est enim (§. 268. *Geom.*).

$$AD : DE = AP : PN$$
$$b : a = x : \frac{ax}{b}$$

Sed MN$=$AC$=c$ (§. 257. *Geom.*). Ergo PM$=c - ax : b$.

PROBLEMA CCXXXII.

587. *Invenire theoremata generalia construendi omnes aequationes ad parabolam.*

Duo theoremata nobis investiganda: in quorum altero y refertur ad concavitatem, in altero autem ad convexitatem parabolae.

Tab. VII. Fig. 75. Sint KP & DL, itemque KD & QM inter se parallelae, & LDH angulus quicunque. Sit porro DH$=q$, LH $=r$, DL$=f$, DK$=$PN (§. 257. *Geom.*) $=n$, KA$=p$, & parametro t describatur parabola AM, cujus axis vel diameter AP. Sit porro DQ$=x$, QM$=y$: erit (§. 268. *Geom.*)

$$DH : DL = DQ : DN \ (=PK)$$
$$q : f = x : \frac{fx}{q}$$
$$DH : HL = DQ : QN$$
$$q : r = x : \frac{rx}{q}$$

Ergo AP$=$PK$-$KA$=fx : q - p$ & PM$=$QM$-$KD$-$QN$= y - \frac{rx}{q} - n$

Quare cum sit PM$^2 = t$. AP (§. 388), erit

$$y^2 - \frac{2rxy}{q} + \frac{r^2x^2}{q^2} - 2ny + \frac{2nrx}{q} + n^2 = \frac{tfx}{q} - tp$$

hoc est,

$$y^2 - \frac{2rxy}{q} + \frac{r^2x^2}{q^2} - 2ny + \frac{2nrx}{q} + n^2 = 0$$
$$- \frac{tfx}{q} + tp$$

Sit denuo in casu altero, ubi IM parallela ipsi DQ & DI ipsi QM, DH$=q$, LH$=r$, DL$=f$, KA$=p$, DK$=$PN (§. 257. *Geom.*)$=n$, IM$=$DQ$=y$, QM$=x$. Parabola AM denuo parametro t describatur. Tab. VII. Fig. 76

Erit (§. 268. *Geom.*).

$$DH : DL = DQ : DN$$
$$q : f = y : \frac{fy}{q}$$
$$DH : HL = DQ : QN$$
$$q : r = y : \frac{ry}{q}$$

Ergo AP$=$DN$-$AK$=fy : q - p$ & PM $=$QM

$=QM-QN-PN=x-ry:q-n.$

Quare cum sit $PM^2=t.AP$; erit (§. 288. 419.)

$$x^2-\frac{2rxy}{q}+\frac{r^2y^2}{q^2}-2nx+\frac{2nry}{q}+n^2=\frac{tfy}{q}-tp$$

hoc est,

$$x^2-\frac{2rxy}{q}+\frac{r^2y^2}{q^2}-2nx+\frac{2nry}{q}+n^2=0$$
$$-\frac{tfy}{q}+tp$$

Tab. VII. Fig. 75. Sit e. gr. $y^2-ax=0$, erit $-\frac{2r}{q}=0$ adeoque $\frac{r^2}{q^2}=0$, & $f=q$. porro $n=0$ & $tf:q=a$, hoc est, $a=t$. Cadit ergo punctum D in A & Q in P, nec alia re opus est, quam ut parametro a parabola AM describatur: erit enim $AP=x$, $PM=y$.

Sit $y^2+ay-bx+\frac{1}{4}aa=0$; erit $2r:q=0$, consequenter H cadit in L, adeoque $f=q$. Porro $a=-2n$: ergo $-\frac{1}{2}a=n$. Item $-t=-b$, adeoque $t=b$. Denique $n^2+tp=\frac{1}{4}aa$, hoc est, $\frac{1}{4}a^2+bp=\frac{1}{4}a^2$, adeoque $p=0$. Cadit adeo punctum K in A. Parametro itaque

Tab. VII. Fig. 74. b describenda parabola AM & in A erigenda perpendicularis $AB=\frac{1}{2}a$. Ducta enim BS axi AB parallela, erit ob $n=\frac{1}{2}a$, $MS=y$ & $BS=x$.

Sit $yy-ay-bx+cc=0$, erit $\frac{2r}{q}=0$, adeoque $q=f$

$$\begin{array}{lll} -2n=-a & -t=-b & n^2+tp=-cc \\ \hline n=\frac{1}{4}a & t=b & tp=-c^2-\frac{1}{4}aa \\ & & p=\frac{-c^2}{b}-\frac{1}{4}aa \end{array}$$

Fig. 74. Parametro ergo b describenda parabola AHM & quia KA sive p est quantitas negativa, auferenda est ex AP, ita ut origo indeterminatæ x statuatur in R vel N. Denique ob $n=\frac{1}{2}a$; fiat $AD=\frac{1}{2}a$ & ducatur DQ parallela axi AP, erit $NQ-RP=x$ & $QM=y$.

Sit $x^2-ay+bb=0$: erit vi theorematis secundi $r:q=0$, adeoque $q=f$. Porro $n=0$ &

$$\begin{array}{ll} -t=-a & tp=bb \\ \hline t=a & ap=bb \\ & \hline p=\frac{bb}{a} \end{array}$$

Construitur adeo parabola AHM parametro a, factaque $AK=bb:a$; erit $KP=x$, $PM=y$.

Sit $y^2-\frac{axy}{b}+\frac{a^2x^2}{4b^2}-cx=0$, erit

$$\begin{array}{lll} -\frac{2r}{q}=-\frac{a}{b} & 2n=0 & -\frac{ts}{q}=-c \\ \frac{r}{q}=\frac{a}{2b} & n=0 & t=\frac{qc}{s}=\frac{2bc}{s} \\ & n^2+tp=0 & \\ & p=0 & \end{array}$$

Construatur itaque parametro $2bc:f$ parabola AHM & factis $AO=2b$ atque RO ad AP normalis $=a$, ducatur recta AT; erit TM ipsi OR parallela $=y$, $AT=x$. Fig. 74.

Ceterum loca esse rite constructa patet, si assumtis valoribus, prout per regulam determinantur, quæratur æquatio ad curvam eademque cum proposita reperiatur. Etenim si in exemplo ultimo $AO=2b$, $RO=a$, parameter $=2bc:s$, $AT=x$, $TM=y$, cum sit

$$AO:AR=AT:AP$$
$$2b:f=x:\frac{fx}{2b}$$

erit $t.AP=2bcfx:2bf=cx$.

Et quia $AO:OR=AT:TP$
$$2b:a=x:\frac{ax}{2b}$$

erit $PM=TM-TP=y-\frac{ax}{2b}$

adeoque $PM^2=y^2-\frac{axy}{2b}+\frac{a^2x^2}{4b^2}$

Quare $y^2-\frac{axy}{b}+\frac{a^2x^2}{4b^2}=cx$, consequenter $y^2-\frac{axy}{b}+\frac{a^2x^2}{4b^2}-cx=0$, quæ est æquatio ad construendum proposita.

PROBLEMA CCXXXIII.

588. *Invenire theorema generale construendi omnia loca solida ad ellipsin.*

Tab. VII. Fig. 78. Circa diametrum AB descripta sit ellipsis AMB, sintque KD & LH semiordinatæ PM, DL diametro AB parallelæ. Sit KD=PN=n, KC=p, DH=q, LH=r, DL=f, semidiameter AC vel CB=m, parameter=t, DQ=x, QM=y. Erit (§. 257. *Geom.*) KP=DN & (§. 268. *Geom.*)

$$DH:HL=DQ:QN$$
$$q:r=x:\frac{rx}{q}$$
$$DH:DL=DQ:DN$$
$$q:f=x:\frac{fx}{q}$$

Quare CP=DN—KC=$fx:q-p$ & PM=QM—QN—PN=$y-rx:q-n$, Jam ex natura ellipsis (§. 420).

$$t:2m=PM^2:AP.PB.$$

Est vero $PM^2=y^2-\frac{2rxy}{q}+\frac{r^2x^2}{q^2}-2ny+\frac{2nrx}{q}+n^2$, $AP=m+\frac{fx}{q}-p$ & $PB=m-\frac{fx}{q}+p$, adeoque $AP.PB=m^2-p^2+\frac{2pfx}{q}-\frac{f^2x^2}{q^2}$. Ergo (§. cit.) $y^2-\frac{2rxy}{q}+\frac{r^2x^2}{q^2}-2ny+\frac{2nrx}{q}+n^2=\frac{tm^2-tp^2}{2m}+\frac{2tpfx}{2mq}-\frac{tf^2x^2}{2mq^2}$

Unde tandem habetur

$$y^2-\frac{2rxy}{q}+\frac{r^2x^2}{q^2}-2ny+\frac{2nrx}{q}+n^2=0$$
$$+\frac{tf^2x^2}{2mq^2}\qquad-\frac{2tpfx}{2mq}-\frac{tm^2}{2m}$$
$$+\frac{tp^2}{2m}.$$

Sit e. gr. $y^2+\frac{cx^2}{b}-\frac{aac}{b}=0$. Quia in æquatione non habentur xy, y & x: erunt $r:q=0$, $q=f$, $n=0$, $p=0$ hinc $t:2m=c:b$, hoc est, $c:b$ exprimit rationem parametri ad diametrum. Erit porro $-\frac{tm^2}{2m}=-\frac{aac}{b}$, hoc est, substituto pro $t:2m$ valore ipsius ante invento $c:b$, $\frac{m^2c}{b}=\frac{aac}{b}$. Quare $m^2=aa$, & hinc semidiameter $m=a$. Jam quoniam $2m:t=b:c$, erit $t=\frac{2ac}{b}$. Parametro igitur $\frac{2ac}{b}$ & axe $2a$ construatur ellipsis AMB; erit CP $=x$, PM$=y$.

Sit $y^2+\frac{cx^2}{b}-\frac{cdx}{b}-\frac{aac}{b}=0$. Quia in æquatione non habentur xy & y, erit $r:q=0$, $n=0$, consequenter $f=q$. Quare $\frac{t}{2m}=\frac{c}{b}$, adeoque ratio diametri AB ad parametrum est $=b:c$. Porto $\frac{2tp}{2m}=\frac{cd}{b}$, hoc est, ob $t:2m=c:b$, $2p=d$, seu $p=\frac{1}{2}d$. Denique $-\frac{tm^2}{2m}+\frac{tp^2}{2m}=-\frac{aac}{b}$, hoc est, ob $t:2m=c:b$ $m^2-p^2=aa$; seu $m^2=aa+\frac{1}{4}dd$. Est itaque semidiameter $\sqrt{(aa+\frac{1}{4}dd)}$. Quodsi ergo semidiametro $\sqrt{(aa+\frac{1}{4}dd)}$ & parametro $2c\sqrt{(aa+\frac{1}{4}dd)}:b$ describatur ellipsis, fiatque KC $=\frac{1}{4}d$; erit KP $=x$, PM$=y$.

Sit $y^2-dxy:f+bx^2:c-aa=0$. Erit $2r:q=d:f$, adeoque $r:q=d:2f$. Porro $r^2:q^2+tf^2:2mq^2=b:c$, hoc est $d^2:4f^2+tf^2:2m.4f^2=b:c$, consequenter $t:2m=(4bf^2-cf^2):cf^2$. Est denique $n=0$, $p=0$ & $-tm^2:2m=-aa$, consequenter $m^2=a^2cf^2:(4bf^2-cd^2)$, adeoque $m=\sqrt{a^2cf^2}:\sqrt{(4bf^2-cd^2)}$. Hinc vero porro ob datam rationem $2m:t$ reperitur parameter t. Quare si parametro t & diametro $2m$ ellipsis construatur fiatque CF $=2f$, DF$=d$, ducta recta CQ ex C per F semiordinatæ PM continuatæ in Q occurrente, erit QM $=y$, CQ$=x$. Tab. VII. Fig. 77.

Locum rite esse constructum, eodem modo quo in Parabola ostenditur. Etenim

CF

$$CF : DF = CQ : QP$$
$$2f : d = x : \frac{dx}{2f}$$

Quare $PM = y - \frac{dx}{2f}$, consequenter $PM^2 = y^2 - \frac{dxy^2}{f} + \frac{d^2x^2}{4f^2}$.

Porro $CF : CD = CQ : CP$
$$2f : \int = x : \frac{\int x}{2f}$$

Quare $AP = \frac{\sqrt{aac\int^2}}{\sqrt{(4bf^2 - cd^2)}} + \frac{\int x}{2f}$ & $PB = \frac{\sqrt{aac\int^2}}{\sqrt{(4bf^2 - cd^2)}} - \frac{\int x}{2f}$, consequenter $AP.PB = \frac{aac\int^2}{4bf^2 - cd^2} - \frac{\int^2 x^2}{4f^2}$. Est itaque $\frac{t}{2m}.AP.PB = (4bf^2 - cd^2)\,a^2c\int^2 : c\int^2(4bf^2 - cd^2) - (4bf^2\int^2x^2 + cd^2\int^2x^2)\ 4cf^2\int^2 = a^2 - \frac{bx^2}{e} + \frac{d^2x^2}{4f^2}$, consequenter cum sit in ellipsi $\frac{t}{2m}.AP.PB = PM^2$ (§. 420), $y^3 - \frac{dxy}{f} + \frac{d^2x^2}{4f^2} = a^2 - \frac{bx^2}{c} + \frac{d^2x^2}{4f^2}$. Ergo $y^2 - \frac{dxy}{f} + \frac{bx^2}{c} - a^2 = 0$.

COROLLARIUM.

589. Cum in ellipsi sit $b : a = y^2 : ax - x^2$ (§. 420.); si $b = a$, hoc est, si parameter diametro æqualis, erit $y^2 = ax - x^2$, seu $y^2 - ax + x^2 = 0$, quæ est æquatio ad circulum (§. 377). Æquatio itaque localis ad ellipsin degenerat in æquationem localem ad circulum: si ponatur $t = 2m$ & angulus ad P rectus: quo facto erit

$$\begin{array}{llllll} y^2 - 2rxy & + \frac{r^2x^2}{q^2} & - 2ny & + \frac{2nrx}{q} & + n^2 & = 0. \\ & + \frac{\int^2x^2}{q^2} & & - \frac{2p\int x}{q} & - m^2 & \\ & & & & + p^2 & \end{array}$$

Ceterum cum ex comparatione formulæ propositæ cum generali demum intelligatur, num $t = 2m$; eadem formula pro construendis locis ad ellipsin atque ad circulum sufficit.

Ponamus e.gr. $y^2 + x^2 - by - cx = 0$ Quoniam xy deest, erit $r : q = 0$, consequenter $\int = q$. Quare $t : 2m = 1$, hoc est, $t = 2m$. Locus adeo planus est ad circulum. Porro

$$-2n = -b \qquad\qquad -2tp : 2m = -c$$
$$n = \tfrac{1}{2}b \qquad\qquad 2p = c, \text{ ob } t = 2m,$$
$$p = \tfrac{1}{2}c$$

Denique $n^2 - m^2 + p^2 = 0$
$$n^2 + p^2 = m^2$$
h. e. $\tfrac{1}{4}b^2 + \tfrac{1}{4}c^2 = m^2$
$$m = \sqrt{(\tfrac{1}{4}b^2 + \tfrac{1}{4}c^2)}$$

Quare ducta linea recta AB & in ea assumta $CN = GD = \frac{1}{2}b$, si porro fiat GN = CD & ad AB perpendicularis $= \frac{1}{2}c$ atque ex centro C radio CG describatur circulus; erit $GR = NP = x$ & $RM = y$. Tab. VII. *Fig.* 73.

Cum enim sit $CG^2 = CD^2 + GD^2$ (§. 417 *Geom.*), erit $CG^2 = \sqrt{(\frac{1}{4}b^2 + \frac{1}{4}c^2)}$. Porro, ob $PR = GN$ (§. 257. *Geom.*) $= \frac{1}{2}c$, est $PM = y - \frac{1}{2}c$, adeoque $PM^2 = y^2 - cy + \frac{1}{4}cc$. Similiter $CP = PN - NC = x - \frac{1}{2}b$, adeoque $CP^2 = x^2 - bx + \frac{1}{4}b^2$. Quare cum sit $CP^2 + PM^2 = CM^2$ (§. 417. *Geom.*); erit $y^2 - cy + \frac{1}{4}c^2 + x^2 - bx + \frac{1}{4}b^2 = \frac{1}{4}b^2 + \frac{1}{4}c^2$, adeoque $y^2 + x^2 - cy - bx = 0$: quæ est æquatio localis ad construendum proposita.

PROBLEMA CCXXXIV.

590. *Invenire theorema generale construendi omnia loca ad hyperbolam circa diametrum descriptam.* Tab. VIII. *Fig.* 80.

Diametro transversa $AB = 2m$ & parametro t descripta sit hyperbola AM, cujus centrum in C, ductisque KD & LH cum QM, DL vero cum BP parallelis, fiat $KD = PN = n$, $KC = p$, $DH = q$, $LH = r$, $DL = \int$, $DQ = x$, $QM = y$, erit (§. 257. *Geom.*) $KP = DN$ & (§. 268. *Geom.*)

$$DH : HL = DQ : QN$$
$$q : r = x : \frac{rx}{q}$$

DH : DL=DQ : DN

$$q : f = x : \frac{fx}{q}$$

Quare $CP=DN-KC=\frac{fx}{q}-p$ & $PM=QM-QN-PN=y-rx:q-n$. Jam (§. 459.)

$$t: 2m=PM^2: AP.\ PB$$

Est vero $PM^2=y^2-\frac{2rxy}{q}+\frac{r^2x^2}{q^2}-2ny+\frac{2nrx}{q}+n^2$ & $AP.\ PB=(CP-CA)(CP+CA)=CP^2-CA^2$ (§.499.)$=\frac{f^2x^2}{q^2}-\frac{2pfx}{q}+p^2-m^2$. Unde habetur $\frac{tf^2x^2}{2mq^2}-\frac{2tpfx}{2mq}+\frac{tp^2}{2m}-\frac{tm^2}{2m}=y^2-\frac{2rxy}{q}+\frac{r^2x^2}{q^2}-2ny+\frac{2nrx}{q}+n^2$.

Quare æquatio generalis pro quovis loco hyperbolico.

$$y^2-\frac{2rxy}{q}+\frac{r^2x^2}{q^2}-2ny+\frac{2nrx}{q}+n^2=0$$
$$\qquad -\frac{tf^2x^2}{2mq^2}\qquad +\frac{2tpf}{2mq}+\frac{tm^2}{2m}$$
$$\qquad\qquad -\frac{tp}{2m}$$

Quando contingit, reperiri $t=2m$, hyperbola est æquilatera (§. 505).

Eadem formula reperitur, si hyperbola ad diametrum conjugatam refertur, nisi quod $tm^2: 2m$ signo − afficiatur.

Sit e. gr. $y^2-\frac{cx^2}{b}+\frac{aac}{b}=0$. Cum in æquatione non habeantur xy, y & x; erit $r:q=0$, $n=0$, $p=0$, $f=q$, consequenter $-t:2m=-c:b$, adeoque ratio parametri t ad diametrum $2m=c:b$ Porro $tm^2:2m=aac:b$, hoc est, ob $t: 2m=c: b$, $m^2=aa$. Diameter adeo hyperbolæ $2a$: unde ob rationem diametri ad parametrum datam reperiri diameter potest. Quare si datis diametro & parametro hyperbola AML construatur; erit $CP=x$, $PM=y$. Est enim $AC=CB=a$, adeoque $BP=a+x$ & $AP=x-a$, consequenter AP. $PB=x^2-a^2$. Quare $c: b=y^2: x^2-a^2$ (§.459.) Est itaque $y^2-\frac{cx^2}{b}+\frac{a^2c}{b}=0$. Tab. VIII. Fig.79.

Sit $y^2-\frac{cx^2}{b}+\frac{acx}{b}=0$. Quoniam in æquatione desiderantur xy, y & quantitas pure cognita; erit $r: q=0$, $n=0$ & quia (ob $r=0$), DL coincidit cum DH, $f=q$. Quamobrem $-t: 2m=-c: b$, hoc est, ratio parametri t ad diametrum $2m$ denuo $=c: b$. Porro $2tp: 2m=ac: b$, hoc est, (ob $t: 2m=c: b$,) $2p=a$ seu $p=\frac{1}{2}a$: Denique quia ultimus terminus deficit, erit $n^2+\frac{tm^2}{2m}-\frac{tp^2}{2m}=0$ seu $m^2=p^2=\frac{1}{4}aa$, adeoque $m=\frac{1}{2}a$. Fig.80.

Quare cum ob rationem diametri ad parametrum datam detur etiam parameter $=\frac{ac}{b}$; constructa hyperbola AML, erit $BP=x$, $PM=y$: quod ostenditur ut ante. Fig.79.

Sit $y^2-x^2+by-ax=0$. Quia xy desideratur; erit $r: q=0$, consequenter $f=q$. Quare $-t: 2m=1$, hoc est, $t=2m$. Et itaque locus ad hyperbolam æquilateram (§. 505.). Porro

$$\frac{-2n=+b}{n=-\frac{1}{2}b}\qquad \frac{2tp: 2m=-a}{\frac{2p=-a,\text{ob } t=2m}{p=-\frac{1}{2}a.}}$$

$$\frac{\frac{n^2+\frac{tm^2}{2m}=\frac{tp^2}{2m}}{n^2+m^2=p^2}}{m^2=p^2-n^2}$$

hoc est, $m^2=\frac{1}{4}aa-\frac{1}{4}bb$

Diametro itaque $2\sqrt{(\frac{1}{4}a^2-\frac{1}{4}b^2)}$ construatur hyperbola æquilatera AML, fiatque CR = Tab. VIII. Fig.79.

$CR = \frac{1}{2}a$, $KR = GP = \frac{1}{2}b$; erit $KG = RP = x$, $GM = y$. Est enim $PB = CB + CR + RP = \surd(\frac{1}{4}a^2 - \frac{1}{4}b^2) + \frac{1}{2}a + x$ & $AP = AR + RP = CR - CA + RP = \frac{1}{2}a - \surd(\frac{1}{4}a^2 - \frac{1}{4}b^2) + x$, adeoque $AP.\ PB = ax + x^2 + \frac{1}{4}b^2$. Porro $PM = GM + GP = y + \frac{1}{2}b$: adeoque $PM^2 = y^2 + by + \frac{1}{4}b^2$. Quare cum sit $PM^2 = AP.\ PB$ (§. 567); erit $y^2 + by + \frac{1}{4}b^2 = ax + x^2 + \frac{1}{4}b^2$, adeoque $y^2 + by = ax + x^2$, consequenter $y^2 - x^2 + by - ax = 0$.

Sit $y^2 - x^2 - by + ax = 0$. Quia xy desideratur, erit $r : q = 0$, adeoque $r = 0$ & $q = s$. Quare $t : 2m = 1$, seu $t = 2m$. Est itaque locus ad hyperbolam æquilateram. Porro

$$-2n = -b \qquad 2p = a \qquad n^2 + m^2 - p^2 = 0$$
$$n = \tfrac{1}{2}b \qquad p = \tfrac{1}{2}a \qquad m^2 = p^2 - n^2$$
$$= \tfrac{1}{4}a^2 - \tfrac{1}{4}b^2$$
$$m = \surd(\tfrac{1}{4}a^2 - \tfrac{1}{4}b^2)$$

Fig. 79. Diametro $2\surd(\frac{1}{4}a^2 - \frac{1}{4}b^2)$ construatur hyperbola æquilatera AML, factaque CF ex centro $C = \frac{1}{4}a$ & FH ad FP perpendiculari $= \frac{1}{2}b$, ductisque HN ipsi FP & NM ipsi FH parallelis; erit $HN = x$, $NM = y$. Est enim $BP = FP - BF = x - \frac{1}{2}a + \surd(\frac{1}{4}a^2 - \frac{1}{4}b^2)$, $AP = FP - FA = x - \frac{1}{2}a - \surd(\frac{1}{4}a^2 - \frac{1}{4}b^2)$, adeoque $AP.\ PB = x^2 - ax + \frac{1}{4}b^2$. Porro $PM = MN - PN = y - \frac{1}{2}b$, adeoque $PM^2 = y^2 - by + \frac{1}{4}b^2$, Quare cum sit $PM^2 = AP.\ PB$ (§. 507.), erit $y^2 - by + \frac{1}{4}b^2 = x^2 - ax + \frac{1}{4}b^2$, adeoque $y^2 - x^2 - by + ax = 0$.

PROBLEMA CCXXXV.

Tab. VIII. Fig. 81. 591. *Invenire theorema generale construendi omnia loca solida ad hyperbolam intra asymptotos.*

Sint SA & AR asymptoti hyperbolæ MI. Ducatur DL uni earum AR parallela & huic jungatur utcunque recta DH. Sint denique KD, QM, IR, LH alteri asymptotorum SA parallelæ. Ponamus denuo $KD = PN = n$, $KA = p$, $DH = q$, $LH = r$, $DL = s$, $DQ = x$, $QM = y$, $RI = m$, $AR = DL = s$: erit (§. 268. *Geom.*)

$$DH : HL = DQ : QN$$
$$q : r = x : \frac{rx}{q}$$
$$DH : DL = DQ : DN$$
$$q : s = x : \frac{sx}{q}$$

Ergo $AP = DN - AK = \frac{sx}{q} - p$ & $PM = QM - PN - NQ = y - n - rx : q$.

Quare ob $AR.\ RI = AP.\ PM$ (§. 502.).

$$ms = \frac{syx}{q} - \frac{srx^2}{q^2} - py - \frac{snx}{q} + \frac{prx}{q} + pn$$

$$msq = syx - \frac{srx^2}{q} - pqy - snx + prx + pnq$$

$$mq = xy - \frac{rx^2}{q} - \frac{pqy}{s} - nx + \frac{prx}{s} + \frac{pnq}{s}$$

$$xy - \frac{rx^2}{q} - \frac{pqy}{s} + \frac{prx}{s} + \frac{pnq}{s} = 0$$
$$- nx - mq$$

Invenitur adhuc regula alia pro locis ad hyperbolam intra asymptotos, si valor ipsius x ponatur esse QM. Tab. VIII. Fig. 82.

Sit nimirum IM hyperbola, cujus asymptoti RA & AS. Ducantur DT, HL & QM cum asymptoto AS, DL vero cum altera KR & DH ipsi TM parallela. Sit ut ante $AK = p$, $KD = PN = n$, $DH = q$, $DL = AR = s$, $HL = r$, $RI = m$, $QM = x$, $DQ = TM = y$. Erit (§. 268. *Geom.*).

$$DH : DL = DQ : DN$$
$$q : s = y : \frac{sy}{q}$$
$$DH : HL = DQ : QN$$
$$q : r = y : \frac{ry}{q}$$

Er-

Ergo $AP = DN - AK = fy : q - p$ & $PM = QM - QN - NP = x - ry : q - n$.

Quare ob AR. RI = AP.PM (§.502).

$$mf = \frac{fxy}{q} - \frac{rfy^2}{q^2} - \frac{fny}{q} - px + \frac{pry}{q} + pn.$$

Unde tandem eodem modo, quo ante usi sumus, reperitur.

$$xy - \frac{ry^2}{q} - \frac{pqx}{f} + \frac{pry}{f} + \frac{pnq}{f} = 0.$$
$$\qquad\qquad - ny \qquad - mq$$

Sit e. gr. $xy + \frac{fdy}{c} - \frac{abd}{c} = 0$: erit $r : q = 0$, adeoque $r = 0$ & hinc $q = f$, quia L cadit in H, $-pq : f = + fd : c$, hoc est, ob $q = f$, $p = -fd : c$. Porro $+ pr : f - n = 0$, quia x in æquatione præsente deficit, & hinc, ob $r = 0$, $n = 0$. Denique $pnq : s - mq = -abd : c$. Sed $pnq : s = 0$; ergo $mq = mf = abd : c$. Quare si $f = ab : c$; erit $m = d$. Fiat igitur $AR = ab : c$ & $IR = d$, atque constructa hyperbola intra asymptotos porro $OA = fd : c$; erit $OP = x$, $PM = y$. Nam $AP = x + fd : c$ adeoque $AP. PM = xy + fdy : c$. Quare cum sit $AR.RI = abd : c$ erit

Fig. 81.

$$xy + fdy : c = abd : c$$

adeoque $xy + \frac{fdy}{c} - \frac{abd}{c} = 0$.

Sit $xy - \frac{bxx}{a} - cy = 0$. Erit $-r : q = -b : a$, hoc est, $r = b$, $q = a$, Porro $-pq : f = -c$. Ergo $p = fc : a$. Cum x in æquatione desit; $pr : f - n = 0$, seu $pr : f = n$, hoc est, $bc : a = n$. Denique quoniam terminus ultimus itidem deficit, $pnq : f - mq = 0$, seu $pnq : f = mq$, vel $pn : f = m$, hoc est, $bc^2 : a^2 = m$. Cognitis valoribus rectarum AK, KD, DH, HL, AR, RI; constructio loci manifesta est. Est enim $AK = fc : a$, $KD = bc : a$, $DH = a$, $HL = b$, $DL = AR = f$, $RI = bc^2 : a^2$, $DQ = x$, $QM = y$: His enim positis, erit AR, RI $= fbc^2 : a^2$. Porro (§. 268. *Geom.*).

$$DH : DL = DQ : DN$$
$$a : f = x : \frac{fx}{a}$$

Quare cum sit $KA = fc : a$, erit $AP = (fx - fc) : a$. Est vero etiam

$$DH : LH = DQ : QN$$
$$a : b = x : \frac{bx}{a}$$

Quare cum sit $KD = PN = bc : a$ & $QM = y$, erit $PM = y - bx : a - bc : a$. Habemus adeo $AP. PM = \frac{fxy}{a} - \frac{fcy}{a} - \frac{bfx^2}{a^2} + \frac{bfc^2}{a^2}$.

Quoniam itaque AR. RI = AP. PM, erit $\frac{fxy}{a} - \frac{fcy}{a} - \frac{bfx^2}{a^2} + \frac{bfc^2}{a^2} = \frac{bfc^2}{a^2}$: unde reperitur $xy - cy - \frac{bx^2}{a} = 0$.

SCHOLION.

592. *Ut usus hujus doctrinæ appareat; exempla aliquot problematum indeterminatorum in medium afferenda. Antequam tamen id fiat, tradenda sunt criteria, unde judicium fieri possit, cum quanam formularum antecedentium comparanda sit æquatio ad construendum proposita. Nimirum duo occurrere possunt casus: aut enim in æquatione proposita habetur* xy, *aut minus. Si in priori casu quadratorum indeterminatorum neutrum occurrat, vel saltem alterutrum, locus est hyperbola intra asymptotos; si quadrata indeterminatarum* x^2 & y^2 *diversis signis afficiuntur, locus est hyperbola circa diametrum descripta; si eadem quadrata eodem signo afficiuntur, sitque coefficiens dimidius facti* xy *æqualis radici coefficientis quadrati* x^2, *locus est parabola; si minor, hyperbola; si major, ellipsis. In casu posteriori si unum tantum quadratorum indeterminatorum adsit, locus est parabola; si utrumque eodem signo afficiatur, ellipsis vel circulus; si signis diversis gaudeant, hyperbola. Nempe in casu ultimo hyperbola est æquilatera, in penultimo circulus, si terminus* x^2 *a fractione liber. Quæ omnia manifesta sunt ex accurata formularum generalium inter se collatarum contemplatione.*

Quod

Quod si quantitatis alicujus valor per regulam generalem eruitur negativus, quantitas ista ex parte opposita sumenda est, quemadmodum in exemplis propositis a nobis factum.

PROBLEMA CCXXXVI.

593. *Construere rhomboidem ea conditione, ut rectangulum ex lateribus sit aequale quadrato dato.*

Tab. IV. Fig. 51. Sit quadratum datum a^2, sint latera rhombi x & y: erit per conditionem problematis $xy = a^2$. Construenda itaque est hyperbola intra asymptotos CG & CR, cujus potentia AI$=a$. Erit CQ latus unum rhomboidis, QM alterum (§. 488).

PROBLEMA CCXXXVII.

594. *Quadratum construere, quod sit aequale rectangulo, cujus latera differunt recta data.*

Sit recta data$=b$, latus unum rectanguli$=x$, erit alterum$=b+x$. Unde per conditionem problematis $y^2 = bx + x^2$: qui est locus ad hyperbolam aequilateram, cujus parameter $=b$ (§. 505).

Id etiam ex formula generali elicitur. Quoniam enim $y^2 - x^2 - bx = 0$, erit (§. 590) $2r:q=0$, adeoque $r=0$, $q=f$, $r^2:q^2=0$; porro $2n=0$ & hinc $2nr:q=0$, $n^2=0$. Est vero $-tf^2$: $2mq^2 = -1$, hoc est, ob $q^2=f^2$, $t:2m=1$ seu $t=2m$. Unde apparet, locum esse ad hyperbolam aequilateram. Est praeterea $2tpf: 2mq = -b$, hoc est, ob $t=2m$ & $f=q$, $2p=-b$, unde $p=-\frac{1}{2}b$. Denique $tm^2: 2m - tp^2: 2m = 0$, quia quantitas mere cognita in formula data non habetur, hoc est, $m^2 - p^2 = 0$, seu $m^2 = p^2 = \frac{1}{4}bb$. Unde $m = \frac{1}{2}b$. Constructio ex constructione generali haud difficulter elicitur. Nimirum pro diametro transversa AB$=2m$ pone b. Quia KC $= -\frac{1}{2}b$. punctum K cadet in partem contrariam & quidem in A, quia semidiametro in hoc casu aequalis. Unde origo indeterminatae x erit in A, nam ob DK $=$ PN $=0$, punctum D in K, consequenter in nostro casu in A cadit. Porro ob HL $=0$ puncta H & L, adeoque & puncta Q & N, & ob PN $=0$, puncta N & P, consequenter Q & P coincidunt: unde origo alterius indeterminatae y est in P. Tab. VIII. Fig. 80.

Est enim BP $=b+x$, adeoque AP. PB $=bx+x^2$, Quare cum PM$^2 = y^2$; erit $y^2 = bx + x^2$.

PROBLEMA CCXXXVIII.

595. *Super data recta* AB *triangulum construere, ita ut quadrata laterum* AC *&* CB *sint in ratione data.* Tab. VIII. Fig. 85.

Sit ratio data $= b:c$ DB $=x$
AB $=a$ DC $=y$
erit AD $=a-x$

Quoniam (§. 417. *Geom.*) AC$^2 = y^2 + a^2 - 2ax + x^2$ & CB$^2 = x^2 + y^2$; erit per conditionem problematis

$$b:c = y^2 + a^2 - 2ax + x^2 : x^2 + y^2$$

$$bx^2 + by^2 = cy^2 + a^2c - 2acx + cx^2$$

$$by^2 - cy^2 + bx^2 - cx^2 + 2acx - a^2c = 0$$

$$y^2 + x^2 + \frac{2acx}{b-c} - \frac{a^2c}{b-c} = 0$$

Haec aequatio comparanda est cum aequatione generali locorum ad ellipsin, quia deest xy, & y^2 atque x^2 eodem signo afficiuntur (§. 592). Reperitur adeo (§. 588).

$\frac{2n}{q} = 0$ $\quad -2n = 0 \quad$ $r^2:q^2 + tf^2:2mq^2 = 1$

hinc: $\quad t:2m = 1$

$r=0$ & $q=f$ $\quad 2nr:q=0 \quad$ h. e. $t=2m$

Cum diameter $2m$ parametro æqualis sit; locus ad construendum propositus est circulus.

Porro

$$\frac{2nr}{q}-\frac{2tps}{2mq}=\frac{2ac}{b-c} \qquad n^2-\frac{tm^2}{2m}+\frac{tp^2}{2m}=-\frac{a^2c}{b-c}$$

h. e. $2p=-\dfrac{2ac}{b-c} \qquad p^2-m^2=-\dfrac{a^2c}{b-c}$

$$p=-\frac{ac}{b-c} \qquad p^2+\frac{a^2c}{b-c}=m^2$$

$$\frac{a^2c^2}{(b-c)^2}+\frac{a^2c}{b-c}=m^2$$

h. e. $\dfrac{a^2c^2+a^2bc-a^2c^2}{(b-c)^2}=m^2$

$$\frac{a^2bc}{(b-c)^2}=m^2$$

$$\frac{a\sqrt{bc}}{b-c}=m$$

Est ergo radius circuli $=a\sqrt{bc}:(b-c)$. Quodsi igitur AL$=ac:(b-c)$ & radio CL$=a\sqrt{bc}:(b-c)$ describatur circulus ECF: erit AD$=x$, DC$=y$. Nam ponatur brevitatis gratia AL$=p$, LF$=m$; erit DL$=p-x$, ED$=m-p+x$ & DF$=m+p-x$, consequenter, ob ED. DF$=$DC^2, $m^2-p^2+2px-x^2=y^2$

$$y^2+x^2-2px+p^2-m^2=0$$

hoc est, substitutis valoribus p & p^2-m^2 erit $y^2+x^2+\dfrac{2acx}{b-c}-\dfrac{a^2c}{b-c}=0$.

PROBLEMA CCXXXIX.

Tab. VIII. Fig. 84. 596. *Duas rectas* AB *&* CD *ita secare in* E *&* F, *ut* AE. EB$=$CF. FD.

Sit AB$=a$, AE$=x$
CD$=b$, CF$=y$
erit EB$=a-x$
FD$=b-y$

Quare $ax-xx=by-yy$

$$y^2-x^2-by+ax=0$$

Hæc æquatio comparanda cum æquatione locali pro hyperbola. Est nempe.

$$\frac{2r}{q}=0 \text{ \& hinc } q=s,\ q^2=s^2 \qquad \frac{r^2}{q^2}=0 \qquad \frac{2nr}{q}=0$$

$$-\frac{ts^2}{2mq^2}=-1 \qquad -2n=-b,\ n=\tfrac{1}{2}b \qquad \frac{2tps}{2mq}=a$$

$$t:2m=1 \qquad 2p=a$$

$$t=2m \qquad p=\tfrac{1}{2}a$$

$$n^2+\frac{tm^2}{2m}-\frac{tp^2}{2m}=0$$

$$n^2+m^2-p^2=0$$

$$m^2=p^2-n^2=\tfrac{1}{4}aa-\tfrac{1}{4}bb$$

$$m=\sqrt{(\tfrac{1}{4}aa-\tfrac{1}{4}bb)}$$

* Quoniam $t=2m$, hoc est, parameter diametro æqualis; hyperbola est æquilatera (§. 505), diametro $=2\sqrt{(\frac{1}{4}aa-\frac{1}{4}bb)}$ construenda. Cum diametro determinata AB agatur parallela HN & cum MN altera FH, ita ut sit FH $=$PN$=\frac{1}{2}b$ & CF$=\frac{1}{2}a$, erit HN$=x$ & MN$=y$. Est enim CP$=x-\frac{1}{2}a$; PM$=y-\frac{1}{2}b$, & AC$=\sqrt{(\frac{1}{4}aa-\frac{1}{4}bb)}$. Quare, ob AP. PB$=CP^2-AC^2=$PM^2, Tab. VIII. Fig. 79.

$$x^2-ax+\tfrac{1}{4}aa-\tfrac{1}{4}aa+\tfrac{1}{4}bb=y^2-by+\tfrac{1}{4}bb$$

$$x^2-ax=y^2-by$$

$$y^2-x^2-by+ax=0$$

PRO-

PROBLEMA CCXL.

Tab. VIII. Fig. 85. 597. *Super recta* AB *descriptus sit semicirculus* ANB, *& alius minor* ERD. *Ex puncto quocunque* N *demittatur ad* AB *perpendicularis* PN, *ductoque radio* CN, *ex puncto* R *perpendicularis alia* RM. *Determinare locum, in quo sunt omnia puncta* M *eodem modo determinata.*

Sit $AB = a$, $ED = d$, $AP = x$, $PM = y$: erit $PB = a - x$, $PN = \sqrt{(ax - x^2)} = v$ (§. 377.), $PC = \frac{1}{2}a - x$, $NR = \frac{1}{2}a - \frac{1}{2}d$ & (§. 268. *Geom.*)

$$NC : NP = NR : NM$$

$$\tfrac{1}{2}a : v = \tfrac{1}{2}a - \tfrac{1}{2}d : \frac{(a-d)v}{a}$$

Quare $PM = v - \frac{av - dv}{a} = \frac{av - av + dv}{a} = \frac{dv}{a}$, consequenter $PM^2 = y^2 = d^2v^2 : a^2$. Unde habetur $a^2y^2 = d^2(ax - x^2)$, substituto nimirum valore ipsius v^2, quæ æquatio in sequentem resolvitur analogiam:

$$y^2 : ax - x^2 = d^2 : a^2$$

h. e. $PM^2 : PA . PB = CF^2 : AC^2$

Unde intelligitur locum punctorum M esse ellipsin, cujus axes conjugati AB & BD (§. 430).

SCHOLION.

598. *Aparet adeo curvam, quam fornicibus construendis aptam prædicat* Serlius (k) *esse ellipsin.*

COROLLARIUM.

599. Quoniam $PN = v$, $PM = \frac{1}{2}dv : \frac{1}{2}a$, erit $PN : PM = v : \frac{\frac{1}{2}dv}{\frac{1}{2}a}$

hoc est (§. 124.) $= \frac{1}{2}av : \frac{1}{2}dv = \frac{1}{2}a : \frac{1}{2}d$, $= CG : CF$

(k) Architect. lib. 1. c. 1. f. m. 9. b.

PROBLEMA CCXLI.

600. *Super recta* HI *describatur semicirculus* HGI. *Sit recta quæcunque* AB *bifariam divisa in* C *& ex* C *erecta perpendicularis* CD=GF. *Erecta perpendicularis* LN *fiat* DC : AC = HL : AP *& in* P *erigatur perpendicularis* PM = NL. *Determinare locum, in quo sunt omnia puncta* M *eodem modo inventa.* Tab. VIII. Fig. 86.

Sit $HF = GF = DC = d$, $AC = a$, $AP = x$, $PM = y$: erit ex hypothesi

$$AC : DC = AP : HL$$

$$a : d = x : \frac{dx}{a}$$

Quare $LI = 2d - dx : a = (2ad - dx) : a$, & hinc $LN^2 = (2addx - ddxx) : aa$ (§. 367). Habemus itaque *ex hypothesi*:

$$y^2 = (2addx - ddxx) : aa$$

adeoque, $aa : 2ax - xx = dd : y^2$.

Est igitur locus quæsitus ellipsis; cujus semiaxes conjugati AC & CD (§. 430).

SCHOLION.

601. *Evidens adeo est, curvam, quam* Albertus Duretus *& cum ipso* Daniel Hartmannus (l) *fornicibus construendis aptam prædicant, esse ellipsin Apollonianam.*

PROBLEMA CCXLII.

602. *Rectam* DB *ita secare in* P *simulque invenire aliam rectam* y, *ita ut rectangulum ex* y *in datam* CA *sit æquale rectangulo ex segmentis partium* DP *&* PB. Tab. VIII. Fig. 87.

Sit $DB = a$, $AC = b$, $DP = x$, erit $PB = a - x$, consequenter per conditionem problematis

(l) *In der Bürgerlichen Bau-Kunst*, f. 7. & seqq.

$$\frac{ax - xx = by}{x^2 - ax + by = 0.}$$

Eſt itaque locus ad parabolam (§. 592).

Quodſi cum æquatione locali ad parabolam generali modo inventam compares; erit (§. 587.)

$$-\frac{2r}{q} = 0 \qquad -2n = -a \qquad -tf : q = b$$

$$\text{hinc } q = f \qquad n = \tfrac{1}{2}a \qquad t = -b$$

$$nn + tp = 0$$
$$\tfrac{1}{4}aa - bp = 0$$
$$\tfrac{1}{4}aa = bp$$
$$\tfrac{1}{4}aa : b = p$$

Eſt adeo parameter $= -b$. Quare parametro b deſcribenda eſt parabola deorſum tendens AMB, cujus pars altera AD, ſeu quod perinde eſt, deſcribitur parabola circa axem AK (§. 393) & in eo fit $AK = \frac{1}{4}aa : b$, erit $KB = \frac{1}{2}a$ (§. 388.) $= \frac{1}{2}DB$, adeoque DB linea ad ſecandum propoſita. Ducta igitur PM ipſi AK parallela, erit $PB = x$, $PM = y$. Nam $KP = RM = \frac{1}{2}a - x$ & $AR = \frac{1}{4}aa : b - y$. Quare (§. 388) $\frac{1}{4}aa - ax + xx = \frac{1}{4}aa - by$, conſequenter $x^2 - ax + by = 0$.

PROBLEMA CCXLIII.

603. *Datam rectam* MN *in tres partes continue proportionales ſecare.* Tab. VIII. Fig. 88.

Sit $MN = a$, pars prima $= x$, ſecunda $= y$, erit tertia $= yy : x$ & per conditionem problematis.

$$x + y + yy : x = a$$
$$xx + xy + yy = ax$$
$$yy + xy + xx - ax = 0$$

Cum locus ſit ad circulum (§. 592.); æquatio comparanda eſt, cum formula generali ad circulum.

Erit ergo $-\frac{2r}{q} = 1$, hoc eſt, $\frac{r}{q} = -\frac{1}{2}$, nempe $r = -1$ & $q = 2$.

Porro:

$$\frac{r^2}{q^2} + \frac{f^2}{q^2} = 1 \qquad 2n = 0.$$
$$\tfrac{1}{4} + \frac{f^2}{4} = 1 \qquad \text{hinc } \frac{2nr}{q} = 0$$
$$n^2 = 0$$
$$1 + f^2 = 4 \qquad -\frac{2pf}{q} = -a$$
$$f^2 = 3 \qquad \frac{2p\sqrt{3}}{2} = a$$
$$f = \sqrt{3} \qquad p = \frac{a}{\sqrt{3}}$$

$$m^2 = n^2 + p^2 = p^2$$
$$m = p = a : \sqrt{3}$$

Deſcribatur ergo radio $AC = a : \sqrt{3}$ ſemicirculus, fiat (ob valorem negativum ipſius r) $HL : AL = 1 : \sqrt{3}$, ob valorem ſcilicet ipſius r negativum triangulum ALH contraria ratione conſtruendum, ita ut angulus rectus ſit in L, qui in formula generali ſupponitur in H: ita enim prodit $f = \sqrt{3}$; quemadmodum ex regula eruitur per theorema Pythagoricum. Ducatur porro recta AHR. Quodſi inter C & B erigatur perpendicularis PM: erit $AQ = x$, $QM = y$. Nam (§. 268. *Geom.*) Tab. VIII. Fig. 88.

$$AH : HL = AQ : QP$$
$$2 : 1 = x : \tfrac{1}{2}x$$

Unde $PM = y + \frac{1}{2}x$ & $PM^2 = y^2 + xy + \frac{1}{4}x^2$

Porro $AH : AL = AQ : AP$

$$2 : \sqrt{3} = x : \frac{x\sqrt{3}}{2}$$

Unde

Unde $PB = AB - AP = \frac{2a}{\sqrt{3}} - \frac{x\sqrt{3}}{2}$ & $AP \cdot PB = ax - \frac{3}{4}x^2$ Habemus adeo (§. 377).

$$y^2 + xy + \tfrac{1}{4}xx = ax - \tfrac{3}{4}x^2$$

$$y^2 + xy + x^2 - ax = 0.$$

S C H O L I O N.

604. *Eodem modo æquationes locales inveniri possunt pro Curvis superiorum generum ad construenda loca hypersolida. Primus formulas generales computavit* Joannes Craigius (*a*) *earumque usum deinde uberius exposuit* Hospitalius (*b*).

C A P U T V I I I.

De Constructione Æquationum Superiorum.

P R O B L E M A CCXLIV.

605. *Æquationem quamcunque geometrice construere.*

1. Introducatur in æquationem datam nova indeterminata, &
2. Hujus ope æquatio in alias locales ad diversas curvas transformetur, in quibus nempe sint duæ indeterminatæ.
3. Construantur duæ æquationes locales. Communis enim intersectio radices determinabit.

S C H O L I O N.

606. *Genuinum hoc æquationes construendi artificium primus aperuit* Renatus Franciscus Slusius, *Canonicus Leodiensis* (*c*) : *quem postea secuti sunt alii de hac materia commentati. Ut autem methodi vim intelligamus; eam exemplis cubicarum imprimis & quadrato-quadraticarum æquationum illustrabimus, quoniam ad has construendas sufficiunt, quæ de loces planis & solidis in capite præcedente tradidimus.*

(*a*) In Tractatu de figurarum curvilinearum Quadraturis & Locis geometricis p. 62. & seqq.

(*b*) Traité analytique des Sect. con. lib. 3. p. 206. & seqq.

(*c*) Mesolabo Part. 2. integra.

P R O B L E M A CCXLV.

607. *Construere æquationem cubicam* $y^3 + aby = aac$.

Æquatio proposita $y\,(y^2 + ab) = aac$ in hanc resolvitur analogiam

$$a : y = y^2 + ab : ac.$$

ut nova indeterminata in æquationem introducatur & ejus ope æquationes locales ad diversas curvas eliciantur, fiat

$$a : y = y : x$$

erit I. $ax = y^2$. Hinc $x = y^2 : a$.

Porro $y : x = yy + ab : ac$ (§. 167. *Arithm.*)

hoc est, $= ax + ab : ac$

seu (§. 124.) $= x + b : c$

II. $x^2 + bx = cy$

$$ax = y^2$$
$$x^2 + bx = cy.$$

III. $ax - x^2 - bx = y^2 - cy$;

$$ax = y^2.$$
$$x^2 + bx = cy.$$

IV. $x^2 + ax + bx = y^2 + cy$;

$$x^2 + bx = cy$$
$$x^2 + \frac{by^2}{a} = cy$$

$$\text{V. } y^2 + \frac{ax^2}{b} = \frac{acy}{b}$$
$$y^3 + aby = aac$$

$$\frac{y^3}{a} + by = ac$$
$$\text{VI. } xy + by = ac$$

Habemus adeo æquationes locales:

$$\text{I. } y^2 - ax = 0$$
$$\text{II. } x + bx - cy = 0$$
$$\text{III. } y^2 + x^2 - cy + bx = 0$$
$$\phantom{\text{III. } y^2 + x^2 - cy} - ax$$
$$\text{IV. } y^2 - x^2 + cy - ax = 0$$
$$\phantom{\text{IV. } y^2 - x^2 + cy} - bx$$
$$\text{V. } y^2 + \frac{ax^2}{b} - \frac{acy}{b} = 0$$
$$\text{VI. } xy + by - ac = 0$$

Locus primus & secundus sunt ad parabolam; tertius ad circulum; quartus ad hyperbolam æquilateram; quintus ad ellipsin; sextus ad hyperbolam intra asymptotos.

Equidem constructio æquationis absolvi potest, duobus quibuscunque locis combinatis; præstat tamen nonnisi circulum cum una ex sectionibus conicis combinari, non tam quod circulus sit locus planus (ut vulgo cum *Cartesio* sentiunt); sed quia facilius describitur sectionibus coni.

Agedum itaque, construamus æquationem propositam primum ope æquationis ad parabolam $y^2 - ax = 0$ & alterius ad circulum $y^2 + x^2 - cy + bx - ax = 0$

Locus prior construitur, si parametro a parabola describatur: erit origo indeterminatæ x in vertice, nempe $AP = x$, $PM = y$ (§. 587). Tab. IX. Fig. 89.

Pro circulo erit vi theorematis generalis (§. 589).

$$\frac{2n}{q} = 0 \qquad \frac{2n = c}{n = \frac{1}{2}c} \qquad \frac{-2p = b - a}{-p = \frac{1}{2}b - \frac{1}{2}a}$$
$$\text{\& hinc } q = s$$
$$(r^2 + s^2) : q^2 = 1$$
$$\text{seu } s = q$$
$$\underline{n^2 + p^2 = m^2}$$
$$\tfrac{1}{4}cc + \tfrac{1}{4}aa - \tfrac{1}{2}ab + \tfrac{1}{4}bb = m^2$$
$$\sqrt{(\tfrac{1}{4}cc + \tfrac{1}{4}aa - \tfrac{1}{2}ab + \tfrac{1}{4}bb)} = m$$

Quodsi ergo radio $AL = m$ semicirculus AMB describatur, sumaturque $LK = \frac{1}{2}b - \frac{1}{2}a$ deorsum, quia valor ipsius p negativus, & $KD = \frac{1}{2}c$, atque DQ ipsi AB, QM vero inter K & A ob valorem ipsius p negativum, si $b > a$, ipsi KD parallela ducatur: erit (§. 588. 589.) origo indeterminatæ x in D, nempe $DQ = x$ & $QM = y$. Tab. IX. Fig. 90.

Si jam circulus cum parabola combinandus, quo eadem sit indeterminatarum origo, punctum D in A & DQ super AP cadere debet. Quare si fiat perpendicularis $AK = \frac{1}{2}c$ & altera $KL = \frac{1}{2}b - \frac{1}{2}a$: erit centrum circuli L & radius LA. Quodsi is describatur, secabit parabolam in unico puncto M. Dico, semiordinatam parabolæ PM esse radicem veram æquationis, radices duas reliquas nonnisi imaginarias. Fig. 90. & 89.

Est nimirum $AK = PR = \frac{1}{2}c$, $KL = \frac{1}{2}b - \frac{1}{2}a$, adeoque $LA = \sqrt{(\frac{1}{4}bb - \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}aa + \frac{1}{4}cc)}$, qui est radius circuli per superius demonstrata, &, si $PM = y$, $MR = y - \frac{1}{2}c$. Porro $AP = KR = yy : a$ (§. 391), consequenter $LR = y^2 : a + \frac{1}{2}b - \frac{1}{2}a$ & hinc ob LM^2 seu LA^2

$= LR^2$

$= LR^2 + MR^2$ (§. 417. *Geom.*) $\frac{1}{4}bb - \frac{1}{2}ab + ac + \frac{1}{4}cc = \frac{y^4}{aa} + \frac{by^2}{a} + \frac{1}{4}bb - y^2 - \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}aa + y^2 - cy + \frac{1}{4}cc$, hoc est,

$$\frac{y^4}{aa} + \frac{by^2}{a} - cy = 0$$
$$y^4 + aby^2 - aacy = 0$$
$$y^3 + aby - aac = 0$$

Quodsi fuerit $a > b$, erit $p = \frac{1}{2}a - \frac{1}{2}b$, consequenter cum valor ipsius p sit positivus, punctum K cadet ultra centrum L versus B, & $KL = \frac{1}{2}a - \frac{1}{2}b$, $KD = \frac{1}{2}c$ ut ante. Cetera fiunt ut ante. Cadit vero tum centrum L infra AK.

Fig. 90.

Fig. 89.

Construamus porro eandem æquationem combinato circulo cum ellipsi. Quoniam locus ad ellipsin est $y^2 + \frac{ax^2}{b} - \frac{acy}{b} = 0$; erit (§. 588).

$$\frac{2r}{q} = 0 \qquad \frac{t}{2m} = \frac{a}{b} \qquad 2n = \frac{ac}{b}$$
$$\text{hinc } r = 0 \qquad n = \frac{ac}{2b}$$
$$\& \ q = f$$
$$\frac{2nr}{q} - \frac{2tps}{2mq} = 0 \qquad n^2 - \frac{tm^2}{2m} + \frac{tp^2}{2m} = 0$$
$$-\frac{2tp}{2m} = 0 \qquad n^2 = \frac{tm^2}{2m}$$
$$p = 0 \qquad \frac{a^2c^2}{4b^2} = \frac{am^2}{b}$$
$$\frac{ac^2}{4b} = m^2$$
$$\frac{1}{2}\sqrt{\frac{ac^2}{b}} = m$$

Est itaque ratio parametri t ad diametrum $2m$ ut a ad b: ellipsis diametro $AB = \sqrt{(ac^2 : b)}$ & parametro t describenda & in centro C erecta perpendiculari $CF = ac : 2b$, ductisque FQ ipsi AC & QM ipsi CF parallelis, erit $FQ = x$ & $QM = y$, origo nempe indeterminatæ x in F. Circulus itaque ita combinandus cum ellipsi, ut punctum D in F & DK super FC cadat, hoc est, $FC = \frac{ac}{2b}$ continuetur in K, donec fiat $FK = \frac{1}{2}c$ (est enim $b > a$, hinc $bc > ac$, consequenter $c > ac : b$) & in K erigatur perpendicularis $KL = \frac{1}{2}b - \frac{1}{2}a$: erit enim per præcedentia L centrum, LF radius circuli, qui descriptus ellipsin in M secabit. Dico QM esse radicem æquationis.

Tab. IX. *Fig.* 91.

Ponamus enim $QM = y$. Quoniam $CF = PQ = ac : 2b$ & $FQ = CP = x$, $AC = \frac{1}{2}\sqrt{(ac^2 : b)}$ erit $PM = QM - PQ = y - ac : 2b$, $AP = \frac{1}{2}\sqrt{(ac^2 : b)} - x$, $PB = \frac{1}{2}\sqrt{(ac^2 : b)} + x$, $PM^2 = y^2 - acy : b + a^2c^2 : 4b^2$ & $AP . PB = ac^2 : 4b - x^2$, & ex natura ellipsis (§. 420).

$$b : a = \frac{ac^2}{4b} - x^2 : y^2 - \frac{acy}{4b} + \frac{a^2c^2}{4b^2}$$
$$\frac{a^2c^2}{4b^2} - \frac{ax^2}{b} = y^2 - \frac{acy}{b} + \frac{a^2c^2}{4b^2}$$
$$y^2 + \frac{ax^2}{b} - \frac{acy}{b} = 0$$
$$\frac{ax^2}{b} = \frac{acy}{b} - y^2$$
$$x^2 = cy - by^2 : a.$$

Porro $KR = QF = x$, $KL = \frac{1}{2}b - \frac{1}{2}a$, $KF = QR = \frac{1}{2}c$, adeoque $MR = MQ - QR = y - \frac{1}{2}c$, $RL = x + \frac{1}{2}b - \frac{1}{2}a$, consequenter (§. 417. *Geom.*) $LF^2 = KL^2 + KF^2 = \frac{1}{4}bb - \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}aa + \frac{1}{4}cc = ML^2 = MR^2 + RL^2 = y^2 - cy + \frac{1}{4}cc + x^2 + bx + \frac{1}{4}bb - ax - \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}aa$.

Unde

Unde habemus

$$y^2 + x^2 - cy + bx - ax = 0$$

hoc est, ob $x^2 = cy - by^2 : a$

$$y^2 + cy - \frac{by^2}{a} - cy + bx - ax = 0$$

$$\frac{ay^2 - by^2}{a} + bx - ax = 0$$

seu $\frac{ay^2 - by^2}{a} = ax - bx$

$$a - b$$

$$\frac{y^2}{a} = x$$

$$\frac{y^4}{aa} = x^2$$

$$\frac{y^4}{aa} = cy - \frac{by^2}{a}$$

$$y^4 = aacy - aby^2$$

$$y^3 = aac - aby$$

$$y^3 + aby - aac = 0$$

Construamus denique eandem æquationem combinatis loco ad hyperbolam intra asymptotos $xy + by - ac = 0$ & loco ad circulum $y^2 + x^2 - cy + bx - ax = 0$. Posterioris constructionem jam tradidimus: alterius constructio elicitur comparatione æquationis propositæ cum formula generali pro locis ad hyperbolam intra asymptotos instituta. Est nempe (§. 591).

$$\frac{r}{q} = 0 \quad p = 0 \quad -n = b \quad -mq = -ac$$

$$q = f \quad \frac{pr}{f} = 0 \quad n = -b \quad m = c \quad q = a$$

Tab. IX. Jungantur ipsi AR $= a$ recta RI $= c$ & indefinita AS ad angulos rectos, quæ erunt asymptoti hyperbolæ æquilateræ per punctum I describendæ (§. 489). Fig. 92. Fiat AD $= b$, quia valor ipsius b negativus: erit DT $= x$ NM $=$, TM $= y$ (§. *cit.*) Quod si jam circulus cum hyperbola combinari debet; punctum D in D & recta DQ super DT cadere debet. Scilicet ex D in K transferatur DK $= \frac{1}{2}c$ & ex K in L, KL $= \frac{1}{2}b - \frac{1}{2}a$. Radio DL describatur circulus & ex puncto intersectionis circuli atque hyperbolæ M demittatur perpendicularis TM: dico hanc esse radicem æquationis. Tab. IX. Fig. 90. & 92.

Quoniam enim AR $= a$, RI $= c$, AD $=$ PN $= b$, NM $=$ DT $= x$, TM $=$ AP $= y$; erit AT $=$ PM $= b + x$ & ob AR. RI $=$ AP. PM (§. 501.) $by + xy = ac$, consequenter $x = \frac{ac}{y} - b$. Porro Kr $=$ NM $= x$, LK $= \frac{1}{2}b - \frac{1}{2}a$, DK $=$ Tr $= \frac{1}{2}c$. Ergo Lr $= x + \frac{1}{2}b - \frac{1}{2}a$, rM $= y - \frac{1}{2}c$, & ob LM^2 $=$ Lr^2 $+$ rM^2 (§. 417. *Geom.*) $x^2 + bx + \frac{1}{4}bb - ax - \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}a^2 + y^2 - cy + \frac{1}{4}c^2 = \frac{1}{4}aa - \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb + \frac{1}{4}cc$, hoc est,

$$y^2 - cy = ax - x^2 - bx$$

seu $\qquad = (a - x - b)x$

$$y^2 - cy = \left(a - \frac{ac}{y} + b - b\right)\left(\frac{ac}{y} - b\right)$$

$$= \left(a - \frac{ac}{y}\right)\left(\frac{ac}{y} - b\right)$$

hoc est,

$$y^2 - cy = \frac{aac}{y} - \frac{a^2c^2}{y^2} - ab + \frac{abc}{y}$$

$$y^4 - cy^3 = a^2cy - a^2c^2 - aby^2 + abcy$$

$$y - c$$

$$y^3 = a^2c - aby$$

$$y^3 + aby - a^2c = 0$$

SCHO-

SCHOLION.

608. *Mirabuntur forte, qui tyrones sunt in altioribus, quod tam operose construxerimus æquationem, quæ per regulam* Cartesii *ope circuli & parabolæ admodum facile construitur. Sed notent velim, geometricas æquationum constructiones nullius fere in praxi esse usus, cum eidem satisfaciat methodus extrahendi radices per approximationem. Faciunt vero ad exercendam ingenii vim & recludendos inventionum fontes. Quamobrem methodus inveniendi constructiones istiusmodi quam maxime explicari debet.*

PROBLEMA CCXLVI.

609. *Construere æquationem cubicam* $y^3 - aby = aac$.

Æquatio proposita in hanc resolvitur analogiam:

$$a : y = yy - ab : ac$$

Ut nova indeterminata in æquationem introducatur & æquationes locales diversæ inde eliciantur, fiat

$$a : y = y : x$$

erit

I. $ax = y^2$ & hinc $y^2 : a = x$

Porro: $y : x = yy - ab : ac$

hoc est, $= ax - ab : ac$

seu (§. 124.) $= x - b : c$

II. $x^2 - bx = cy$.

$$ax = y^2$$
$$x^2 - bx = cy$$

III. $ax - x^2 + bx = y^2 - cy$

$$ax = y^2$$
$$cy = x^2 - bx$$

IV. $ax - cy = y^2 - x^2 + bx$

$$x^2 - bx = cy$$
$$x^2 - \frac{by^2}{a} = cy$$

V. $\frac{ax^2}{b} - y^2 = \frac{acy}{b}$

$$y^3 - aby = aac$$
$$\frac{y^3}{a} - by = ac$$

VI. $xy - by = ac$

Habemus adeo æquationes locales

I. $y^2 - ax = 0$

II. $x^2 - bx - cy = 0$

III. $y^2 + x^2 - cy - bx = 0$
$\qquad\qquad\qquad\quad - ax$

IV. $y^2 - x^2 + cy + bx = 0$
$\qquad\qquad\qquad\quad - ax$

V. $y^3 - \frac{ax^2}{b} + \frac{acy^2}{b} = 0$.

VI. $xy - by - ac = 0$

Locus primus & secundus sunt ad parabolam; tertius ad circulum; quartus ad hyperbolam æquilateram; quintus ad hyperbolam scalenam; sextus ad hyperbolam intra asymptotos.

Cum æquationes locales nonnisi signis differant ab iis, in quas æquationem problematis præcedentis resolvimus; æquatio præsentis eodem fere modo construitur, quo præcedentem construximus: id quod in unico casu, quo circulus cum parabola combinatur, ostendisse sufficerit.

Locus ad parabolam $y^2 - ax = 0$ construitur ut in problemate præcedente, si Tab. IX. Fig. 93.

Tab. IX. Fig. 93. si parametro a parabola describatur: erit origo indeterminatæ x in vertice, nempe AP $=x$, PM $=y$.

Pro loco ad circulum $y^2 + x^2 - cy - bx - ax = 0$, erit vi theorematis generalis (§. 589) $2r=0$ & hinc $q=f$

$$2n = c \qquad 2p = b + a$$

$$n = \tfrac{1}{2}c \qquad p = \frac{b+a}{2}$$

$$n^2 + p^2 = m^2$$

$$\tfrac{1}{4}cc + \tfrac{1}{4}bb + \tfrac{1}{2}ab + \tfrac{1}{4}aa = m^2$$

$$\sqrt{(\tfrac{1}{4}cc + \tfrac{1}{4}bb + \tfrac{1}{2}ab + \tfrac{1}{4}aa)} = m$$

Quia ergo in circulo origo indeterminatæ x distat a centro quantitate $\frac{1}{2}b + \frac{1}{2}a$ & alterius y quantitate $\frac{1}{2}c$, fiat AD $= \frac{1}{2}a + \frac{1}{2}b$ & perpendicularis DH $= \frac{1}{2}c$ atque radio AH describatur per verticem parabolæ A circulus, erit PM radix vera æquationis; QN & qn erunt falsæ.

Nam $AH^2 = MH^2 = HD^2 + DA^2 = \frac{1}{4}aa + \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb + \frac{1}{4}cc$ (§.417. *Geom.*), AP $= yy : a$ (§.391.), PD $=$ HR $= \frac{yy}{a} - \frac{1}{2}a - \frac{1}{2}b$, MR $= y - \frac{1}{2}c$, consequenter ob $HM^2 = HR^2 + MR^2$ (§.417. *Geom.*) $\frac{1}{4}aa + \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb + \frac{1}{4}cc = \frac{y^4}{aa} - y^2 + \frac{1}{4}aa - \frac{byy}{a} + \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb + y^2 - cy + \frac{1}{4}cc$, hoc est,

$$\frac{y^4}{aa} - \frac{byy}{a} - cy = 0$$

$$y^4 - abyy - aacy = 0$$

$$y^3 - aby - aac = 0.$$

PROBLEMA CCXLVII.

610. *Construere æquationem cubicam* $y^3 - aby = -aac$.

Æquatio proposita $y^3 - aby = -aac$, hoc est, $aac = aby - y^3$ in hanc resolvitur analogiam:

$$a : y = ab - yy : ac$$

ut nova indeterminata introducatur, fiat

$$a : y = y : x$$

erit I. $ax = y^2$. Hinc $x = y^2 : a$

Porro $y : x = ab - yy : ac$
hoc est, $= ab - ax : ac$
seu (§. 124) $= b - x : c$

II. $bx - xx = cy$

$$ax = y^2$$
$$bx - xx = cy$$

III. $ax - bx + xx = yy - cy$

$$ax = yy$$
$$cy = bx - xx$$

IV. $ax - cy = yy - bx + xx$

$$bx - xx = cy$$
$$\frac{by^2}{a} - xx = cy$$

V. $y^2 - \frac{ax^2}{b} = \frac{acy}{b}$

$$aac = aby - y^3$$
$$ac = by - \frac{y^3}{a}$$

VI. $ac = by - xy$

Habemus adeo æquationes locales:

I. $y^2 - ax = 0$
II. $x^2 - bx + cy = 0$
III. $y^2 - x^2 - cy + bx = 0$
$\qquad\qquad\qquad - ax$
IV. $y^2 + x^2 + cy - bx = 0$
$\qquad\qquad\qquad - ax$

V. y^2

$$V.\ y^2 - \frac{ax^2}{b} - \frac{acy}{b} = 0$$

$$VI.\ xy - by + ac = 0$$

Locus primus & ſecundus ſunt ad parabolam, tertius ad hyperbolam æquilateram, quartus ad circulum, quintus ad hyperbolam ſcalenam, ſextus ad hyperbolam intra aſymptotos.

Æquationes locales denuo nonniſi ſignis differunt ab iis, quas in problemate 245. (§. 607) reperimus. Quare denuo nobis ſuffecerit conſtructionem ope parabolæ & circuli oſtendiſſe.

Tab. IX. Fig. 94. Quoniam locus ad parabolam $y^2 = ax$; parabola denuo conſtruitur parametro a & origo indeterminatæ x eſt in vertice axis A.

Pro circulo, cujus æquatio $y^2 + x^2 + cy - bx - ax = 0$, vi theorematis generalis (§. 589)

$$\frac{2r}{q} = 0 \qquad -2n = c \qquad -2p = -b - a$$

hinc

$$q = ſ \qquad n = -\tfrac{1}{2}c \qquad p = \frac{b + a}{2}$$

$$n^2 + p^2 = m^2$$

$$\tfrac{1}{4}cc + \tfrac{1}{4}aa + \tfrac{1}{2}ab + \tfrac{1}{4}bb = m^2$$

$$\sqrt{(\tfrac{1}{4}cc + \tfrac{1}{4}aa + \tfrac{1}{2}ab + \tfrac{1}{4}bb)} = m$$

Tab. IX. Fig. 95. Deſcribatur ergo radio AC $= m$ ſemicirculus, ductaque FLS intervallo CL $= \tfrac{1}{2}c$ diametro AB parallela; erit SQ $= x$, QM $= y$.

Tab. IX. Fig. 94. Quamobrem ſi circulus cum parabola combinatur, punctum S ſuper A & SL ſuper AD cadet. Quare ſi fiat AD $= \tfrac{1}{2}a + \tfrac{1}{2}b$ & erigatur perpendicularis DH $= \tfrac{1}{2}c$; erit AH $= \sqrt{(\tfrac{1}{4}aa + \tfrac{1}{2}ab + \tfrac{1}{4}bb + \tfrac{1}{4}cc)}$ radius circuli per verticem deſcribendi & PM radix vera æquationis.

Nam AP $= yy : a$ (§. 391), hinc DP $=$ HR $= yy : a - \tfrac{1}{2}a - \tfrac{1}{2}b$. Porro MR $= y + \tfrac{1}{2}c$. Quare ob HM^2 $=$ MR^2 $+$ HR^2 (§. 417 *Geom.*), $\tfrac{1}{4}aa + \tfrac{1}{2}ab + \tfrac{1}{4}bb + \tfrac{1}{4}cc = \frac{y^4}{aa} - y^2 + \tfrac{1}{4}aa - \frac{byy}{a} + \tfrac{1}{2}ab + \tfrac{1}{4}bb + y^2 + cy + \tfrac{1}{4}cc$, hoc eſt,

$$\frac{y^4}{aa} - \frac{byy}{a} + cy = 0$$

$$y^4 - abyy + aacy = 0$$

$$y^3 - aby + aac = 0$$

Corollarium.

612. Si circulus parabolam tangit; duæ interſectiones coincidunt, adeoque æquatio duas habet radices æquales. Si eam nec tangit, nec ſecat; radices omnes ſunt impoſſibiles.

Scholion.

613. *Conſtructiones per circulum & parabolam, quas dedimus, coincidunt cum iis, quas habet Carteſius (a), etſi alio modo crutæ.*

Problema CCXLVIII.

614. *Conſtruere æquationem cubicam* $y^3 + ay^2 - aby = aac$.

Ut nova indeterminata in æquationem introducatur, fiat

$$a : y = y : x$$

erit I. $ax = y^2$. Hinc $x = y^2 : a$ Subſtituatur ax pro y^2 in æquatione data.

erit $axy + aax - aby = aac$

$$II.\ xy + ax - by = ac$$

$$xy^2 + axy - by^2 - axy - a^2x + aby = acy - a^2c$$

$$xy^2 - by^2 - a^2x = acy - aby - a^2c$$

$$ax^2 - abx - a^2x = acy - aby - a^2c$$

(*a*) Geomet. lib. III. p. 85. & ſeqq.

III. $x^2 - bx - ax = cy - by - ac$

$ax = y^2$

IV. $2ax - x^2 + bx = y^2 - cy + by + ac$

$x^2 - bx - ax = cy - by - ac$

$ax = y^2$

V. $x^2 - bx = y^2 + cy - by - ac$

$x^2 - \frac{by^2}{a} = ax + cy - by - ac$

VI. $\frac{ax^2}{b} - y^2 = \frac{a^2x}{b} + \frac{acy}{b} - ay - \frac{a^2c}{b}$

Habemus adeo æquationes locales:

I. $y^2 - ax = 0$

II. $xy + ax - by - ac = 0$

III. $x^2 - bx - cy + ac = 0$
$\quad - ax + by$

IV. $y^2 + x^2 - cy - 2ax + ac = 0$
$\quad + by - bx$

V. $y^2 - x^2 + cy + bx - ac\ 0$
$\quad - by$

VI. $y^2 - \frac{ax^2}{b} + \frac{acy}{b} - \frac{a^2c}{b} = 0$
$\quad - ay$

Locus primus & tertius ſunt ad parabolam; ſecundus ad hyperbolam intra aſymptotos; quartus ad circulum; quintus ad hyperbolam æquilateram; ſextus ad hyperbolam ſcalenam.

Tab. IX. Fig. 96. Conſtruamus æquationem combinando circulum cum parabola. Locus ad parabolam $y^2 - ax = 0$ conſtruitur, ſi parametro a parabola deſcribitur; cujus vertex A origo ipſius x.

Pro circulo $y^2 + x^2 - cy + by - 2ax - bx + ac = 0$ erit vi theorematis generalis (§. 589).

$\frac{2r}{q} = 0 \qquad -2n = -c + b \qquad -2p = -2a - b$

hinc

$q = f \qquad n = \frac{1}{2}c - \frac{1}{2}b \qquad p = a + \frac{1}{2}b$

$n^2 + p^2 - m^2 = ac$

$n^2 + p^2 - ac = m^2$

$\frac{1}{4}c^2 - \frac{1}{2}bc + \frac{1}{4}bb + a^2 + ab + \frac{1}{4}bb - ac = m^2$

$\sqrt{(\frac{1}{4}b^2 + (a + \frac{1}{2}b - \frac{1}{2}c)^2)} = m$

Jungatur ipſi IL $= a$ ad angulos rectos LR ipſi æqualis & reſecetur LH $=$ PN $= \frac{1}{2}c - \frac{1}{2}b$; erit HR $= a + \frac{1}{2}b - \frac{1}{2}c$. Fiat LD $=$ HC $= \frac{1}{2}b$; erit CR $= m$, adeoque radius circuli, quo deſcripto habebitur IP $= x$ & PM $= y$ Tab. X. Fig 97.

Eſt enim NM $=$ PM $-$ PN $= y + \frac{1}{2}b - \frac{1}{2}c$, adeoque NM$^2 = y^2 + by + \frac{1}{4}b^2 - cy - \frac{1}{2}bc + \frac{1}{4}c^2$. Porro DP $=$ IP $-$ ID $= x - a - \frac{1}{2}b$, adeoque DP^2 CN$^2 = x^2 - 2ax - bx + a^2 + ab + \frac{1}{4}b^2$. Quare cum ſit CR$^2 =$ CM$^2 =$ NM$^2 +$ CN^2 (§. 417. *Geom.*) & CR$^2 =$ CH$^2 +$ HR$^2 = \frac{1}{4}bb + aa + \frac{1}{4}ab + \frac{1}{4}bb - ac - \frac{1}{2}bc + \frac{1}{4}cc$, erit $y^2 + x^2 - cy + by - 2ax - bx + ac = 0$, quæ eſt æquatio ad conſtruendum propoſita. Circulus itaque rite conſtructus.

Si jam circulus cum parabola combinatur, punctum I in verticem parabolæ A & IP ſuper AP cadit. Quare fiat AL $= a$; erit LR$^2 = aa$ (§. 388.), hoc eſt, LR $= a$. Fiat porro LH $= \frac{1}{2}c - \frac{1}{2}b$; erit HR $= a + \frac{1}{2}b - \frac{1}{2}c$. Fiat denique LD $=$ HC $= \frac{1}{2}b$; erit CR radius circuli per punctum parabolæ R ex centro C deſcribendi & ſemiordinata PM radix æquationis. Tab. IX. Fig. 96. & Tab. X. Fig. 97.

Nam PN $=$ LH $= \frac{1}{2}c - \frac{1}{2}b$: hinc NM $= y + \frac{1}{2}b - \frac{1}{2}c$. Ex natura parabolæ $y^2 : a =$ AP: unde DP $=$ CN $= \frac{y^2}{a} - a - \frac{1}{2}b$. Quare cum ſit (§. 417. *Geo.*) CM^2 ($=$ CR^2) $=$ CN^2 $+$ NM^2 erit $\frac{1}{4}b^2 + a^2 + ab + \frac{1}{4}bb - ac - \frac{1}{2}bc + \frac{1}{4}cc = \frac{y^4}{aa} - 2y^2 + aa - \frac{by^2}{a}$

+

$+ ab + \frac{1}{4}bb + y^2 + by + \frac{1}{4}bb - cy - \frac{1}{2}bc$
$+ \frac{1}{4}cc$,

hoc est,

$$\frac{y^4}{aa} - y_2 - \frac{by^2}{a} + by - cy + ac = 0$$

$$y^4 - a^2y^2 - aby^2 + a^2by - a^2cy + a^3c = 0$$
$$\overline{\qquad\qquad\qquad\qquad\qquad\qquad} \; y - a$$
$$y^3 + ay^2 - aby - a^2c = 0.$$

SCHOLION.

615. *Satis liquet, quomodo æquationum cubicarum casus reliqui construi debeant, ut adeo plura addere supervacaneum judicemus.*

PROBLEMA CCXLIX.

616. *Æquationem biquadraticam* $y^4 + aby^2 + a^2cy = a^3d$ *construere.*

Ut nova indeterminata in æquationem introducatur, fiat

$$a : y = y : x$$

erit I. $ax = y^2$. Hinc $x = y^2 : a$

Hoc valore in æquatione data substituto prodibit

$$a^2x^2 + aby^2 + a^2cy = a^3d$$
$$\overline{\qquad\qquad\qquad\qquad\qquad} \; (ab$$

$$\text{II. } y^2 + \frac{ax^2}{b} + \frac{acy}{b} = \frac{a^2d}{b}$$

Item $a^2x^2 + a^2bx + a^2cy = a^3d$
$$\overline{\qquad\qquad\qquad\qquad\qquad} \; (a^2$$
$$x^2 + bx + cy = ad$$

$$\text{III. } x^2 + bx = ad - cy$$
$$ax = y^2$$
$$\text{IV. } x^2 + bx + ax = y^2 + ad - cy$$
$$ax = y^2$$
$$x^2 + bx = ad - cy$$
$$\text{V. } ax - x^2 - bx = y^2 - ad + cy$$

Habemus adeo æquationes locales;

I. $y^2 - ax = 0$

II. $y^2 + \frac{ax^2}{b} + \frac{acy}{b} - \frac{a^2d}{b} = 0$

III. $x^2 + bx + cy - ad = 0$

IV. $y^2 - x^2 - cy - bx + ad = 0$
$\qquad\qquad - ax$

V. $y^2 + x^2 + cy + bx - ad = 0$
$\qquad\qquad - ax$

Locus primus & tertius est parabola, secundus ellipsis, quartus hyperbola æquilatera, quintus denique circulus.

Construamus primum æquationem, circulo cum parabola $ax = y^2$ combinato. Construatur parabola MDN parametro a, erit $DQ = x$, $QM = y$. Tab. X. Fig. 98.

Pro circulo $y^2 + x^2 + cy + bx - ax - ad = 0$ erit vi theorematis generalis (§. 589).

$$\frac{r}{q} = 0 \quad \frac{f^2}{q^2} = 1 \quad -2n = c \quad -2p = b - a$$
$$f = q \quad n = -\tfrac{1}{2}c \quad p = \tfrac{1}{2}a - \tfrac{1}{2}b$$

$$n^2 + p^2 - m^2 = -ad$$
$$n^2 + p^2 + ad = m^2$$
$$\tfrac{1}{4}cc + \tfrac{1}{4}aa - \tfrac{1}{2}ab + \tfrac{1}{4}bb + ad = m^2$$
$$\sqrt{(\tfrac{1}{4}cc + \tfrac{1}{4}aa - \tfrac{1}{2}ab + \tfrac{1}{4}bb + ad)} = m$$

Erecta in D perpendiculari $DK = QP = \frac{1}{2}c$ ob valorem ipsius c negativum, ducatur per K recta indefinita AB fiatque $KC = \frac{1}{2}a - \frac{1}{2}b$ erit (§. 417. *Geom.*). $DC = \sqrt{(\frac{1}{4}cc + \frac{1}{4}aa - \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb)}$. Fiat porro $DI = a$ & continuata DC in H, donec $HD = d$, quæratur media proportionalis DL (§. 327. *Geom.*), quæ erit $\sqrt{ad}$: consequenter $LC = \sqrt{(\frac{1}{4}cc + \frac{1}{4}aa - \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb + ad)}$ (§. 417. *Geom.*) est radius circuli ex centro C per L describendi, qui cum parabolam secet in M & N; erit QM radix æquationis vera, RN falsa. Tab. X. Fig. 98.

 Est

Est enim PM $= y + \frac{1}{2}c$; DQ = KP $= y^2 : a$ (§. 388), CP = KP — KC = $\frac{y^2}{a} - \frac{1}{2}a + \frac{1}{2}b$. Quare (§. 417. *Geom.*) ob CL² seu MC² = PM² + PC², $\frac{1}{4}cc + \frac{1}{4}aa - \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb + ad = y^2 + cy + \frac{1}{4}cc + \frac{y^4}{aa} - y^2 + \frac{1}{4}aa + \frac{by^2}{a} - \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb$,

hoc est,

$$\frac{y^4}{aa} + \frac{by^2}{a} + cy = ad \qquad aa$$

$$y^4 + aby^2 + aacy = a^3 d$$

Combinemus eundem circulum cum ellipsi, quam definit aequatio superius reperta $y^2 + \frac{ax^2}{b} + \frac{ac}{b}y - \frac{a^2d}{b} = 0$

Erit vi theorematis generalis (§. 588)

$$\frac{r}{q} = 0 \qquad \frac{t}{2m} = \frac{a}{b} \qquad -2n = \frac{ac}{b} \qquad p = 0$$

hinc

$$q = \int \qquad n = -\frac{ac}{2b}$$

$$n^2 - \frac{tm^2}{2m} = -\frac{a^2d}{b}$$

$$\frac{a^2c^2}{4b^2} - \frac{am^2}{b} = -\frac{a^2d}{b} \qquad \frac{a}{b}$$

$$\frac{ac^2}{4b} + ad = m^2$$

$$\sqrt{\left(\frac{ac^2}{4b} + ad\right)} = m$$

Construatur locus ad circulum, ut ante, nempe ut sit DK $= \frac{1}{2}c$, KC $= \frac{1}{2}a$
Tab.X. $- \frac{1}{2}b$, DI $= a$, DH $= d$ adeoque DL
Fig. 99. $= \sqrt{ad}$ (§. 327. *Geom.*), consequenter LC $= \sqrt{(\frac{1}{4}cc + \frac{1}{4}aa - \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb + ad}$, (§. 417 *Geom.*).

Jam cum origo indeterminatae x sit in D, & valor ipsius n in ellipsi etiam negativus & $p = 0$; ex DK resecetur DG $= ac : 2b$ & per G ducatur AB ipsis DQ & KP parallela fiatque AG = BG $= \sqrt{(ad + ac^2 : 4b)}$. Tandem circa AB tanquam axem describatur ellipsis AMB, in qua axis AB ad parametrum $= b : a$. Dico QM esse radicem aequationis veram. Est enim GR = DQ $= x$, MR = MQ + QR = MQ + DG $= y + ac : 2b$; ratio diametri ad parametrum $= b : a$; AG $= \sqrt{(ad + ac^2 : 4b}$. Quare ex natura ellipsis (§. 431)

$$a : b = RM^2 : AG^2 - GR^2 \; (= BR.RA)$$

$$= y^2 + \frac{acy}{b} + \frac{a^2c^2}{4b^2} : ad + \frac{ac^2}{4b} - x^2$$

$$\frac{by^2}{a} + cy + \frac{ac^2}{4b} = ad + \frac{ac^2}{4b} - x^2$$

$$x^2 = ad - \frac{by^2}{a} - cy$$

Porro PM = MQ + QP = MQ + DK $= y + \frac{1}{2}c$; CP = KP − KC = DQ − CK $= x - \frac{1}{2}a + \frac{1}{2}b$.

Quamobrem ob LC² = MC² = PM² + PC² (§. 417 *Geom.*) $\frac{1}{4}cc + \frac{1}{4}aa - \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb + ad = y^2 + cy + \frac{1}{4}cc + x^2 - ax + \frac{1}{4}aa + bx - \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb$, hoc est,

$$y^2 + x^2 + cy - ax + bx = ad$$

$$x^2 = ad + ax - bx - y^2 - cy$$

Habemus ergo

$$ad - \frac{by^2}{a} - cy = ad + ax - bx - y^2 - cy$$

$$bx - ax = \frac{by^2}{a} - y^2 \qquad b - a$$

$$x = y^2 : a$$

$$x^2 = y^4 : aa$$

hoc-

hoc est, $\frac{y^4}{a^2} = ad - \frac{by^2}{a} - cy$, vi superiorum.

$$y^4 = a^3d - aby^2 - a^2cy$$

$$y^4 + aby^2 + a^2cy = a^3d$$

PROBLEMA CCL.

617. *Construere æquationem biquadraticam*

$$y^4 + aby^2 - a^2cy = -a^3d$$

Ut nova indeterminata in æquationem introducatur, fiat

$$a : y = y : x$$

erit I. $yy = ax$. Hinc $x = y^2 : a$

Si valor ipsius y^2 in æquatione proposita substituatur: prodibit

$$a^2x^2 + aby^2 - a^2cy = -a^3d$$

II. $\frac{ax^2}{b} + y^2 = \frac{acy}{b} - \frac{a^2d}{b}$

Item $a^2x^2 + a^2bx = a^2cy - a^3d$

III. $x^2 + bx = cy - ad$

$$ax = y^2$$

IV. $x^2 + bx + ax = y^2 + cy - ad$

$$ax = y^2$$

$$x^2 + bx = cy - ad$$

V. $ax - x^2 - bx = y^2 - cy + ad$

Habemus adeo æquationes locales

I. $y^2 - ax = 0$

II. $y^2 + \frac{ax^2}{b} - \frac{acy}{b} + \frac{a^2d}{b} = 0$

III. $x^2 + bx - cy + ad = 0$

IV. $y^2 - x^2 + cy - bx - ad = 0$
$\quad - ax$

V. $y^2 + x^2 - cy + bx + ad = 0$
$\quad - ax$

Locus primus & tertius sunt parabolæ; secundus est ellipsis; quartus hyperbola æquilatera; quintus denique circulus.

Dabimus constructionem per circulum & parabolam, cujus æquatio $y^2 - ax = 0$. Est ergo parameter $= a$, AP $= x$, PM $= y$. Tab. X. Fig. 100.

Pro circulo vi theorematis generalis (§. 589)

$\frac{r}{q} = 0$. $\quad -2n = -c \quad -2p = -a + b$

hinc

$q = f \quad n = \frac{1}{2}c \quad p = \frac{1}{2}a - \frac{1}{2}b$

$$n^2 + p - m^2 = ad$$

$$n^2 + p^2 - ad = m^2$$

$$\sqrt{(\tfrac{1}{4}cc + \tfrac{1}{4}aa - \tfrac{1}{2}ab + \tfrac{1}{4}bb - ad)} = m$$

Ducatur recta CR & sumatur C pro centro circuli. Erigatur CK $= \frac{1}{2}c$ ad CR perpendicularis & per K ducatur AP eidem parallela. Fiat AK $= \frac{1}{2}a - \frac{1}{2}b$; erit in A origo indeterminatæ x & AC $= \sqrt{(\frac{1}{4}cc + \frac{1}{4}aa - \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb)}$. Fiat AI $= d$, AH $= a$; quæraturque media proportionalis AL $= \sqrt{ad}$ (§. 327 *Geom.*). Porro super AC describatur semicirculus & in eo applicetur GA $=$ AL $= \sqrt{ad}$; erit GC $= \sqrt{(\frac{1}{4}cc + \frac{1}{4}aa - \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb - ad)}$ (§. 417 *Geom.*) adeoque radius circuli. Tab. X. Fig. 100.

Quoniam in parabola, cujus æquatio $y^2 - ax = 0$ origo indeterminatæ x in verticem axis cadit; circa axem AP parametro a describatur parabola: dico PM esse radicem æquationis veram.

Est enim $MR = PM - PR = PM - CK = y - \frac{1}{2}c$; $AP = y^2 : a$ & $CR = KP = AP - AK = \frac{y^2}{a} - \frac{1}{2}a + \frac{1}{2}b$, consequenter ob $CG^2 = CM^2 = CR^2 + MR^2$ (§. 417. *Geom.*) $\frac{1}{4}cc + \frac{1}{4}aa - \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb - ad = \frac{y^4}{aa} - y^2 + \frac{1}{4}aa + \frac{by^2}{a} - \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb + y^2 - cy + \frac{1}{4}cc$, hoc est,

$$\frac{y^4}{aa} + \frac{by^2}{a} - cy = -ad$$

$$y^4 + aby^2 - aacy = -a^3d$$

Cum loco ad circulum descripto eodem modo, quo in problemate præcedente, combinatur locus ad ellipsin. Lubet vero adhuc constructionem dare per circulum & hyperbolam æquilateram $y^2 - x^2 + cy - bx - ax - ad = 0$.

Est autem vi theorematis generalis (§. 590)

$$\frac{r}{q} = 0 \qquad -\frac{t}{2m} = -1 \qquad -2n = c \qquad 2p = -a - b$$

$$t = 2m \qquad n = -\frac{1}{2}c \qquad p = -\frac{1}{2}a - \frac{1}{2}b$$

$$n^2 + m^2 - p^2 = -ad$$

$$m^2 = p^2 - n^2 - ad$$

$$m^2 = \frac{1}{4}aa + \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb - \frac{1}{4}cc - ad$$

$$m^2 = \sqrt{(\frac{1}{4}aa + \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb - \frac{1}{4}cc - ad)}$$

Constructo nempe circulo ut ante, ita ut sit $AK = \frac{1}{2}a - \frac{1}{2}b$, $CK = \frac{1}{2}c$, adeoque
Tab. X. Fig. 101. $CA = \sqrt{(\frac{1}{4}aa - \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb + \frac{1}{4}cc)}$, $AH = a$, $AI = d$, adeoque $AL = AG = \sqrt{ad}$, consequenter $GC = MC = \sqrt{(\frac{1}{4}aa - \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb + \frac{1}{4}cc - ad)}$; quia origo indeterminatæ y in hyperbola ob valorem ipsius n negativum ab axe versus sinistram distat intervallo $\frac{1}{2}c$, fiat $KT = \frac{1}{2}c$, ducaturque per T recta OS ipsi AP parallela & ad hanc AF perpendicularis.

Quoniam porro ob valorem ipsius p negativum indeterminatæ x origo a centro distat intervallo $\frac{1}{2}a + \frac{1}{2}b$, fiat $FO = \frac{1}{2}a + \frac{1}{2}b$ & $OQ = \sqrt{(\frac{1}{4}aa + \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb - \frac{1}{4}cc - ad)}$; erit O centrum & Q vertex hyperbolæ æquilateræ; quæ si circa axem QS describatur, circulum in M secabit. Dico PM esse radicem æquationis veram.

Est enim $CR = KP = AP - AK = x - \frac{1}{2}a + \frac{1}{2}b$ & $MR = MP - RP = MP - CK = y - \frac{1}{2}c$, consequenter ob $MC^2 = CR^2 + RM^2$ (§. 417 *Geom.*) $\frac{1}{4}aa - \frac{1}{2}ab + \frac{1}{2}bb + \frac{1}{4}cc - ad = x^2 - ax + \frac{1}{4}aa + bx - \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb + y^2 - cy + \frac{1}{4}cc$, hoc est,

$$x^2 - ax + bx + y^2 - cy = -ad$$

$$x^2 = ax - bx + cy - y^2 - ad$$

Porro $MS = MP + PS = MP + KT = y + \frac{1}{2}c$, $SO = FS + FO = AP + FO = x + \frac{1}{2}a + \frac{1}{2}b$, consequenter ob $SO^2 - QO^2 = MS^2$ (§. 509) $x^2 + ax + \frac{1}{4}aa + bx + \frac{1}{2}ab + \frac{1}{4}bb - \frac{1}{4}aa - \frac{1}{2}ab - \frac{1}{4}bb + \frac{1}{4}cc + ad = y^2 + cy + \frac{1}{2}cc$, hoc est,

$$x^2 + ax + bx + ad = y^2 + cy$$

seu substituto valore ipsius x^2

$$ax - bx + cy - y^2 - ad + ax + bx + ad = y^2 + cy$$

$$2ax = 2y^2 \text{ seu } ax = y^2$$

$$x^2 = y^2 : a$$

$$x^2 = y^4 : aa$$

His valoribus ipsorum x^2 & x in æquatione

x +

$$x^2 + ax + bx + ad = y^2 + cy$$

substiutis, prodit

$$y^2 + cy = \frac{y^4}{aa} + y^2 + \frac{by^2}{a} + ad$$

$$cy = \frac{y^4}{aa} + \frac{by^2}{a} + ad$$

$$aacy = y^4 + aby^2 + a^3 d$$

seu $y^4 + aby^2 - a^2 cy = -a^3 d$.

PROBLEMA CCLI.

618. *Construere æquationem biquadraticam $y^4 + 2by^3 + a^2 cy = a^3 d$.*

Quoniam $y^4 + 2by^3 = a^3 d - a^2 cy$; æquatio data in hanc resolvitur analogiam:

$$a^2 : y^2 = y^2 + 2by : ad - cy$$

Ut nova indeterminata introducatur, fiat

$$a : y = b + y : x$$

erit I. $ax = by + y^2$

$ax - by = y^2$, consequenter

$$a^2 : ax - by = ax + by : ad - cy$$

II. $a^3 d - a^2 cy = a^2 x^2 - b^2 y^2$

Substituatur in hac æquatione ulterius valor ipsius y^2; prodibit

$$a^3 d - a^2 cy = a^2 x^2 - ab^2 x + b^3 y$$

h. e. $a^3 d - a^2 cy - b^3 y = a^2 x^2 - ab^2 x$

III. $ad - cy - \frac{b^3 y}{a^2} = x^2 - \frac{b^2 x}{a}$

$$yy + by = ax$$

IV. $ad - cy - \frac{b^3 y}{a^2} + y^2 + by = x^2 - \frac{b^2 x}{a} + ax$

$$ad - cy - \frac{b^3 y}{a^2} = x^2 - \frac{b^2 x}{a}$$

$$y_2 + by = ax$$

V. $y^2 + by - ad + cy + \frac{b^3 y}{a^2} = ax - x^2 + \frac{b^2 x}{a}$

Habemus adeo æquationes locales:

I. $y^2 + by - ax = 0$

II. $y^2 - \frac{a^2 x^2}{b^2} - \frac{a^2 cy}{b^2} + \frac{a^3 d}{b^2} = 0$

III. $x^2 - \frac{b^2 x}{a} + cy - ad = 0$
$+ \frac{b^3 y}{aa}$

IV. $y^2 - x^2 - \frac{b^3 y}{a^2} + \frac{b^2 x}{a} + ad = 0$
$+ by - ax$
$- cy$

V. $y^2 + x^2 + \frac{b^3 y}{a^2} - \frac{b^2 x}{a} - ad = 0$
$+ by - ax$
$+ cy$

Construamus æquationem per circulum & parabolam. Pro circulo cum sit $y^2 + x^2 + \frac{b^3 y}{a^2} + by + cy - \frac{b^2 x}{a} - ax - ad = 0$; erit vi theorematis generalis (§. 589)

$r = 0$ $\quad \frac{f^2}{q^2} = 1$ $\quad -2n = \frac{b^3}{a^2} + b + c.$

$f = q$ $\quad n = -\frac{b^3}{2a^2} - \frac{1}{2}b - \frac{1}{2}c$

$$-2p = -\frac{b^2}{a} - a$$

$$p = \frac{b^2}{2a} + \tfrac{1}{2}a$$

$$n^2 + p^2 - m^2 = -ad$$

$$n^2 + p^2 + ad = m^2$$

$$\sqrt{(n^2 + p^2 + ad)} = m$$

Circulus ergo eodem prorsus modo construitur, quo in problemate 249. (§. Tab. X Fig. 102.

(§. 616). Fit nempe $DC=p=b^2:2a+\frac{1}{2}a$, $DO=n=b^3:2a^2+\frac{1}{2}b+\frac{1}{2}c$, $HO=a$, $OI=d$; erit $OC=\sqrt{(n^2+p^2)}$, $OL=\sqrt{ad}$ & hinc $LC=\sqrt{(n^2+p^2+ad)}$. Ducatur OQ ipsi DC parallela, erit ob valorem OD negativum origo indeterminatæ x in O.

Porro pro parabola, ad quam $y^2+by-ax=0$, erit vi theorematis generalis (§. 587).

$$\frac{r}{q}=0 \qquad \begin{array}{c}-2n=b\\ \hline n=-\frac{1}{2}b\end{array} \qquad -\frac{tf}{q}=-a$$

hinc $r=0$ $\qquad t=a$

$q=f$

$$\begin{array}{c} n^2+tp=0\\ \hline \frac{1}{4}bb+ap=0\\ \hline ap=-\frac{1}{4}bb\\ \hline p=-\frac{bb}{4a}\end{array}$$

Ob valorem itaque ipsius n negativum fiat $OK=\frac{1}{2}b$ ducaturque per K recta AR ipsi OQ parallela; ob valorem ipsius p negativum fiat $KA=bb:4a$; erit in A parabolæ vertex parametro a circa axem AR describendæ, quæ circulum secabit in M. Dico QM esse radicem æquationis veram.

Sit enim $QM=y$: erit $MR=y+\frac{1}{2}b$, adeoque $RA=\frac{yy+by+\frac{1}{4}bb}{a}$ (§. 391), consequenter $KR=AR-AK=\frac{yy+by}{a}$. Hinc $PC=OQ$ sive $KR-CD=\frac{yy+by}{a}-p$ & $PM=QM+QP=QM+DO=y+n$. Quare cum sit $LC^2=MC^2=PM^2+PC^2$ (§. 417. *Geom.*); habebitur tandem $n^2+p^2+ad=\frac{y^4}{aa}+\frac{2by^3}{aa}+\frac{b^2y^2}{aa}-\frac{2py^2}{a}-\frac{2pby}{a}+p^2+y^2+2ny+n^2$, hoc est, $\frac{y^4}{aa}+\frac{2by^3}{aa}+\frac{b^2y^2}{aa}-\frac{2py^2}{a}-\frac{2pby}{a}+y^2+2ny=ad$. Substituantur valores p & n ex æquatione ad circulum: Quoniam $p=\frac{1}{2}a+b^2:2a$ & $n=\frac{1}{2}b+\frac{1}{2}c+b^3:2a^2$; prodibit $\frac{y^4}{aa}+\frac{2by^3}{aa}+\frac{b^2y^2}{aa}-y^2-\frac{b^2y^2}{aa}-by-\frac{b^3y}{aa}+y^2+by+cy+\frac{b^3y}{aa}=ad$, hoc est,

$$\begin{array}{c}\frac{y^4}{aa}+\frac{2by^3}{aa}+cy=ad\\ \hline y^4+2by^3+a^2cy=a^3d\end{array}\; aa$$

SCHOLION.

619. *Æquationes locales, in quas æquationes construendas resolvimus, sunt ad curvam aliquam determinatam; sed plurimum amplificatur methodus, si exemplo* Slusii *ad curvam indeterminatam revocentur: tum enim non amplius ellipsis vel hyperbola unica, sed infinitæ constructioni inserviunt. Potest etiam æquatio localis ad curvam datam revocari, sicque problema per sectionem conicam datam construi. Agedum itaque! videamus, quomodo utrumque præstetur.*

PROBLEMA CCLII.

620. *Æquationem datam resolvere in æquationes locales, quæ sint ad curvas indeterminatas.*

α) Substituatur pro y radice æquationis $az:v$, ubi pro v recta quælibet assumi potest, & nova, quæ prodit, æquatio in locales ut supra resolvatur: id quod exemplo unico ostendisse sufficit.

Sit

Sit $y^3 + aby = aac$. Quoniam $y = az : v$; erit $y^3 = a^3 z^3 : v^3$ consequenter

$$\frac{a^3z^3}{v^3} + \frac{a^2bz}{v} = aac$$

$$z^3 + \frac{v^3bz}{a} = \frac{v^2c}{a}$$

Hæc æquatio in sequentem resolvitur analogiam:

$$v : z = z^2 + \frac{v^2b}{a} : \frac{v^2c}{a}$$

Ut nova indeterminata in æquationem introducatur, fiat

$$v : z = z : x$$

erit I. $z^2 = vx$. Hinc $z^2 : v = x$

Porro $z : x = z^2 + \frac{v^2b}{a} : \frac{v^2c}{a}$

hoc est, $= vx + \frac{v^2b}{a} : \frac{v^2c}{a}$

seu (§. 124.) $= x + \frac{vb}{a} : \frac{vc}{a}$

$$\text{II. } x^2 + \frac{vbx}{a} = \frac{vcz}{a}$$
$$vx = z^2$$

$$\text{III. } x^2 + \frac{vbx}{a} + vx = \frac{vcz}{a} + z^2$$
$$vx = z^2$$
$$x^2 + \frac{vbx}{a} = \frac{vcz}{a}.$$

$$\text{IV. } vx - x^2 - \frac{vbx}{a} = z^2 - \frac{vcz}{a}$$
$$x^2 + \frac{vbx}{a} = \frac{vcz}{a}$$

hoc est, ob $x = z^2 : v$

$$\text{V. } x^2 + \frac{bz^2}{a} = \frac{vcz}{a}$$

$$z^3 + \frac{v^2bz}{a} = \frac{v^3c}{a}$$
$$-v$$
$$\frac{z^3}{v} + \frac{vbz}{a} = \frac{v^2c}{a}$$

$$\text{VI. } zx + \frac{vbz}{a} = \frac{v^2c}{a}$$

Habemus adeo æquationes locales ad infinitas sectiones Conicas nempe

I. $z^2 - vx = 0$ II. $x^2 + \frac{vbx}{a} - \frac{vcz}{a} = 0$	ad infinitas parabolas.
III. $z^2 - x^2 + \frac{vcz}{a} - \frac{vbx}{a} - vx = 0$	ad infinitas hyperbolas æquilateras.
IV. $z^2 + x^2 = \frac{vcz}{a} + \frac{vbx}{a} - vx = 0$	ad infinitos circulos.
V. $z^2 + \frac{ax^2}{b} - \frac{vcz}{b} = 0$	ad infinitas ellipses.
VI. $zx + \frac{vbz}{a} - \frac{v^2c}{a} = 0$	ad infinitas hyperbolas intra asymptotos.

β) Si fieret $\frac{aa}{v} : y = y : x$; locus primus $y^2 = \frac{a^2x}{v}$ foret ad infinitas parabolas, nec radix æquationis y (id quod maxime commodum videri poterat) mutaretur in aliam: sed cum locus ad circulum degeneret in locum ad ellipsin, simplicitati constructionis minime consuleretur. Loca tamen ad hyperbolam & ellipsin determinatam ita reduci possunt ad hyperbolas & ellipses infinitas, ut utraque indeterminata y & x eadem maneat.

E. gr. Pro æquatione proposita construenda elicuimus supra (§. 607).

I. $y^2 - ax = 0$ II. $x^2 + bx - cy = 0$	loca ad parabolam.
III. $y^2 + x^2 - cy - ax + bx = 0$	locum ad circulum.

 Quo-

Quoniam $y^2 = ax$

erit $\frac{ay^2}{v} = \frac{a^2x}{v}$

& ob $cy = x^2 + bx$

$$\frac{ay^2}{v} - cy = \frac{a^2x}{v} - x^2 - bx$$

$$y^2 - \frac{vcy}{a} = ax - \frac{vx^2}{a} - \frac{vbx}{a}$$

Item $\frac{ay^2}{v} = \frac{a^2x}{v}$

$cy = x^2 + bx$

$$\frac{ay^2}{v} + cy = x^2 + \frac{a^2x}{v} + bx$$

$$y^2 + \frac{vcy}{a} = \frac{vx^2}{a} + ax + \frac{vbx}{a}$$

En locum ad infinitas ellipses $y^2 + \frac{x^2}{a} - \frac{vcy}{a} + \frac{vbx}{a} - ax = 0$ & locum ad infinitas hyperbolas $y^2 - \frac{vx^2}{a} + \frac{vcy}{a} - ax - \frac{vbx}{a} = 0$: quorum uterque cum loco ad circulum $y^2 + x^2 - cy - ax + bx = 0$ construi potest.

PROBLEMA CCLIII.

621. *Æquationem localem reducere ad aliam ejusdem speciei, quæ sit ad curvam datam.*

1. Ex æquatione locali eliciendus est valor linearum, per quas datur, aut, quod perinde est, ratio earundem.

2. Hi valores cum sint æquales lineis, per quas datur curva, ad quam æquatio reducenda: æquationes prodeunt, quarum reductione legitime facta prodibunt valores coëfficientium in æquatione data substituendi, ut in quæsitam degeneret.

E. gr. Æquatio ad parabolam $y^2 - ax = 0$ mutanda est in aliam, quæ sit ad parabolam, cujus parameter r. Quoniam a parameter parabolæ, ad quam æquatio data existit; erit $r = a$, consequenter æquatio quæsita $y^2 - rx = 0$.

Similiter reducenda sit æquatio $y^2 + x^2 + by - ay - cx = 0$ ad circulum, cujus radius r. Quoniam radius æquationis circuli, ad quam est æquatio datas.

$\sqrt{((\frac{1}{2}a - \frac{1}{2}b)^2 + \frac{1}{4}cc)}$;

erit $(\frac{1}{2}a - \frac{1}{2}b)^2 + \frac{1}{4}cc = r^2$

$$(\tfrac{1}{2}a - \tfrac{1}{2}b)^2 = r^2 - \tfrac{1}{4}cc$$

$$\tfrac{1}{2}a - \tfrac{1}{2}b = \sqrt{(r^2 - \tfrac{1}{4}cc)}$$

$$\tfrac{1}{2}a = \tfrac{1}{2}b + \sqrt{(r^2 - \tfrac{1}{4}cc)} = f$$

$$\tfrac{1}{2}b = \tfrac{1}{2}a - \sqrt{(r^2 - \tfrac{1}{4}cc)} = g$$

$$\tfrac{1}{2}c = \sqrt{(r^2 - (\tfrac{1}{2}a - \tfrac{1}{2}b)^2)} = h$$

His valoribus in æquatione proposita substitutis; prodit æquatio ad circulum desideratum

$$y^2 + x^2 + 2gy - 2fy - 2hx = 0.$$

PROBLEMA CCLIV.

622. *Invenire regulam generalem construendi omnes æquationes tam cubicas quam biquadraticas.*

Sit descripta parabola & ex centro H radio AH circulus secans eam in N, N & M. Sit AD $= b$, DH $= d$, AQ $= c$; erit AH$^2 = dd + bb$. Sit porro PM $= x$ parameter parabolæ $= a$, erit OM $= x + c$, RM $= x + d$. Quoniam (§. 404) Tab. X. Fig. 103.

$$a : OM + AQ = PM : AP$$

$$a : x + 2c = x : \frac{x^2 + 2cx}{a}$$

erit DP = HR $= \frac{x^2 + 2cx}{a} - b$, adeoque

HR$^2 = \frac{x^4}{a^2} + \frac{4cx^3}{a^2} + \frac{4c^2x^2}{a^2} - \frac{2bx^2}{a} - \frac{4bcx}{a} + bb$ & RM$^2 = x^2 + 2dx + dd$.

Habe-

Habemus adeo:

$$\frac{x^4}{a^2}+\frac{4cx^3}{a^2}+\frac{4c^2x^2}{a^2}-\frac{2bx^2}{a}-\frac{4bcx}{a}+bb$$
$$+x^2+2dx+dd=bb+dd$$

$$\frac{x^4}{a^2}+\frac{4cx^3}{a^2}+\frac{4c^2x^2}{a^2}-\frac{4bcx}{a}=0$$
$$-\frac{2xb^2}{a}+2dx$$
$$+x^2$$

$$x^3+4cx^2+4c^2x-4abc=0$$
$$-2abx+2a^2d$$
$$+a^2x$$

Apparet adeo, si habetur terminus secundus positivus, radices veras cadere versus dextram. Sit adeo æquatio cum ea comparanda

$x^3+px^2\pm qx\pm r=0$; erit

$4c=p \qquad 4c^2-2ab+a^2=q$

$c=\frac{1}{4}p \qquad 4c^2+a^2-q=2ab$

$$\frac{4}{16}p^2+a^2-q=2ab$$

$$\frac{p^2}{8a}+\frac{1}{2}a-\frac{q}{2a}=b$$

vel

$$a^2+4c^2-2ab=-q$$
$$a^2+\frac{4}{16}p^2+q=2ab$$

$$\frac{1}{2}a+\frac{p^2}{8a}+\frac{q}{2a}=b$$

Porro

$$2a^2d-4abc=r$$
$$2a^2d=r+4abc$$
$$d=\frac{r}{2a^2}+\frac{2bc}{a}$$

h. est $d=\frac{r}{2a^2}+\frac{1}{4}p+\frac{p^3}{16a^2}+\frac{pq}{4a^2}$

vel

$$2aad-4abc=-r$$
$$2aad=4abc-r$$
$$d=\frac{2bc}{a}-\frac{r}{2a^2}$$

h. e. $d=\frac{1}{4}p+\frac{p^3}{16a^2}+\frac{pq}{4a^2}-\frac{r}{2a^2}$

Sit jam $pN=x$; reliqua sint ut ante: erit $Nr=pN-rp=pN-DH=x-d$, $No=x-c$, $pm=x-2c$. Quoniam (§. 404) Tab. X. Fig. 103.

$a: oN+AQ=pm: Ap$

$a: x=x-2c: \frac{xx-2cx}{a}$

erit $Dp=Hr=\frac{x^2-2cx}{a}-b$. Habemus adeo $NH^2=Hr^2+Nr^2$ (§. 417 *Geom.*)

$$\frac{x^4}{a^2}-\frac{4cx^3}{a^2}+\frac{4c^2x^2}{a^2}-\frac{2bx^2}{a}+\frac{4bcx}{a}+b^2$$
$$+x^2-2dx+dd=bb+dd$$

$$\frac{x^4}{a^2}-\frac{4cx^3}{a^2}+\frac{4c^2x^2}{a^2}+\frac{4bcx}{a}=0$$
$$-\frac{2bx^2}{a}-2dx.$$
$$+x^2$$

$$x^3-4cx^2+4c^2x+4abc=0$$
$$-2abx-2a^2d.$$
$$+a^2x$$

Apparet adeo, si terminus secundus sit negativus, radicem æquationis veram esse versus sinistram. Sit adeo æquatio cum ea comparanda $x^3-px^2+qx+r=0$; erit

$$-p=-4c$$
$$\frac{1}{4}p=c$$

$$4c^2-2ab+a^2=q$$
$$a^2+4c^2-q=2ab$$

$$\frac{1}{2}a+\frac{2c^2}{a}-\frac{q}{2a}=b$$

h. e. $\frac{1}{2}a + \frac{p^2}{8a} - \frac{q}{2a} = b$

Vel

$4c^2 - 2ab + a^2 = -q$

$a^2 + 4c^2 + q = 2ab$

$\frac{1}{2}a + \frac{2c^2}{a} + \frac{q}{2a} = b$

h. e. $\frac{1}{2}a + \frac{p^2}{8a} + \frac{q}{2a} = b$

Porro

$4abc - 2a^2d = r$

$4abc - r = 2a^2d$

$\frac{2bc}{a} - \frac{r}{2a^2} = d$

h. e. $\frac{1}{4}p + \frac{p^3}{16a^2} \mp \frac{pq}{4a^2} - \frac{r}{2a^2} = d$

Vel

$4abc - 2a^2d = -r$

$4abc + r = 2a^2d$

$\frac{2bc}{a} + \frac{r}{2a^2} = d$

h. e. $\frac{1}{4}p + \frac{p^3}{16a^2} \mp \frac{pq}{4a^2} + \frac{r}{2a^2} = d.$

Est ergo in omnibus æquationibus cubicis completis

$AQ = \frac{1}{4}p$

$DA = \frac{1}{2}a + \frac{p^2}{8a} + \frac{q}{2a}$

$DH = \frac{1}{4}p + \frac{p^3}{16a^2} \mp \frac{pq}{4a^2} \mp \frac{r}{2a^2}$

Nimirum in regula q seu coëfficiens termini tertii semper afficitur signo contrario ejus, quod in æquatione habet. Habetur autem in regula $-r$, si p & r diversis signis afficiuntur: alias semper est $+r$.

Quoniam coëfficientes illorum terminorum evanescunt, qui nihilo æquales ponuntur; evidens est ejusdem regulæ ad æquationes incompletas applicatio.

Denique si quadratum radii MH vel HN ponatur $bb + dd \mp af$; æquatio manebit biquadratica. Quare si biquadratica æquatio fuerit $x^4 \mp px^3 \mp qx^2 \mp rx \mp f = 0$; reliqua omnia manebunt ut ante, sed

$f = a^3f$

$f : a^3 = f$

Unde radius circuli invenitur ut in problemate 250. (§. 617), si fuerit $+f$, vel ut in problemate 251. (§. 618), si fuerit $-f$. His observatis, regula eadem constructioni æquationum biquadraticarum satisfacit.

S C H O L I O N.

623. *Atque hæc est regula, quam* Thomas Bakerus (a) *centralem vocat & ad omnes casus æquationum cubicarum & biquadraticarum applicat. Sed verum ejus fundamentum latet in iis, quæ superius tradidimus. Restat, ut usum hujus doctrinæ aliquot exemplis illustremus.*

P R O B L E M A CCLV.

624. *Inter duas lineas datas invenire duas medias continue proportionales.*

Si datarum	quæsitarum
major $= b$	minor $= y$,
minor $= a$	major $= x$

erit per conditionem problematis:

I. $a : y = y : x$
$ax = yy$

II. $y : x = x : b$
$xx = by$

III.

(a) In Clave Geometrica catholica p. 6.

$$a : y = x : b$$

III. $ab = xy$

$$x^2 = by$$

$$ax = y^2$$

IV. $x^2 - ax = by - y^2$

$$ax = y^2$$

$$x^2 = by$$

V. $x^2 + ax = y^2 + by$

$$x^2 = by$$

$$\frac{ax^2}{v} = \frac{aby}{v}$$

$$ax = y^2$$

VI. $\frac{ax^2}{v} + ax = \frac{aby}{v} + y^2$

$$ax = y^2$$

$$\frac{ax^2}{v} = \frac{aby}{v}$$

VII. $ax - \frac{ax^2}{v} = y^2 - \frac{aby}{v}$

I. $y^2 - ax = 0$ } ad parabolam.
II. $x^2 - by = 0$ }
III. $xy - ab = 0$ ad hyperbolam intra asymptotos.
IV. $y^2 + x^2 - by - ax = 0$ ad circulum.
V. $y^2 - x^2 + by - ax = 0$ ad hyperbolam æquilateram.
VI. $y^2 - \frac{ax^2}{v} + \frac{aby}{v} - ax = 0$ ad infinitas hyperbolas scalenas.
VII. $y^2 + \frac{ax^2}{v} - \frac{aby}{v} - ax = 0$ ad infinitas ellipses.

Quodsi in æquatione ad hyperbolam intra asymptotos $xy = ab$ substituatur valor ex æquatione ad parabolam $ax = y^2$; prodibit $y^3 - a^2 b = 0$.

Constructio itaque multis modis fieri potest, nimirum per circulum & hyperbolam intra asymptotos, per circulum & hyperbolam æquilateram, per circulum & infinitas hyperbolas, per circulum & infinitas ellipses, vel per duas hyperbolas &c. vel denique per regulam centralem *Bakeri*.

Pro circulo, ad quem est $y^2 + x^2 - by - ax = 0$, habetur vi theorematis generalis (§. 589)

$$\frac{r}{q} = 0 \qquad 2n = b \qquad 2p = a$$

$$\frac{s^2}{q^2} = 1 \qquad n = \tfrac{1}{2}b \qquad p = \tfrac{1}{2}a$$

$$s = q \qquad n^2 + p^2 = m^2$$

$$\sqrt{(\tfrac{1}{4}bb + \tfrac{1}{4}aa)} = m$$

Quoniam in parabola parametro a descripta, ad quam $ax = y^2$ origo ipsius x in vertice A existit; circulus per ejus verticem describendus radio $= \sqrt{(\tfrac{1}{4}bb + \tfrac{1}{4}aa)}$. Fiat itaque AD $= \tfrac{1}{2}a$, DH $= \tfrac{1}{2}b$; erit centrum circuli in H & PM $= y$, PA $= x$: id quod facile ostenditur eodem, quo superius, modo. Tab. IX. Fig. 93.

Pro ellipsi, ad quam est $y^2 + \frac{ax^2}{v} - \frac{aby}{v} - ax = 0$, habetur vi theorematis generalis (§. 588)

$$\frac{2r}{q} = 0 \qquad \frac{t}{2m} = \frac{a}{v} \qquad 2n = \frac{ab}{v}$$

hinc

$$s = q \qquad n = \frac{ab}{2v}$$

$$\frac{2tp}{2m} = a = \frac{2ap}{v} \qquad n^2 + \frac{tp^2}{2m} = \frac{tm^2}{2m}$$

$$2ap = av \qquad n^2 + \frac{ap^2}{v} = \frac{am^2}{v}$$

$$p = \tfrac{1}{2}v$$

$2ap$

$$\frac{vn^2}{a} + p^2 = m^2$$

$$\frac{ab^2}{4v} + \tfrac{1}{4}v^2 = m^2$$

$$\tfrac{1}{2}\sqrt{\left(\frac{ab^2}{v} + v^2\right)} = m$$

Tab. X. Fig. 104. Constructio itaque problematis per circulum & ellipsin hæc est: Jungantur $DF = b$ & $DE = a$ ad angulos rectos. Fiat $DK = \tfrac{1}{2}b$ & erecta perpendiculari $KC = \tfrac{1}{2}a$; erit $DC = \sqrt{(\tfrac{1}{4}bb + \tfrac{1}{4}aa)}$. Ex centro itaque C radio DC describatur circulus: ita locus prior erit constructus atque origo indeterminatæ x in D. Quare pro ellipsi fiat $DH = ab : 2v$ & per H ducatur ipsi DE parallela IN. Fiat $HL = \tfrac{1}{2}v$ & $LI = LN = \tfrac{1}{2}\sqrt{(ab^2 : v + v^2)}$; erit L centrum, IN axis ellipsis: quæ si describatur, secabit circulum in M. Dico esse $DQ = x$, $QM = y$, consequenter DE, QM, DQ, DF quatuor continue proportionales.

Est enim $CP = x - \tfrac{1}{2}a$ & $PM = y - \tfrac{1}{2}b$, adeoque ob $DC^2 = CM^2 = CP^2 + PM^2$ (§. 417 *Geom.*), $\tfrac{1}{4}aa + \tfrac{1}{4}bb = xx - ax + \tfrac{1}{4}aa + yy - by + \tfrac{1}{4}bb$, hoc est, $yy + xx - by - ax = 0$: qui est locus ad circulum. Porro $OM = y - ab : 2v$, $LO = x - \tfrac{1}{2}v$ adeoque ob

$v : a = IL^2 - LO^2 : OM^2$ (§. 431)

$$1 : \frac{a}{v} = \frac{ab^2}{4v} - x^2 + vx : y^2 - \frac{aby}{v} + \frac{a^2b^2}{4v^2}$$

$$\frac{a^2b^2}{4v^2} - \frac{ax^2}{v} + ax = y^2 - \frac{aby}{v} + \frac{a^2b^2}{4v^2}$$

$$y^2 + \frac{ax^2}{v} - \frac{aby}{v} - ax = 0$$

sed $\quad y^2 + x^2 - by - ax = 0$

$$\text{Ergo } \frac{ax^2}{v} - \frac{aby}{v} + by - x^2 = 0$$

$$x^2 - by = 0$$

$$x^2 = by$$

Substituatur hic valor in æquatione $y^2 + x^2 - by - ax = 0$; prodibit

$$y^2 + by - by - ax = 0$$

$$y^2 = ax$$

Quare $a : y = y : x$ & (ob $x^2 = by$) $y : x = x : b$. Sunt adeo a, y, x, & b quatuor continue proportionales.

Eodem modo problema construitur per circulum & infinitas hyperbolas scalenas.

Constructionem per circulum & hyperbolam intra asymptotos adhuc apponimus. Jungantur nempe $RI = a$ & $AR = b$ ad angulos rectos, & per I describatur hyperbola intra asymptotos RA, AT. Fiat $RD = \tfrac{1}{2}b$ & in D erigatur perpendicularis $DC = \tfrac{1}{2}a$, tandemque ex centro C radio CR describatur circulus secans hyperbolam in M: erit $TM = y$ & $AT = x$. Tab. XI. Fig. 105.

Nam ex natura hyperbolæ (ob AR. RI = AT. TM) $ab = xy$ & $CK = x - \tfrac{1}{2}a$, $KM = y - \tfrac{1}{2}b$, adeoque ob $CM^2 = CK^2 + KM^2$, $\tfrac{1}{4}aa + \tfrac{1}{4}bb = xx - ax + \tfrac{1}{4}aa + yy - by + \tfrac{1}{4}bb$, consequenter $yy + xx - ax - by = 0$ seu $xx - ax = by - yy$. Est ergo vi æquationis prioris:

$$a : x = y : b$$

Quare $x - a : a = b - y : y$ (§. 124)

Porro vi æquationis posterioris

$$x - a : b - y = y : x$$

Ergo (§. 124) $\quad a : y = y : x$

Est vero etiam $\quad a : y = x : b \quad$ (§. *cit.*)

Ergo $a : y = y : x = x : b \quad$ (§. 167 *Arith.*)

Quod-

Tab. XIII. Fig. 122. Quodsi AR & AS jungantur ad angulos rectos & circa axem AR parametro a describatur Parabola AMH, circa AS vero parametro b parabola altera AMI secans priorem in M; erit $AP = x$, $PM = y$: quem modum invenit *Menechmus* ex conditione problematis absque calculo analytico facile eruendum, & nos ideo apponimus, quia inde enata est methodus construendi æquationes per duorum locorum combinationem. Est enim vi parabolæ primæ $y^2 = ax$ & vi secundæ $x^2 = by$, adeoque $a : y = y : x$ & $y : x = x : b$.

COROLLARIUM.

625. Sit latus cubi $= a$, latus cubi dupli $= y$; erit $2a^3 = y^3$, seu ponendo $2a = b$, $aab = y^3$. Quærendæ igitur sunt inter latus cubi & ejus duplum duæ mediæ continue proportionales, eritque earum prima latus cubi dupli. Et in genere pro tantuplicatione cubi est $ma^3 = y^3$, adeoque inter a & ma quærendæ sunt duæ mediæ.

SCHOLION.

626. *Coincidit adeo problema Deliacum de duplicando cubo, quod Deliis remedium contra pestem quærentibus oraculum proposuisse fertur, cum problemate de inveniendis duabus mediis continue proportionalibus (quod primus observavit* Hipocrates Chius*): unde & ipsum* problema Deliacum *appellari solet. Celebre hoc problema jam olim inter Geometras Græcos extitit, quos inter* Plato, Heron Alexandrinus, Apollonius Pergæus, Eratosthenes, Pappus Alexandrinus, Sporus, Menechmus, Architas Tarentinus, Philo Byzantius, Philoponus, Diocles & Nicomedes *modis diversis ab* Eutocio (a) *conservatis solverunt.*

(a) In Commmentariis in lib. 2. Archimedis de Sphera & Cylindro.

PROBLEMA CCLVI.

627. *Rectam* AB *utcunque divisam in* C *ulterius dividere in* D, *ita ut sit* $CD : DB = AC^2 : CD^2$. Tab. XI. Fig. 106.

Sit $AC = a$, $CB = b$, $CD = y$, erit $DB = b - y$, consequenter per conditionem problematis

$$y : b - y = a^2 : y^2$$

Ut nova indeterminata introducatur, cum ob $y^3 = a^2b - a^2y$ problema solidum esse facile intelligatur, fiat

$$a : y = y : x$$

$$\text{erit I.} \quad ax = y^2 \quad \text{\& hinc}$$

$$y : b - y = a^2 : ax$$

$$= a : x \quad (\S.\ 124)$$

$$\text{II.} \quad xy = ab - ay$$

Porro ob $y : b - y = a : x$

$$y^2 : by - y^2 = a : x \quad (\S.\ 124)$$

$$ax : by - y^2 = a : x$$

$$x : by - y^2 = 1 : x \quad (\S.\ cit.)$$

$$\text{III.} \quad x^2 = by - y^2$$

$$ax = y^2 \quad \text{add.}$$

$$\text{IV.} \quad x^2 + ax = by$$

$$ax = y^2 \quad \text{add.}^2$$

$$\text{V.} \quad x^2 + 2ax = by + y^2$$

Denique ob $ax = y^2$ (I.)

$$\text{\&} \quad x^2 = by - y^2 \ \text{(III.) subt.}$$

$$\text{VI.} \quad ax - x^2 = 2y^2 - by$$

Habemus adeo æquationes locales

I. $y^2 - ax = 0$ ad parabolam.

II. $xy + ay - ab = 0$ ad hyperbolam intra asymptotos.

III. $y^2 + x^2 - by = 0$ ad circulum.

IV. $x^2 + ax - by = 0$ ad parabolam.

V. $y^2 - x^2 + by - 2ax = 0$ ad hyperbolam æquilateram.

VI. $y^2 + \frac{1}{2}x^2 - \frac{1}{2}by - \frac{1}{2}ax = 0$ ad ellipsin.

 Nos

Nos duas dabimus constructiones, alteram per parabolam & circulum; alteram per circulum & ellipsin.

Quoniam æquatio ad parabolam $y^2 - ax = 0$; non alia re opus est, quam ut parametro a parabola describatur: erit origo indeterminatæ x in vertice (§. 388).

Pro circulo, ad quem est $y^2 + x^2 - by = 0$, vi theorematis generalis (§. 589)

$$r = 0 \qquad \frac{2n = b}{n = \frac{1}{2}b} \qquad \frac{n^2 = m^2}{m = n = \frac{1}{2}b}$$

$$p = 0$$

Tab. XI. Fig. 107. In vertice adeo parabolæ erigatur perpendicularis $AD = \frac{1}{2}b$ & ex ex centro D, radio $AD = \frac{1}{2}b$ describatur circulus; erit $PM = y$.

Demissa enim perpendiculari DR, erit $MR = PM - PR = PM - AD = y - \frac{1}{2}b$ & (§. 391) $AP = DR = y^2 : a$, consequenter ob $DA^2 = DM^2 = MR^2 + DR^2$ (§. 417 *Geom.*), $y^4 : aa + y^2 - by + \frac{1}{4}bb = \frac{1}{4}bb$, hoc est,

$$\frac{y^4}{aa} + y^2 - by = 0 \qquad y : aa$$

$$y^3 + a^2y - a^2b = 0$$

Pro ellipsi ad quam $y^2 + \frac{1}{2}x - \frac{1}{2}by - \frac{1}{2}ax = 0$, vi theorematis generalis (§. 588)

$$\frac{2r}{q} = 0 \text{ hinc } q = \int \qquad \frac{t}{2m} = \frac{1}{2} \qquad \frac{2n = \frac{1}{2}b}{n = \frac{1}{4}b} \qquad \frac{\frac{2tp}{2m} = \frac{1}{2}a}{p = \frac{1}{2}a}$$

$$n^2 + \frac{tp^2}{2m} = \frac{tm^2}{2m}$$

$$n^2 + \frac{1}{2}p^2 = \frac{1}{2}m^2$$

$$\frac{1}{16}bb + \frac{1}{8}a^2 = \frac{1}{2}m^2$$

$$\sqrt{(\tfrac{1}{8}bb + \tfrac{1}{4}a^2)} = m$$

Describatur ergo ellipsis, cujus axis $AB = 2\sqrt{(\frac{1}{8}bb + \frac{1}{4}a^2)}$ & parameter $= \sqrt{(\frac{1}{8}bb + \frac{1}{4}a^2)}$ ob $2m : t = 2 : 1$. Ex centro C demittatur perpendicularis $CH = n = \frac{1}{4}b$ & ducta DE per H axi AB parallela fiat $HD = p = \frac{1}{2}a$; erit in D origo indeterminatæ x. Tab. XI. Fig. 108.

Quare circulum cum ea combinaturus erige perpendicularem $DL = \frac{1}{2}b$ & ex L radio DL describatur circulus: erit $QM = y$, $DQ = x$.

Est enim $PC = QH = DQ - DH = x - \frac{1}{2}a$, $PM = y - \frac{1}{4}b$, adeoque $PC^2 = xx - ax + \frac{1}{4}a^2$, $PM^2 = y^2 - \frac{1}{2}by + \frac{1}{16}b^2$. Est porro $AC^2 = \frac{1}{8}b^2 + \frac{1}{4}a^2$, consequenter ob $t : 2m = 1 : 2$ (§. 431)

$$1 : 2 = PM^2 : AC^2 - PC^2$$

$$1 : 2 = y^2 - \tfrac{1}{2}by + \tfrac{1}{16}bb : \tfrac{1}{8}bb - x^2 + ax$$

$$2y^2 - by + \tfrac{1}{8}bb = \tfrac{1}{8}bb + ax - xx$$

$$2y^2 - by = ax - xx$$

Porro $RM = y - \frac{1}{2}b$, $LR = DQ = x$, $LM = \frac{1}{2}b$, consequenter ob $LM^2 = LR^2 + RM^2$ (§. 417 *Geom.*)

$$\tfrac{1}{4}bb = y^2 - by + \tfrac{1}{4}bb + xx$$

$$y^2 - by = -xx$$

Quo valore ipsius $y^2 - by$ in æquatione superiore substituto, prodit

$$y^2 - xx = ax - xx$$

$$y^2 = ax$$

$$y^2 : a = x$$

$$y^4 : aa = x^2$$

Hinc ob $y^2 - by + x^2 = 0$

$$\frac{y^4}{aa} + y^2 - by = 0 \qquad y : aa$$

$$y^3 + a^2y - a^2b = 0$$

Quod ellipsis transeat per puncta D & L, ita ostenditur. Est $KL = DL = \frac{1}{2}b$, adeoque $KL^2 = \frac{1}{16}b^2$. $AC = \sqrt{(\frac{1}{4}a^2}$

$\sqrt{(\frac{1}{4}a^2+\frac{1}{8}b^2)}$ & $KC = DH = \frac{1}{2}a$, adeoque $AK = \sqrt{(\frac{1}{4}a^2+\frac{1}{8}b^2)} - \frac{1}{2}a$ & $KB = \sqrt{(\frac{1}{4}a^2+\frac{1}{8}b^2)} + \frac{1}{2}a$, consequenter $AK.KB = \frac{1}{4}a^2+\frac{1}{8}b^2 - \frac{1}{4}a^2 = \frac{1}{8}b^2$. Sed $2KL^2 = \frac{2}{16}b^2 = \frac{1}{8}b^2$. Est itaque $2KL^2 = AK.KB$, consequenter punctum L, adeoque & punctum D in Ellipsi (§.420).

PROBLEMA CCLVII.

628. *Dato parallelepipedo cubum æqualem construere.*

Sint latera parallelepipedi a, b & c; latus cubi sit y; erit (§. 536 *Geom.*)

$$abc = y^3$$

hoc est, $a : y = y^2 : bc$

Ut nova indeterminata in æquationem introducatur; fiat

$$a : y = y : x$$

erit I. $ax = y^2$

& ob $a : y = ax : bc$

II. $xy = bc$

Porro $a : y = y : x$

$a : y = ax : bc$

adeoque $y : x = ax : bc$ (§.167 *Arithm.*)

$$ax^2 = bcy$$

III. $x^2 = bcy : a$

$ax = y^2$ subt.

IV. $x^2 - ax = bcy : a - y^2$

V. $x^2 + ax = y^2 + \frac{bcy}{a}$

Denique ob $x^2 = bcy : a$

$2ax = 2y^2$

VI. $2ax - x^2 = 2y^2 - bcy : a$

& VII. $2ax + x^2 = 2y^2 + bcy : a$

Habemus adeo æquationes locales

I. $y^2 - ax = 0$ ad parabolam.

II. $xy - bc = 0$ ad hyperbolam intra asymptotos.

III. $x^2 - \frac{bcy}{a} = 0$ ad parabolam.

IV. $y^2 + x^2 - \frac{bcy}{a} - ax = 0$ ad circulum.

V. $y^2 - x^2 + \frac{bcy}{a} - ax = 0$ ad hyperbolam æquilateram.

VI. $y^2 + \frac{1}{2}x^2 - \frac{bcy}{2a} - ax = 0$ ad ellipsin.

VII. $y^2 - \frac{1}{2}x^2 + \frac{bcy}{2a} - ax = 0$ ad hyperbolam scalenam.

Pro loco ad circulum, ad quem $y^2 + x^2 - \frac{bcy}{a} - ax = 0$, vi theorematis generalis (§. 589)

$2n = bc : a$ $\qquad$ $2p = a$

$n = bc : 2a$ $\qquad$ $p = \frac{1}{2}a$

$$n^2 + p^2 = m^2$$

$$\sqrt{(\frac{b^2c^2}{4a^2} + \frac{1}{4}aa)} = m$$

Cum in parabola, ad quam $- y^2 ax = 0$, parametro a descripta origo indeterminatæ x sit in vertice A, fiat AD $= \frac{1}{2}a$, DH $= n = bc : 2a$; erit H centrum circuli radio HA describendi: qui si describatur, secabit parabolam in M, eritque MP $= y$. Tab. IX. *Fig.* 95.

Est enim $AH^2 = AD^2 + DH^2 = \frac{1}{4}aa + b^2c^2 : 4a^2$, $PA = yy : a$ (§.391) & hinc $DP = HR = yy : a - \frac{1}{2}a$, $MR = y - bc : 2a$. Quare ob $AH^2 = HM^2 = HR^2 + MR^2 = \frac{1}{4}aa + b^2c^2 : 4a^2 = \frac{y^4}{aa} - yy + \frac{1}{4}aa + y^2 - \frac{bcy}{a} + \frac{bbcc}{4aa}$

hoc est, $\frac{y^4}{aa} - \frac{bcy}{a} = 0$

$\qquad y : aa$

$$y^3 - abc = 0$$

 Jun-

Tab. XI. *Fig.* 105. Jungantur RI $= b$ & RA $= c$ ad angulos rectos, ducatur indefinita AS ipsi RI parallela & intra asymptotos RA & AS per I describatur hyperbola; erit origo indeterminatæ x in A. Porro ut circulus cum ea combinetur, fiat AD $= n = bc:2a$ & DC ad AD perpendicularis $= p = \frac{1}{2}a$; ex centro C radio AC describatur circulus hyperbolam in M intersecans, erit TM ipsi AR parallela $= y$.

Est enim ob AR. RI = AT. TM (§. 502) $bc = xy$. Præterea $CM^2 = AC^2 = AL^2 + CL^2$ (§. 417 *Geom.*) $= \frac{1}{4}aa + b^2c^2 : 4aa$, CK = LT = AT − AL $= x - \frac{1}{2}a$ & MK = TM − TK = TM − AD $= y - bc : 2a$: unde ob $CM^2 = CK^2 + KM^2$ elicitur $\frac{1}{4}aa + b^2c^2 : 4aa = x^2 - ax + \frac{1}{4}aa + y^2 - \frac{bcy}{a} + \frac{bbcc}{4aa}$

hoc est, $y^2 - \frac{bcy}{a} + x^2 - ax = 0$

seu $y^2 - \frac{bcy}{a} = ax - x^2$

Substituatur pro bc valor ipsius xy; prodibit

$$y^2 - \frac{xy^2}{a} = ax - x^2$$

$$ay^2 - xy^2 = aax - axx \qquad a-x$$

$$y2 = ax$$

$$y^2 = a^2x^2$$

$$y^4 : a^2 = x^2$$

Quare ob $y^2 - \frac{bcy}{a} + x_2 - ax = 0$

$$ax - \frac{bcy}{a} + \frac{y^4}{a^2} - ax = 0$$

$$\frac{y^4}{aa} - \frac{bcy}{a} = 0$$

$$y^3 - abc = 0$$

Pro ellipsi, ad quam est $y^2 + \frac{1}{2}x_2 - \frac{bcy}{2a} - ax = 0$, vi theorematis generalis (§. 588)

$$\frac{r}{q} = 0 \text{ hinc } q = ſ \qquad \frac{t}{2m} = \frac{1}{2} \qquad -\frac{2tp}{2m} = -a$$

$$2n = \frac{bc}{2a} \qquad \frac{2p}{2} = n$$

$$n = \frac{bc}{4a} \qquad p = a$$

$$n^2 + \frac{tp}{2m} = \frac{tm2}{2m}$$

$$n^2 + \tfrac{1}{2}p^2 = \tfrac{1}{2}m^2$$

$$2n^2 + p^4 = m^2$$

$$\sqrt{\left(\frac{b^2c^2}{8aa} + aa\right)} = m$$

Describatur ergo ellipsis, cujus axis AB $= 2\sqrt{(a^2 + b^2c^2 : 8aa)}$, parameter $\sqrt{(a^2 + b^2c^2 : 8aa)}$, quia est ad axem in ratione subdupla. Ex centro C excitetur perpendicularis CH $= \frac{bc}{4a}$ & per H agatur DE ipsi AB parallela. Fiat DH $= a$: erit D origo indeterminatæ x. Ut circulus cum eadem combinetur, fiat DI $= bc : 2a$ & IL $= \frac{1}{2}a$, & radio LD ex centro L describatur circulus, qui ellipsin secabit in M. Dico QM esse $= y$ & DQ $= x$. Tab. XI. *Fig.* 109.

Est enim CP = HQ = DQ − DH $= x - a$ & PM = QM − PQ = QM − DK $= y - bc : 4a$. Ex natura ellipsis (§. 431)

$$2 : 1 = AC^2 - CP^2 : PM^2$$

$$2 : 1 = \frac{b^2c^2}{8aa} + a^2 - x^2 + 2ax - aa : y2 - \frac{bcy}{2a} + \frac{b^2c^2}{16a^2}$$

$$b^2c^2$$

$$\frac{b^2c^2}{8aa} - x^2 + 2ax = 2y^2 - \frac{bcy}{a} + \frac{b^2c^2}{8a^2}$$

$$2ax - x^2 = 2y^2 - bcy : a$$

Porro $MR = QM - RQ = QM - DI = y - bc : 2a$, $LR = DQ - IL = x - \frac{1}{2}a$. Quare ob $DL^2 = LM^2 = LR^2 + RM^2$ $\frac{1}{4}aa + b^2c^2 : 4a^2 = x^2 - ax + \frac{1}{4}aa + y^2 - bcy : a + b^2c^2 : 4a^2$, hoc est,

$$x^2 - ax + y^2 - bcy : a = 0$$

seu $y^2 - \frac{bcy}{a} = ax - x^2$

Substituto valore ipsius $ax - xx$ in æquatione superiori, prodit

$$ax + y^2 - \frac{bcy}{a} = 2y^2 - \frac{bcy}{a}$$

$$ax = y^2$$

$$x = y^2 : a$$

$$x^2 = y^4 : a^2$$

His valoribus ipsorum x & x^2 denuo in æquatione superiore substitutis prodit

$$2y^2 - y^4 : a^2 = 2y^2 - \frac{bcy}{a}$$

$$\frac{y^4}{aa} = \frac{bcy}{a}$$

$$\overline{} \; y : aa$$

$$y^3 = abc$$

Non absimili modo fit constructio per circulum & hyperbolam.

PROBLEMA CCLVIII.

Tab. XI. Fig. 110.

629. *Datum angulum* ACB *trisecare.* Concipiamus angulum ACB esse trifariam sectum in ACE, ECD & DCB ducanturque arcuum æqualium subtensæ cognomines AE, ED, DB, quæ æquales sunt (§. 289. *Geom.*). Sit $AC = b$, $AB = a$, $AE = y$, $EG = x$,

Jam anguli EAB mensura est arcus DB (§. 314. *Geom.*). Anguli vero ACE mensura cum sit arcus AE (§. 57 *Geom.*) ipsi DB æqualis *per hypoth.* anguli EAG & ACE æquales sunt (§. 142 *Geom.*). Quoniam itaque prætcrea angulus AEC utrique triangulo EAG & EAC communis; erit (§. 267 *Geom.*)

$AC : AE = AE : EG$	$AC : EC = AE : AG$
$b : y = y : x$	sed $AC = EC$
I. $yy = bx$	ergo $AE = AG$

Ducatur EF ipsi DC parallela: erit EFH = GHC (§. 233 *Geom.*) = EDC (§. 312 & 233 *Geom.*). Porro EGF = HGC (§. 156. *Geom.*) = CED (§. 312 & 233. *Geom.*). Est igitur (§. 267. *Geom.*).

$$EC : ED = EG : GF$$

$$b : y = x : \frac{xy}{b}$$

Quoniam $DB = ED = AE$, & $DB = BH$, $EA = AG$, *per demonstr.* $ED = FH$ (§. 257 *Geom.*): erit $AE + ED + DB = AG + BH + GH + FG$ hoc est, $3AE = AB + FG$, consequenter

$$3y = a + xy : b$$

II. $3by = ab + xy$ seu $3by - xy = ab$ quæ æquatio in hanc resolvitur analogiam:

$$b : y = 3b - x : a$$

$y : x = 3b - x : a$ (§. 167 *Arith.*)

III. $ay = 3bx - xx$
$yy = bx$ add.

IV. $ay + yy = 4bx - xx$
$ay = 3bx - xx$
$yy = bx$ subtr.

V. $ay - yy = 2bx - xx$

$$ay = 3bx - xx$$
$$\underline{2yy = 2bx} \quad \text{add.}$$
$$\text{VI.}\quad 2yy + ay = 5bx - xx$$
$$ay = 3bx - xx$$
$$\underline{2yy = 2bx} \quad \text{subtr.}$$
$$\text{VII.}\quad ay - 2yy = bx - xx$$

Habemus adeo æquationes locales

I. $yy - bx = 0$ ad parabolam.

II. $xy - 3by + ab = 0$ ad hyperbolam intra asymptotos.

III. $xx - 3bx + ay = 0$ ad parabolam.

IV. $yy + xx + ay - 4bx = 0$ ad circulum.

V. $yy - xx - ay + 2bx = 0$ ad hyperbolam æquilateram.

VI. $yy + \frac{1}{2}xx + \frac{1}{2}ay - \frac{5}{2}bx = 0$ ad ellipsin.

VII. $yy - \frac{1}{2}xx - \frac{1}{2}ay + \frac{1}{2}bx = 0$ ad hyperbolam scalenam.

Pro circulo, ad quem est $yy + xx + ay - 4bx = 0$, vi theorematis generalis (§. 589)

$$-2n = a \qquad\qquad -2p = -4b$$
$$n = -\tfrac{1}{2}a \qquad\qquad p = 2b$$
$$n^2 + p^2 = m^2$$
$$\sqrt{(\tfrac{1}{4}aa + 4bb)} = m$$

Quare parabola, ad quam $yy - bx = 0$, parametro b descripta, fiat $AD = 2b$, DH $= \frac{1}{2}a$ & ex centro H radio DH describatur circulus; erit $QN = y$, $AQ = x$.

Tab. IX. Fig. 93.

Est enim his positis $bx = y^2$ (§. 388), consequenter $x = y^2 : b$, atque hinc $DQ = KH = 2b - y^2 : b$. porro $KN = QN + QK = QN + DH = y + \frac{1}{2}a$. Quare ob $HN^2 = KH^2 + KN^2 = \frac{1}{4}aa + 4bb = 4bb - 4y^2 + y^4 : bb + yy + ay + \frac{1}{4}aa$, hoc est.

$$\frac{y^4}{bb} - 3y^2 + ay = 0$$
$$\overline{\qquad\qquad\qquad\qquad} \; y : bb$$
$$y^3 - 3bby + abb = 0$$

Eadem vero æquatio prodit, si in superius inventa secunda æquatione $3y = a + xy : b$ substituitur valor ipsius $x = y^2 : b$ ex prima. Est nempe $3y = a + y^3 : bb$, hoc est, $y^3 - 3bby + abb = 0$.

Constructio per circulum & hyperbolam intra asymptotos ita absolvitur. Jungantur $KL = 2b$ & $CL = \frac{1}{2}a$ ad angulos rectos; erit $CK = \sqrt{(4bb + \frac{1}{4}aa)}$ radius circuli ex centro C per K describendi. Producatur CL in I, donec $LI = a$ & KL in T, donec $LT = b$, seu $KT = 3b$. Intra asymptotos KTS per I describatur hyperbola. Dico QM esse radicem veram quæsitam seu subtensam trientis arcus, qui metitur angulum trisecandum, radio b descripti: seu $QM = y$ & $KQ = x$.

Tab. XI. Fig. 111.

Est enim $QT = KT - KQ = 3b - x$, adeoque ob $IL . LT = QT . QM$ (§. 502), $3by - xy = ab$. Porro $PC = QL = KL - KQ = 2b - x$ & $PM = y + \frac{1}{2}a$, adeoque ob $KC^2 = MC^2 = PM^2 + PC^2$ (§. 417. *Geom.*), $\frac{1}{4}aa + 4bb = y^2 + ay + \frac{1}{4}aa + 4bb - 4bx + xx$, hoc est, $y^2 + ay = 4bx - x^2$.

Æquatio prior ad hyperbolam in hanc resolvitur analogiam;

$$\underline{3b - x : b = a : y}$$

Ergo $4b - x : b = a + y : y$ (§. 124)

$$4b - x : a + y = b : y$$

Æquatio posterior ad circulum hanc suppeditat analogiam:

$$4b - x : y + a = y : x$$

Quare $b : y = y : x$ (§. 167. *Arithm.*)

Unde $bx = y^2$ & $y^2 : b = x$, $y^4 : b^2 = x^2$, substitutis his valoribus in æquatione ad circulum $y^2 + ay = 4bx - x^2$, prodit

$$\underline{y^2 + ay = 4y^2 - y^4 : b^2}$$
$$ay = 3y^2 - y^4 : b^2$$
$$\overline{\qquad\qquad\qquad\qquad} \; y : b^2$$
$$ab^2 = 3b^2y - y^3$$

seu $y^3 - 3b^2y + ab^2 = 0$ ut ante.

Notan-

Tab. XI. *Fig.* 110. 111. Notandum vero eſt, cum eadem æquatio prodeat ſi ponatur $qm = y$, eſſe qm trientis complementi ad circulum ſubtenſam AI.

Conſtructiones reliquas facile proprio Marte addent, qui ſuperiora rite perceperunt.

PROBLEMA CCLIX.

630. *Numerum irrationalem datum per lineam exprimere.*

Sit potentia imperfecta quæcunque x & radix ex ea extracta irrationalis $x^{1:m}$.

Ponatur $x^{1:m} = y$

erit $x = y^m$

hoc eſt, a pro unitate aſſumta

$$a^{m-1} x = y^m$$

quæ eſt æquatio ad infinita parabolarum genera (§. 519). Quare ſi parametro a parabola primi generis ſit deſcripta & abſciſſa ſit ad parametrum ut numerus ſub ſigno radicali. e. gr. ut 3 ad 1, ſi $\sqrt{3}$ deſideretur, vel ut 3 ad 2, ſi quæratur $\sqrt{\tfrac{2}{3}}$; ejus ſemiordinata exprimet numerum quæſitum.

Eſt enim in caſu primo, ſi $a = 1$, $x = 3$, $y^2 = 3$, adeoque $y = \sqrt{3}$. Et ſi fuerit $a = 1$, $a : x = 3 : 2$, erit $3x = 2a = 2$, conſequenter $x = \tfrac{2}{3}$. Hinc $y^2 = \tfrac{2}{3}$, adeoque $y = \sqrt{\tfrac{2}{3}}$. Eodem modo patet, deſcribendam eſſe parabolam ſecundi generis ſeu cubici ordinis, ſi radices cubicæ dentur; parabolam vero tertii generis ſeu biquadratici ordinis, ſi radices dentur biquadraticæ & ita porro.

Sed poſſunt etiam parabolæ inferiores ſatisfacere radicibus ſuperioribus. Sit enim e. gr. quærenda linea y, quæ eandem habeat rationem ad lineam datam a, quam habet 1 ad $\sqrt[3]{5}$. Per conditionem problematis erit

$$1 : \sqrt[3]{5} = a : y$$
$$a\sqrt[3]{5} = y$$
$$5a^3 = y^3$$

Conſtruetur adeo problema per parabolam primi generis & circulum, quærendo nempe inter a & $5a$ duas medias continue proportionales.

Fiat enim $a : y = y : x$

erit I. $y^2 = ax$

Æquatio propoſita $5a^3 = y^3$ reſolvitur in hanc analogiam:

$$a : y = y^2 : 5a^2$$
$$= ax : 5a^2$$
$$= x : 5a$$

unde $y : x = x : 5a$

$$x^2 = 5ay$$
$$y^2 = ax \quad \text{vi num. I.}$$

II. $y^2 + x^2 = 5ay + ax$

Æquatio prima eſt ad parabolam & ſecunda ad circulum. Unde æquatio $y^3 = 5a^3$ conſtruitur ut ſupra.

PROBLEMA CCLX.

631. *Invenire puncta quotcunque, quæ ſint in curva datæ æquationis.*

1. Ducta linea recta, quæ pro axe curvæ deſcribendæ aſſumatur, pro arbitrio determinentur abſciſſæ quotcunque.
2. Erigantur perpendiculares indeterminatæ ad ſingulas abſciſſas.
3. Quoniam abſciſſa determinata eſt, æquatio data pro determinata recte habetur. Conſtruatur itaque per methodum ſupra expoſitam: ita enim invenietur ſemiordinata abſciſſæ reſpondens.

E. gr.

E. gr. Sit construenda parabola secundi generis seu cubici ordinis $aav = y^3$. Assumta igitur pro abscissa v recta determinata, nova quaedam indeterminata introducatur. Fiat nempe

$$a : y = y : x$$
$$\text{I.}\quad ax = y^2$$

Aequatio proposita in hanc resolvitur analogiam:

$$a : y = y^2 : av$$
hoc est $ax : av$
seu $x : v$ (§. 124)

Quare $y : x = x : v$ (§. 167 *Arithm.*)

$$x^2 = vy$$
addatur $y^2 = ax$
erit II. $y^2 + x^2 - vy - ax = 0$

Ope igitur aequationis ad parabolam $y^2 - ax = 0$ & alterius ad infinitos circulos (quia v infinitis modis determinari potest & debet) $y^2 + x^2 - vy - ax = 0$ puncta quotcunque in paraboloide cubicali inveniuntur. Est enim pro circulo vi theorematis generalis (§. 589)

$$2n = v \qquad 2p = a$$
$$n = \tfrac{1}{2}v \qquad p = \tfrac{1}{2}a$$
$$v^2 + p^2 = m^2$$
$$\sqrt{(\tfrac{1}{4}vv + \tfrac{1}{4}aa)} = m$$

Tab. XI. Fig. 112. Quare parabola parametro a descripta, fiat portio axis $AK = \frac{1}{2}a$ & erecta perpendiculari indefinita KG, ex ejus puncto quocunque C per verticem A describatur circulus, erit QM semiordinata respondens abscissae in paraboloide cubicali, quae est ipsius KC dupla. Ut igitur plures semiordinatae determinentur, ex quotcunque aliis punctis rectae KG per verticem parabolae ducendi sunt circuli alii in punctis adhuc aliis parabolam intersecantes.

Nam si $KC = \frac{1}{2}v$ & $QM = y$; erit $AQ = yy : a$, $KQ = CP = AQ - AK = yy : a - \frac{1}{2}a$, $PM = y - \frac{1}{2}v$. Quamobrem ob $AC^2 = AK^2 + KC^2 = CM^2 = CP^2 + PM^2$ (§. 417. *Geom.*) $\frac{1}{4}aa + \frac{1}{4}vv = y^4 : aa - y^2 + \frac{1}{4}aa + y^2 - vy + \frac{1}{4}vv$, hoc est,

$$y^4 : aa = vy \quad \text{———} y : aa$$
$$y^3 = aav$$

Est ergo 2KC abscissa & QM ipsi respondens semiordinata in paraboloide cubicali.

Sit construendus circulus secundi generis, ad quem est $y^3 = av^2 - v^3$. Aequatio in hanc abit analogiam:

$$v : y = y^2 : av - v^2$$

Cum in constructione v determinetur, introducatur nova indeterminata x; ponendo

$$v : y = y : x$$
erit I. $vx = yy$
Porro $v : y = vx : av - v^2$
hoc est $y : x = x : a - v$ (§. 124)
Itaque $ay - yv = xx$
Addatur $vx = yy$
erit II. $yy + xx + vy - ay - vx = 0$.

Ope itaque aequationis prioris ad infinitas parabolas & posterioris ad infinitos circulos determinantur quotcunque semiordinatae ad abscissas quotcunque in circulo secundi generis assumtas.

Parametro nimirum v describitur parabola, in qua abscissa x, semiordinata y. Pro circulo vero est vi theorematis generalis (§. 589)

$$\frac{2r}{q} = 0 \qquad -2n = v - a$$
$$\text{hinc } r = 0 \qquad n = \tfrac{1}{2}a - \tfrac{1}{2}v$$
$$q = f$$
$$-\frac{2pf}{q} = -v \qquad m^2 = n^2 + p^2$$
$$-2p = -v \qquad = \tfrac{1}{4}aa - av + \tfrac{1}{2}v^2$$
$$p = \tfrac{1}{2}v \qquad m = \sqrt{(\tfrac{1}{4}aa - av + \tfrac{1}{2}v^2)}$$

Fiat itaque $AD = \frac{1}{2}v$, $DH = \frac{1}{2}a - \frac{1}{2}v$ & radio $AH = \sqrt{(\frac{1}{4}a^2 - av + \frac{1}{2}v^2)}$ describatur circulus ex centro H transiens per verticem parabolae A, erit $AP = x$ & $PM = y$. Tab. X. Fig. 93.

Ipsa tamen constructio molestior est antecedente, quia continuo nova parabola describenda, ob indeterminatam parametrum v.

Finis Analyseos finitorum.

Fig: Algebr: Tab: I.




Figur: Algebr: Tab: II.
Fig. 21.
N. 1
N. 2
Fig. 22.
Fig. 24.
Fig. 25.
Fig. 26.
Fig. 27.
Fig. 28.
Fig. 29.
Fig. 30.
Fig. 31.
Fig. 32.
Fig. 34.


Fig: Algebr: Tab. III.
Fig. 33.
Fig. 36.
Fig. 35.
Fig. 38.
Fig 37.
Fig. 40.
Fig. 44.
Fig. 39.
Fig. 42.
Fig. 41.
Fig 43



Fig:45.



Fig:46.



Fig:47.



Fig:49.



Fig:48.



Fig:57.



Fig:50.



Fig:51.



Fig:59.



Fig:58.

Fig: Algebr: Tab: V.

Fig: 52.



Fig: 53.



Fig: 54.



Fig: 55.



Fig: 56.



Fig: 60.





Fig: 61.



Fig: 62.



Fig: 63.

Fig: 65.

Fig: 64.





Fig: 68.

Fig: 66.

Fig: 67.



Fig. 69.



Fig. 70.



Fig. 71.



Fig. 72.



Fig. 73.



Fig. 74.



Fig. 75.



Fig. 76.



Fig. 77.



Fig. 78.



Fig. Algebr. Tab. VIII



Fig: Algebr: Tab: IX.

Fig: 89.



Fig: 90.



Fig: 91.



Fig: 92.



Fig: 93.



Fig: 94.



Fig: 95.



Fig: 96.



Fig: 97.



Fig: 98.



Fig: 99.



Fig: 100.



Fig: 101.



Fig: 102.



Fig: 103.



Fig: 104.



Fig: Algebr: Tab: XI

Fig: 105.



Fig: 100.



Fig: 107.



Fig: 108.



Fig: 109.



Fig: 110.



Fig: 111.



Fig: 112.



Fig. Algebr. Tab. XII.

Fig. 113.



Fig. 115.



Fig. 114.



Fig. 116.



Fig. 118.



Fig. 117.



Fig. 119.



Fig. 120.



Fig. 121.



Fig. 122.



Fig. 123.



Fig. 124.



Fig. 125.



Fig 126



Fig. 127.



ELEMENTORUM ANALYSEOS MATHEMATICÆ.

PARS SECUNDA,

ELEMENTA ANALYSEOS INFINITORUM TRADIT.

SECTIO PRIMA,

DE CALCULO DIFFERENTIALI.

CAPUT PRIMUM.

De natura Calculi differentialis.

DEFINITIO I.

1. *CALCULUS differentialis* est Methodus quantitates differentiandi, hoc est, inveniendi quantitatem infinite parvam, quæ infinities sumta datam adæquat.

DEFINITIO II.

2. *Infinitesima* seu *quantitas infinite parva* est particula quantitatis adeo exigua, ut eidem incomparabilis existat, seu quæ omni assignabili minor.

COROLLARIUM I.

3. Infinitesima itaque respectu ejus quantitatis, cui incomparabilis existit, pro nihilo habenda. Si enim negligitur, error committitur omni assignabili minor, hoc est, nullus.

COROLARIUM II.

4. Hinc duæ quantitates infinitesima differentes æquales sunt. Cum enim infinitesima neglecta nullum producat errorem in quantitatibus (§. 3.); una alteri substitui potest. Sunt igitur æquales (§. 15. *Arithm.*).

SCHOLION.

5. *Ut natura infinitesimarum rite intelligatur, ad sequentia animum advertisse juvat. Ponamus, te dimetiri montis altitudinem; dum vero per dioptras collineas, flatu venti pulvisculum abigi: montis ergo altitudo diametro unius pulvisculi censetur imminuta. Enimvero quoniam eadem altitudo montis invenitur, sive pulvisculum illud vertici adhæreat, sive abigatur; quantitas ejus diametri in præsente negotio pro nihilo habenda, hoc est, infinite parva existit. Similiter in Astronomia diameter Telluris respectu fixarum habetur pro puncto seu infinitesima: idem enim observaretur motus primus, si tellus esset punctum individuum. Eodem etiam modo in eclipsibus lunaribus computandis terra pro sphæra perfecta, consequenter montium, multoque magis ædium ac turrium altitudines pro infinitesimis habentur: neque enim aliter nobis appareret umbra telluris super disco Lunæ, si terra sphæra perfecta esset. Idem vero in abstractis quantitatibus locum habere, dudum agnovere veteres & inter eos demonstratores rigidissimi,* Euclides (*a*) *atque* Archimedes (*b*). *E. gr. si a linea data auferatur ipsius dimidium, ut habet* Euclides, *seu, quod perinde est, pars alia quantacunque, & a residuo rursus ipsius dimidium aut pars alia similis primum ablatæ, atque ita porro: devenietur tandem ad aliquam quantitatem qualibet data minorem, hoc est, ad infinitesimam. Apparet adeo hinc, nomen infinitesimæ esse respectivum: involvit nempe relationem ad aliam quantitatem datam, cujus respectu infinitesima dicitur. E. gr. diameter telluris in eclipsibus lunaribus est infinite magna respectu altitudinis montium; sed eadem tamen est infinite parva respectu distantiæ fixarum in ordine ad motum primum. Cavendum vero, ne cum illis, qui imaginaria cum realibus confundunt, propterea quod distincta continui ac infiniti notione destituti nescio quæ phantasmata sibi fingunt, infinitesimas & infinitesimarum infinitesimas pro entibus realibus habeas: a quo ipse calculi infinitesimalis inventor, illustris* Leibnitius, *alienus.* (*c*)

(*a*) Element. Lib. 10. prop. 1.

(*b*) In præfatione ad quadraturam parabolæ & in scriptis ejus omnibus.

DEFINITIO III.

6. Infinitesimæ dicuntur *differentialia*, item *quantitates differentiales*, si spectantur ut differentiæ duarum quantitatum. Vir summus *Nevvtonus* (quem Angli sequuntur) infinitesimas *Fluxiones* vocat, quia eas considerat veluti momentanea quantitatum incrementa, e. gr. lineæ fluxu puncti, aut superficiei fluxu lineæ, aut solidi fluxu superficiei genita.

COROLLARIUM.

7. Cum itaque solæ quantitates variabiles continuo augeantur, vel minuantur, constantibus vero nihil accedat, (§. 375. *Analys. finit.*); differentiale quantitatis constantis nullum est, sed variabiles tantum aliquod admittunt.

HYPOTHESIS.

8. *Quantitatum differentialia exprimantur per eandem litteram, quibus variabiles denotantur, præfixa tamen littera d.* E. gr. differentiale ipsius x dicatur dx; differentiale ipsius y dicatur dy. *Est autem* dx *quantitas positiva, si* x *continuo crescit; negativa, si decrescit.*

SCHOLION.

9. *Angli cum* Newtono *pro* dx *scribunt* $\dot{x}$; *pro* dy *vero* $\dot{y}$; *sed commodior est* Leibnitiana

(*c*) Vide Acta Eruditorum A. 1712. p. 167.

nitiana *differentialium designatio, qua omnes reliqui utuntur, quia si differentialia denuo differentiantur facile oritur punctorum confusio: ut taceam typothetas facilius puncta negligere, quam litteram* d *omittere.*

COROLLARIUM I.

10. Quoniam quantitates constantes primis alphabeti litteris indigitamus (§. 376. *Analys. finit.*); erit $da = 0$, $db = 0$, $dc = 0$, (§. 7).

COROLLARIUM II.

11. Quare $d(x + y - a) = dx + dy$ & $d(x - y + a) = dx - dy$. Facilis adeo est differentiatio quantitatum per additionem aut subtractionem compositarum.

PROBLEMA I.

12. *Differentiare quantitates se mutuo multiplicantes.*

RESOLUTIO.

I. Si quantitates duæ se mutuo multiplicent, ut xy; differentiale unius factoris ducatur in factorem alterum; summa duorum factorum, quæ hac ratione prodeunt, $xdy + ydx$ erit differentiale quæsitum, hoc est, $d(xy) = xdy + ydx$.

DEMONSTRATIO.

Tab. I. Fig. 1. xy repræsentat rectangulum ABDC, cujus latus unum $AC = x$, alterum $DC = y$. Si concipiamus latus utrumque augeri quantitate differentiali, nempe ut CA degeneret in $CL = x + dx$ & CD in $CE = y + dy$; rectangulum CABD abit in majus CLGE. Differentiale adeo ipsius xy est differentia inter rectangulum CABD & CLGE (§. 6). Quare $d(xy) = xy + ydx + xdy + dxdy - xy = ydx + xdy + dxdy$, nempe ALBH + DBFE + BHGF. Quodsi, in rectangulo $ALHB = ydx$, $AL = dx$ sumatur pro constante; erit $HGFB = dxdy$ differentiale ejus (§. 6). Eodem modo patet, esse idem rectangulum BHGF differentiale ipsius DEFB. Quamobrem HBFG seu $dxdy$ respectu rectangulorum ALHB & DBEF, seu ydx & xdy, habetur pro nullo, consequenter differentia inter rectangula CABD & CLGE, seu differentiale ipsius xy est $ydx + xdy$. *Q. e. d.*

II. Si plures quantitates se mutuo multiplicent, e. gr. si fuerit vxy; fiat $vx = t$, erit $vxy = ty$, consequenter $d(vxy) = tdy + ydt$, *per cas.* 1. Sed $dt = vdx + xdv$, *per cas.* 1. Ergo his valoribus in differentiali antecedente $tdy + ydt$ substitutis prodit $d(vxy) = vxdy + vydx + xydv$. Patet adeo factum ex binis ducendum esse in differentiale tertii.

III. Eodem modo reperitur, quid factu opus sit, si plures quantitates se mutuo multiplicent. Sit enim e. gr. quantitas differentianda $vxyz$. Fiat $vxy = t$, erit $vxyz = tz$, consequenter $d(tz) = zdt + tdz$, *per cas.* 1. Sed $dt = d(vxy) = vxdy + vydx + xydv$, *per cas.* 2. Ergo $d(vxyz) = zdt + tdz = zvxdy + zvydx + zxydv + vxydz$.

IV. Quodsi crescente una variabili altera y decresceret; evidens est, fore $ydx - xdy$ differentiale ipsius xy.

COROLLARIUM I.

13. Ergo $d(x^2) = xdx + xdx = 2xdx$, $d(x^3) = x^2\,dx + x^2\,dx + x^2\,dx = 3x^2dx$ &c. & in genere $d\,(x^m) = mx^{m-1}\,dx$. Unde patet, quomodo potentiæ differentientur.

COROLLARIUM. II.

14. Cum 1, 2, 3, 4 &c. exponentes dignitatum x^1, x^2, x^3, x^4, &c. sint earundem logarithmi, posito logarithmo unitatis $= 0$ (§. 334. *Arithm.*); logarithmi vero dignitatum decrescentium $\frac{1}{x}, \frac{1}{x^2}, \frac{1}{x^3}, \frac{1}{x^4}$, &c. sint $-1, -2, -3, -4$ &c. (§. 358. *Arithm.*) erit $\frac{1}{x} = x^{-1}$, $\frac{1}{x^2} = x^{-2}$, $\frac{1}{x^3} = x^{-3}$. &c. & in genere $\frac{1}{x^m} = x^{-m}$, consequenter $d\,(1:x^m) = d\,(x^{-m}) = -mx^{-m-1}\,dx$ (§. 13). Vel cum sit $1 = x^0$ (§. 55. *part.* 1.), erit $1 : x^m = x^2 : x^m = x^{-m}$ (§. 54. *part.* 1.), adeoque $d\,\frac{1}{x^m} = -mx^{-m-1}\,dx$ (§. 13).

COROLLARIUM III.

15. Et quia $\sqrt[m]{x^n} = x^{n:m}$ (§. 57. *Analys. finit.*) & $1 : \sqrt[m]{x^n} = 1 : x^{n:m} = x^{-n:m}$ (§. *cit. & præc.*); erit $d\sqrt[m]{x^n} = \frac{n}{m}\,x^{n:m-1}\,dx = \frac{n}{m}x^{(n-m):m}\,dx = \frac{n}{m}dx\sqrt[m]{x^{n-m}}$ & $d\,(1:\sqrt[m]{x^n}) = \frac{n}{m}x^{-n:m-1}\,dx = 0 - \frac{n}{m}x^{(-n-m):m}\,dx = -ndx : m\sqrt[m]{x^{n+m}}$

SCHOLION.

16. *Quodsi cuipiam non satis manifestum videatur, quomodo corollaria duo posteriora ex priore inveniantur; is differentialia potentiarum imperfectarum alio adhuc modo investigare potest: quem in sequente problemate exponimus, inprimis cum ejusdem methodi usus esse possit, quoties in formulis compositis differentiandis aqua hæret.*

PROBLEMA II.

17. *Differentiare* $1 : x^m$, *item* $\sqrt[m]{x^n}$ & $1 : \sqrt[m]{x^n}$.

RESOLUTIO.

I. Fiat $1 : x^m = v$

erit $1 = x^m\,v$

(§. 10. 12.) $0 = mx^{m-1}\,vdx + x^m\,dv$

$$-mx^{m-1}vdx = x^m\,dv$$

$$-\frac{mx^{m-1}\,vdx}{x^m} = dv$$

$$-\frac{mx^{m-1}dx}{x^{2m}} = dv \text{ (§. 42. 54. } part. \text{ 1.)}$$

h. e. $-mx^{-m-1}dx = dv$ (§. 54. *part.* 1.)

II. Fiat $\sqrt[m]{x^n} = y$

$$x^n = y^m$$

$$nx^{n-1}dx = my^{m-1}\,dy \text{ (§. 13)}$$

hoc est, $nx^{n-1}dx = \frac{my^m\,dy}{y}$ (§. 54. *part.* 1.)

$$\overline{}\;my^m : y$$

$$\frac{nyx^{n-1}}{my^m}\,dx = dy$$

seu $\frac{nx^{n:m}\,x^{n-1}}{mx^n}\,dx = dy$

$$\frac{nx^{n:m}}{m}x^{-1}\,dx = dy \text{ (§. 54. } part. \text{ 1.)}$$

h. e. $\frac{n}{m}x^{(n-m):m}\,dx = dy$.

III. Fiat denique $1 : \sqrt[m]{x^n} = z$

erit $1 = z\,\sqrt[m]{x^n} = zx^{n:m}$

$$0 = \frac{n}{m}x^{(n-m):m}zdx + x^{n:m}\,dz \text{ (II. 12.)}$$

$-nx$

$$-\frac{nx^{(n-m):m}}{m}zdx = x^{n:m}dz$$

$$-nx\frac{(n-m):m}{mx^{n:m}}dx = x^{n:m}dz$$

$$-nx\frac{(n-m):n}{mx^{2n:m}}dx = dz(\S.42.54\ part.1.)$$

$$-\frac{n}{m}x^{(-n-m):m}dx = dz(\S.54.part.1.)$$

h. e. $-\frac{ndx}{m\sqrt[m]{x^{n+m}}} = dz$ (§. 14).

En in omnibus casibus easdem formulas, quas superius elicuimus (§. 14. 15.).

SCHOLION.

18. *Me non monente clarum esse arbitror, formulas in problemate repertas subire vicem regularum, juxta quas in casibus similibus instituitur differentiatio.*

PROBLEMA III.

19. *Differentiare quantitates se mutuo dividentes $x:y$.*

RESOLUTIO.

I. Sit $x:y=v$

erit $x=vy$

$$dx = vdy + ydv\ (\S.\ 12.)$$

$$dx - vdy = ydv$$

h. e. $dx - \frac{xdy}{y} = ydv$

$$\frac{dx}{y} - \frac{xdy}{y^2} = dv$$

seu $(ydx - xdy):y^2 = dv$

Regula 1. Differentiale divisoris ducatur in dividendum & contra differentiale dividendi in divisorem. 2. Factum prius ex posteriore auferatur. 3. Residuum per quadratum divisoris dividatur. Quotus est differentiale quantitatum se mutuo dividentium:

II. Si fuerit $xy:vz$ differentianda: ponatur $xy=t$ & $vz=w$; erit $xy:vz=t:w$. Sed $d(t:w) = (wdt - tdw):w^2$ *per cas.* 1. & $dt = xdy + ydx$, $dw = vdz + zdv$ (§. 12). Ergo $d(t:w) = d(xy:vz) = (vzxdy + vzydx - xyvdz - xyzdv):v^2z^2$. Patet adeo, regulam præcedentem huic quoque casui satisfacere.

CAPUT II.

De usu Calculi differentialis in tangentibus curvarum determinandis.

PROBLEMA IV.

20. *Invenire subtangentem in curva Algebraica quacunque;*

RESOLUTIO.

Sit semiordinata pm alteri PM infinite propinqua, erit Pp differentiale abscissæ, & demissa perpendiculari MR = Pp (§. 226. *Geom.*) Rm differentiale semiordinatæ. Ducatur tangens TM: arculus infinite exiguus Tab. I. Fig. 2.

Mm non differet a linea recta, adeoque MmR triangulum rectilineum rectangulum: quod *Triangulum curvæ characteristicum* appellari solet, quia lineæ curvæ per illud a se invicem distinguuntur. Ob parallelismum rectarum PM & *pm* (§. 37 *part.* I). angulus $MmR = TMP$ (§. 233 *Geom*). Quare △ MmR ∽ △ TMP (§. 267 *Geom.*). Sit itaque $AP = x$, $PM = y$: erit $Pp = MR = dx$ & $RM = dy$ (§ 8), consequenter (§. 267 *Geom.*)

$$Rm : RM = PM : PT$$
$$dy : dx = y : \frac{ydx}{dy}$$

Quodsi ex æquatione curvæ cujuscunque data in expressione subtangentis PT generali $ydx : dy$ valor ipsius dx substituatur: quantitates differentiales evanescunt proditque valor subtangentis in quantitatibus communibus.

Tab. I. Fig. 4. Idem valor eruitur, si convexitas curvæ refertur ad axem AT.

COROLLARIUM I.

21. Pro parabola Apolloniana est: $ax = y^2$ (§. 388 *part.* I)

Hinc $adx = 2ydy$

$$dx = 2ydy : a$$

$PT = ydx : dy = 2y^2dy : ady = 2y^2 : a = 2ax : a = 2x$: prorsus ut supra (§. 410 *part.* I.)

COROLLARIUM II.

22. Pro infinitis parabolis (§. 519. *Part.* I.)

$$a^{m-1}x = y^m$$
$$a^{m-1}dx = my^{m-1}dy \;(\text{§. } 12)$$
$$dx = my^{m-1}dy : a^{m-1}$$

$PT = ydx : dy = my^m dy : a^{m-1}dy = my^m : a^{m-1} = ma^{m-1}x : a^{m-1} = mx$.

E. gr. Cum in paraboloide cubicali $m = 3$; erit subtangens $= 3x$: cum in surdesolidali $m = 5$; erit subtangens $= 5x$.

COROLLARIUM III.

23. Pro circulo est (§. 377. *part.* I.)

$$ax - xx = yy$$
$$adx - 2xdx = 2ydy$$
$$dx = 2ydy : (a - 2x)$$

$PT = ydx : dy = 2y^2dy : (a - 2x)dy = 2y^2 : (a - 2x) = (2ax - 2xx) : (a - 2x) = (ax - xx) : (\frac{1}{2}a - x)$, hoc est, PC : PB = AP : PT, consequenter □ PC. PT = AP. PB (§. 378 *Geom.*) $= PM^2$ (§. 377 *part.* I.) Tab. Fig.

Ergo $AT = (ax - xx) : (\frac{1}{2}a - x) - x = (ax - xx - \frac{1}{2}ax + xx) : (\frac{1}{2}a - x) = \frac{1}{2}ax : (\frac{1}{2}a - x)$ hoc est, PC:PA = CA : AT.

COROLLARIUM IV.

24. Pro infinitis circulis est (§. 524. *part.* I.)

$$ax^m - x^{m+1} = y^{m+1}$$
$$max^{m-1}dx - (m+1)x^m dx = (m+1)y^m dy$$
$$dx = \frac{(m+1)y^m dy}{max^{m-1} - (m+1)x^m}$$

$PT = ydx : dy = (m+1)y^{m+1} : (max^{m-1} - (m+1)x^m) = (m+1)(ax^m - x^{m+1}) : (max^{m-1} - (m+1)x^m) = (m+1)(ax - x^2) : (ma - mx - x)$ & $AT = (m+1)(ax - x^2) : (ma - (m+1)x) - x = (max + ax - mx^2 - x^2 - max + mx^2 + x^2) : (ma - (m+1)x) = ax : (ma - (m+1)x)$.

Cum itaque in circulo secundi generis $m = 2$; erit $AT = ax : (2a - 3x)$ & $PT = (2ax - 3x^2) : (2a - 3x)$

COROLLARIUM V.

25. Pro ellipsi Apolloniana est (§. 420 *part.* I.)

$$ay^2 = abx - bx^2$$

Hinc

Hinc $2aydy = abdx - 2bxdx$

$2aydy : (ab - 2bx) = dx$

$PT = ydx : dy = 2ay^2 : (ab - 2bx) = 2abx - 2bx^2) : (ab - 2bx) = (2ax - 2x^2) : (a - 2x)$, prorſus ut ſupra (§. 440. *part.* 1.)

COROLLARIUM VI.

226. Pro infinitis ellipſibus eſt (§. 532. *part.* 1.)

$$ay^{m+n} = bx^m (a - x)^n$$

$$(m+n)ay^{m+n-1}dy = mbx^{m-1}(a - x)\,dx - nbx^m (a - x)^{n-1}\,dx$$

$$dx = \frac{(m+n)\,ay^{m+n-1}\,dy}{mbx^{m-1}(a - x)^n - nbx^m (a - x)^{n-1}}$$

$PT = \dfrac{ydx}{dy} = \dfrac{(m+n)\,ay^{m+n}}{mbx^{m-1}(a-x)^n - nbx^m(a-x)^{n-1}} = (m+n)bx^m (a - x)^n : (mbx^{m-1}(a - x)^n - nbx^m(a - x)^{n-1}) =$ [diviſione per $bx^{m-1}(a - x)^{n-1}$ facta] $(m+n)(ax - x^2) : (ma - mx - nx)$ & hinc

$AT = (max - mxx + nax - nxx) : (ma - mx - nx) - x = (max - mx^2 + nax - nx^2 - max + mx^2 + nx^2) : (ma - mx - nx) = nax : (ma - (m+1)x)$.

Cum adeo in elliptoide cubicali ſit $m = 2$, $n = 1$; erit $PT = (3ax - 3x^2) : (2a - 3x)$ & $AT = ax : (2a - 3x)$.

COROLLARIUM VII.

27. Pro hyperbola Apolloniana eſt (§. 459. part. 1.)

$$ay^2 = abx + bxx$$

$$2aydy = abdx + 2bxdx$$

$$2aydy : (ab + 2bx) = dx$$

$PT = ydx : dy = 2ay^2 : (ab + 2bx) = (2abx + 2bxx) : (ab + 2bx) = (2ax + 2xx) : (a + 2x)$ prorſus ut ſupra (§. 491. *part.* 1.)

COROLLARIUM VIII.

28. Pro infinitis hyperbolis cum ſit $ay^{m+n} = bx^m (a + x)^n$ (§. 525. *part.* 1.): reperietur ut ante pro infinitis ellipſibus $PT = (m+n)(ax + x^2) : (ma + [m + n]x)$ & $AT = nax : (ma + [m + n]x)$.

COROLLARIUM IX.

29. Pro hyperbola intra aſymptotos eſt (§. 502. part. 1.)

$$xy = aa$$

$$xdy + ydx = 0$$

$$ydx = -xdy$$

$PT = ydx : dy = -xdy : dy = -x$

Quoniam valor ſubtangentis eſt negativus, id indicio eſt, ſubtangentem PT eſſe ſumendam in oppoſitum originis abſciſſæ AP. Differentiale enim ipſius xy eſſe debebat $ydx - xdy$, quia y decreſcit (§. 12.). Tab. I. *Fig.* 4.

COROLLARIUM X.

30. Pro infinitis hyperbolis intra aſymptotos eſt.

$$a^{m+n} = x^n y^m$$

$$0 = nx^{n-1}y^m\,dx + mx^n y^{m-1}\,dy$$

$$-mx^n y^{m-1}dy = nx^{n-1}y^m\,dx$$

$$-mxdy : ny = dx$$

$PT = ydx : dy = -mxydy : nydy = -\dfrac{mx}{n}$.

COROLLARIUM XI.

31. Pro Ciſſoide *Dioclis* eſt (§. 548. part. 1.)

$$y^2 = x^3 : (a - x)$$

$$2ydy = (3ax^2dx - 3x^3dx + x^3dx) : (a - x)^2$$

$$2y(a - x)^2\,dy : (3ax^2 - 2x^3) = dx$$

$PT = ydx : dy = 2y^2(a - x)^2 : (3ax^2 - 2x^3) = 2x^3(a - x) : (3ax^2 - 2x^3) = 2(ax - xx) : (3a - 2x)$.

Habemus itaque: Tab. VI. Algeb. *Fig.* 63.

$3a - 2x : a - x = 2x : PT$

ſive $\frac{3}{2}a - x : a - x = x : PT$

h. e. $PB + GB : PB = AP : PT$.

COROL-

COROLLARIUM XII.

32. Denique pro omnibus curvis algebraicis est (§. 385. *part.* 1.)

$$ay^m + bx^n + cy^r x^s + f = 0$$

$$may^{m-1}dy + nbx^{n-1}dy + scy^r x^{s-1}dx + rcy^{r-1}x^s dy = 0$$

$$nbx^{n-1}dx + scy^r x^{s-1}dx = -may^{m-1}dy - rcy^{r-1}x^s dy$$

$$dx = \frac{-may^{m-1}dy - rcy^{r-1}x^s dy}{nbx^{n-1} + scy^r x^{s-1}}$$

$$PT = \frac{ydx}{dy} = \frac{-may^m - rcy^r x^s}{nbx^{n-1} + scy^r x^{s-1}}$$

Sit e. gr. $y^2 - ax = 0$, erit comparatione cum formula generali facta,

$$\frac{ay^m = y^2}{a = 1 \quad m = 2} \qquad \frac{bx^n = -ax}{b = -a \quad n = 1}$$

$$\frac{cy^r x^s = 0}{c = 0 \quad r = 0 \quad s = 0} \qquad f = 0.$$

His valoribus in formula subtangentis generalissima substitutis prodit subtangens parabolae primi generis $(-2.1.y^2 - 0.0y^0x^0) : (1. - ax^{1-1} + 0.0y^0 x^{0-1}) = -2y^2 : -a = 2y^2 : a$, ut supra (§. 21).

Similiter sit pro circulo $y^2 - ax + x^2 = 0$: erit

$$\frac{ay^m = y^2}{a = 1 \quad m = 2.} \qquad \frac{bx^n = -ax}{b = -a \quad n = 1}$$

$$\frac{bx^n = x^2}{b = 1 \quad n = 2} \qquad \frac{cy^r x^s = 0}{c = 0 \; r = s0 = 0}$$

$$PT = \frac{-2.1.y^2}{1.-ax^0 + 2.1x} = \frac{-2y^2}{-a+2x} = \frac{2y^2}{a-2}$$

ut supra (§. 23).

Sit $y^3 - x^3 - axy = 0$, erit

$$\frac{ay^m = y^3}{a = 1 \quad m = 3} \qquad \frac{bx^n = -x^3}{b = -1 \quad n = 3}$$

$$\frac{cy^r x^s = -axy}{c = -a \quad r = 1 \quad s = 1} \qquad f = 0$$

His valoribus in formula subtangentis generali substitutis, prodit subtangens curvae, ad quam est aequatio data $PT = (-3.1y^3 - 1.-ayx) : (3.-1x^2 + 1.-ayx^0.) = (-3y^3 + ayx) : (-3x^2 - ay) = (3y^3 - axy) : (3x^2 + ay)$, consequenter $AT = (3y^3 - axy) : (3x^2 + ay) - x = (3y^3 - axy - 3x^3 - axy) : (3x^2 + ay) = (3axy - 2axy) : (3x^2 + ay)$, (substituto nempe ex aequatione ad curvam ipsius $y^3 - x^3$ valore axy, hoc est, $axy : (3x^2 + ay)$.

SCHOLION.

33. *In applicatione formulae generalis bx^n, & $cy^r x^s$ totidem terminis sigillatim comparantur, quot in dato casu speciali eisdem respondent, singulique valores simul in formula subtangentis substituuntur, propterea quod bx^n repraesentat omnes terminos, in quibus sola indeterminata x occurrit, & $cy^r x^s$ omnes terminos, in quibus utraque indeterminata x & y locum habet* (§. 385. part. 1).

COROLLARIUM.

34. Quia $PT = ydx : dy$, $PM = y$; erit (§. 417. *Geom.*) $TM = \sqrt{(y^2dx^2 : dy^2 + y^2)} = y\sqrt{(dx^2 + dy^2)} : dy$. Tab. I. *Fig.* 2.

PROBLEMA.

35. *Determinare subnormalem PH in linea Algebraica quacunque.*

RESOLUTIO.

Sit $PM = y$, $AP = x$, erit $TP = ydx : dy$ (§.20) & $TP : PM = PM : PH$ (§.409 *part.* 1.) Tab. I. *Fig.* 2.

hoc est, $\frac{ydx}{dy} : y = y : \frac{ydy}{dx}$

Quodsi ut in problemate praecedente in expressione subnormalis PH generali valor ipsius dy substituatur; differentiales quantitates evanescunt & valor subnormalis in quantitatibus ordinariis prodit.

COROLLARIUM I.

36. In parabola *Apolloniana* $dy = adx : 2y$, (§. 21). Ergo $PH = ydy : dx = ay\, dx : 2ydx = \frac{1}{2}a$, ut supra reperimus (§. 410. part. I.)

COROLLARIUM II.

37. In infinitis parabolis $dy = a^{m-1}dx : my^{m-1}$ (§. 22). Itaque $PH = ydy : dx = a^{m-1}y : my^{m-1} = a^{n-1}y^2 : my^m$ (§. 54. *part.* I.) $= a^{m-1}y^2 : ma^{m-1}x$ (§. 519. *part.* I.) $= y^2 : mx$, ut adeo sit $mx : y = y : PH$.

COROLLARIUM III.

Tab. I. Fig. 3. 38. In circulo $adx - 2xdx = 2ydy$ (§. 23). hoc est, $\frac{1}{2}a - x = ydy : dx = PC$. Apparet adeo, in circulo omnes ad peripheriam normales in centro concurrere, consequenter tangentem TM radio CM ad angulos rectos insistere.

COROLLARIUM IV.

39. In infinitis circulis $(max^{m-1}dx - (m+1)x^m dx) : (m+1)y^m = dy$. Unde subnormalis PH $ydy : = (max^{m-1}y - (m+1)x^m y) : (m+1)y^m = (max^{m-1}y^2 - (m-1)x^m y^2) : (m+1)y^{m+1} = (max^{m-1}y^2 - (m+1)x^m y^2) : (m+1)(ax^m - x^{m+1}) = (may^2 - (m+1)xy^2) : (m+1)(ax - x^2)$. Est itaque $ax - x^2 : y^2 = \frac{m}{m+1}a - x : PH$.

COROLLARIUM V.

Tab. I. Fig. 2. 40. In infinitis ellipsibus $dy = (mbx^{m-1}(a-x)^n dx - nbx^m(a-x)^{n-1}dx) : (m+n)ay^{m+n-1}$ (§. 26). Unde $PH = ydy : dx = (mbx^{m-1}(a-x)^n y - nbx^m(a-x)^{n-1}y) : (m+n)ay^{m+n-1} = (mbx^{m-1}(a-x)^n y^2 - nbx^m(a-x)^{n-1}y^2) : (m+n)ay^{m+n}$ sive $: (m+n)bx^m(a-x)^n = (my^2(a-x) - nxy^2) : (m+n)(ax - x^2)$. Est itaque $ax - x^2 : y^2 = \frac{m}{m+n}a - x : PH$.

COROLLARIUM VI.

Tab. I. Fig. 4. 42. Pro hyperbola intra asymptotos (§. 29.) $dy = -ydx : x$. Unde $PH = ydy : dx = -y^2 : x$. Valor negativus indicio est, subnormalem PH cadere versus sinistram. Quia $xy = a^2$, adeoque $y = a^2 : x$ & $y^2 = a^4 : x^2$, erit $PH = a^2 y : x^2$ vel $a^4 : x^3$, consequenter $x^2 : a^2 = y : PH$ & $x^3 : a^3 = a : PH$, hoc est, semiordinata habet ad subnormalem rationem duplicatam, & ad latus potentiæ hyperbolæ rationem triplicatam abscissæ ad latus potentiæ hyperbolæ.

COROLLARIUM VIII.

43. In Cissoide *Dioclis* $2ydy = (3ax^2dx - 2x^3dx) : (a-x)^2$ (§. 31). Igitur subnormalis $ydy : dx = (3ax^2 - 2x^3) : 2(a-x)^2$. Est adeo $(a-x)^2 : x^2 = \frac{3}{2}a - x : PH$.

COROLLARIUM IX.

Tab. I. Fig. 2. 44. Quia $PH = ydy : dx$ (§. 35.) & $PM = y$: erit $MH = \sqrt{(y^2dy^2 : dx^2 + y^2)} = y\sqrt{(dy^2 + dx^2)} : dx$.

SCHOLION.

45 *Equidem data per problema præcedens subtangente subnormalis reperitur facillime absque calculo differentiali* (§. 409.): *quoniam tamen subinde subnormalis inveniri debet data tantummodo æquatione ad curvam: ideo in problemate præsente docendum erat, quomodo independenter a subtangente ex æquatione eruenda.*

PROBLEMA VI.

46. *Determinare curvarum algebraicarum asymptotos.*

RESOLUTIO.

Tab. I. Fig. 2. 1. Quoniam asymptotos CD cum curva non concurrit, nisi intervallo infinito emenso; haberi potest pro tangente in puncto, cui abscissa infinita respondet. Quantitates ergo constantes respectu variabilium x & y sunt infinite

COROLLARIUM XII.

32. Denique pro omnibus curvis algebraicis est (§. 385. *part.* 1.)

$$ay^m + bx^n + cy^r x^s + f = 0$$

$$may^{m-1}dy + nbx^{n-1}dy + scy^r x^{s-1}dx + rcy^{r-1}x^s dy = 0$$

$$nbx^{n-1}dx + scy^r x^{s-1}dx = -may^{m-1}dy - rcy^{r-1}x^s dy$$

$$dx = \frac{-may^{m-1}dy - rcy^{r-1}x^s dy}{nbx^{n-1} + scy^r x^{s-1}}$$

$$PT = \frac{ydx}{dy} = \frac{may^m - rcy^r x^s}{nbx^{n-1} + scy^r x^{s-1}}$$

Sit e. gr. $y^2 - ax = 0$, erit comparatione cum formula generali facta,

$$\frac{ay^m = y^2}{a=1 \quad m=2} \qquad \frac{bx^n = -ax}{b=-a \quad n=1}$$

$$\frac{cy^r x^s = 0}{c=0 \quad r=0 \quad s=0} \qquad f=0.$$

His valoribus in formula subtangentis generalissima substitutis prodit subtangens parabolae primi generis $(-2.1.y^2 - 0.0y^0 x^0) : (1.-ax^{1-1} + 0.\ 0y^0 x^{0-1}) = -2y^2 : -a = 2y^2 : a$, ut supra (§. 21).

Similiter sit pro circulo $y^2 - ax + x^2 = 0$: erit

$$\frac{ay^m = y^2}{a=1 \quad m=2.} \qquad \frac{bx^n = -ax}{b=-a \quad n=1}$$

$$\frac{bx^n = x^2}{b=1 \quad n=2} \qquad \frac{cy^r x^s = 0}{c=0\ r=s0=0}$$

$$PT = \frac{-2.1.y^2}{1.-ax^0 + 2.1x} = \frac{-2y^2}{-a+2x} = \frac{2y^2}{a-2}$$

ut supra (§. 23).

Sit $y^3 - x^3 - axy = 0$, erit

$$\frac{ay^m = y^3}{a=1 \quad m=3} \qquad \frac{bx^n = -x^3}{b=-1 \quad n=3}$$

$$\frac{cy^r x^s = -axy}{c=-a \quad r=1 \quad s=1} \qquad f=0$$

His valoribus in formula subtangentis generali substitutis, prodit subtangens curvae, ad quam est aequatio data $PT = (-3.1y^3 - 1.-ayx) : (3.-1x^2 + 1.-ayx^0. = (-3y^3 + ayx) : (-3x^2 - ay) = (3y^3 - axy) : (3x^2 + ay)$, consequenter $AT = (3y^3 - axy) : (3x^2 + ay) - x = (3y^3 - axy - 3x^3 - axy) : (3x^2 + ay) = (3axy - 2axy) : (3x^2 + ay)$, (substituto nempe ex aequatione ad curvam ipsius $y^3 - x^3$ valore axy, hoc est, $axy : (3x^2 + ay)$.

SCHOLION.

33. *In applicatione formulae generalis bx^n, & $cy^r x^s$ totidem terminis sigillatim comparantur, quot in dato casu speciali eisdem respondent, singulique valores simul in formula subtangentis substituuntur, propterea quod bx^n repraesentat omnes terminos, in quibus sola indeterminata x occurrit, & $cy^r x^s$ omnes terminos, in quibus utraque indeterminata x & y locum habet* (§. 385. part. 1).

COROLLARIUM.

34. Quia $PT = ydx : dy$, $PM = y$; erit (§. 417. *Geom.*) $TM = \sqrt{(y^2dx^2 : dy^2 + y^2)} = y\sqrt{(dx^2 + dy^2)} : dy$. Tab. Fig.

PROBLEMA.

35. *Determinare subnormalem PH in linea Algebraica quacunque.*

RESOLUTIO.

Sit $PM = y$, $AP = x$, erit $TP = ydx : dy$ (§. 20) & $TP : PM = PM : PH$ (§. 409 *part.* 1.) Tab. Fig.

hoc est, $\frac{ydx}{dy} : y = y : \frac{ydy}{dx}$

Quodsi ut in problemate praecedente in expressione subnormalis PH generali valor ipsius dy substituatur; differentiales quantitates evanescunt & valor subnormalis in quantitatibus ordinariis prodit.

Co-

COROLLARIUM I.

36. In parabola *Apolloniana* $dy = adx : 2y$, (§. 21). Ergo $PH = ydy : dx = ay\,dx : 2ydx = \frac{1}{2}a$, ut supra reperimus (§. 410. part. 1.)

COROLLARIUM II.

37. In infinitis parabolis $dy = a^{m-1}dx : my^{m-1}$ (§. 22). Itaque $PH = ydy : dx = a^{m-1}y : my^{m-1} = a^{m-1}y^2 : my^m$ (§. 54. *part.* I.) $= a^{m-1}y^2 : ma^{m-1}x$ (§. 519. *part.* I.) $= y^2 : mx$, ut adeo sit $mx : y = y : PH$.

COROLLARIUM III.

Tab. I. Fig. 3. 38. In circulo $adx - 2xdx = 2ydy$ (§. 23). hoc est, $\frac{1}{2}a - x = ydy : dx = PC$. Apparet adeo, in circulo omnes ad peripheriam normales in centro concurrere, consequenter tangentem TM radio CM ad angulos rectos insistere.

COROLLARIUM IV.

39. In infinitis circulis $(max^{m-1}dx - (m+1)x^m dx) : (m+1)y^m = dy$. Unde subnormalis PH $ydy : = (max^{m-1}y - (m+1)x^m y) : (m+1)y^m = (max^{m-1}y^2 - (m-1)x^m y^2) : (m+1)y^{m+1} = (max^{m-1}y^2 - (m+1)x^m y^2) : (m+1)(ax^m - x^{m+1}) = (may^2 - (m+1)xy^2) : (m+1)(ax - x^2)$. Est itaque $ax - x^2 : y^2 = \frac{m}{m+1}a - x : PH$.

COROLLARIUM V.

Tab. I. Fig. 2. 40. In infinitis ellipsibus $dy = (mbx^{m-1}(a-x)^n dx - nbx^m(a-x)^{n-1}dx) : (m+n)ay^{m+n-1}$ (§. 26). Unde $PH = ydy : dx = (mbx^{m-1}(a-x)^n y - nbx^m(a-x)^{n-1}y) : (m+n)ay^{m+n-1} = (mbx^{m-1}(a-x)^n y^2 - nbx^m(a-x)^{n-1}y^2) : (m+n)ay^{m+n}$ sive $:(m+n)bx^m(a-x)^n = (my^2(a-x) - nxy^2) : (m+n)(ax - x^2)$. Est itaque $ax - x^2 : y^2 = \frac{m}{m+n}a - x : PH$.

COROLLARIUM VI.

Tab. I. Fig. 4. 42. Pro hyperbola intra asymptotos (§. 29.) $dy = -ydx : x$. Unde $PH = ydy : dx = -y^2 : x$. Valor negativus indicio est, subnormalem PH cadere versus sinistram. Quia $xy = a^2$, adeoque $y = a^2 : x$ & $y^2 = a^4 : x^2$, erit $PH = a^2y : x^2$ vel $a^4 : x^3$, consequenter $x^2 : a^2 = y : PH$ & $x^3 : a^3 = a : PH$, hoc est, semiordinata habet ad subnormalem rationem duplicatam, & ad latus potentiæ hyperbolæ rationem triplicatam abscissæ ad latus potentiæ hyperbolæ.

COROLLARIUM VIII.

43. In Cissoide *Dioclis* $2ydy = (3ax^2dx - 2x^3dx) : (a-x)^2$ (§. 31). Igitur subnormalis $ydy : dx = (3ax^2 - 2x^3) : 2(a-x)^2$. Est adeo $(a-x)^2 : x^2 = \frac{3}{2}a - x : PH$.

COROLLARIUM IX.

Tab. I. Fig. 2. 44. Quia $PH = ydy : dx$ (§. 35.) & $PM = y$: erit $MH = \sqrt{(y^2dy^2 : dx^2 + y^2)} = y\sqrt{(dy^2 + dx^2)} : dx$.

SCHOLION.

45 *Equidem data per problema præcedens subtangente subnormalis reperitur facillime absque calculo differentiali* (§. 409.): *quoniam tamen subinde subnormalis inveniri debet data tantummodo æquatione ad curvam: ideo in problemate præsente docendum erat, quomodo independenter a subtangente ex æquatione eruenda.*

PROBLEMA VI.

46. *Determinare curvarum algebraicarum asymptotos.*

RESOLUTIO.

Tab. I. Fig. 2. 1. Quoniam asymptotos CD cum curva non concurrit, nisi intervallo infinito emenso; haberi potest pro tangente in puncto, cui abscissa infinita respondet. Quantitates ergo constantes respectu variabilium x & y sunt infinite parvæ (§. 2.). Quamobrem si ex valore ipsius AT adjiciantur, quæ in nullam variabilem ducuntur; prodibit valor ipsius AC, per quem punctum C determinatur, ex quo asymptotus CD ducitur.

2. Quodsi idem fiat in æquatione pro curva, & facta differentiatione inveniatur ratio $dx : dy$; haud difficulter quoque eruitur valor ipsius AE: est enim in illo casu $\triangle$ MR$m \backsim \triangle$CAE. Quod ut clarius intelligatur, ponamus abscissam AP esse infinitam, adeoque TM asymptotum; evidens est $\triangle$ MR$m \backsim \triangle$ TPM (§. 20). Sed $\triangle$ TPM $\backsim \triangle$ TAG (§. 268. *Geom.*). Ergo $\triangle$ TAG $\backsim \triangle$ MRm, consequenter MR: mR $=$ TA : AG (§. 267 *Geom.*). Surrogetur jam in locum $\triangle$ TAG alterum CAE; erit MR : mR $=$ CA : AE, hoc est, $dx : dy =$ CA : AE.

COROLLARIUM I.

47. In hyperbola Apolloniana AT $= ax : (a + 2x)$ §. 491. *part.* 1. Ergo AT $= ax : 2x = \frac{1}{2} a =$ AC prorsus ut supra habetur (§. 474. *part.* 1). Porro ad hyperbolam Apollonianam

$$ay^2 = bx\,(a + x)$$

hoc est in nostro casu ob a infinitesimam

$$ay^2 = bxx$$

consequenter

$$y\sqrt{a} = x\sqrt{b}$$

$$dy\sqrt{a} = dx\sqrt{b}$$

$$dx : dy = \sqrt{a} : \sqrt{b}$$

adeoque ob $dx : dy =$ CA : AE (§. 46)

$$\sqrt{a} : \sqrt{b} = \tfrac{1}{2}a : \text{AE}$$

Unde habetur AE $= \frac{1}{2}\sqrt{a \cdot b} : \sqrt{a} = \frac{1}{2}\sqrt{ab}$ denuo ut supra (§. 474 *part.* 1.).

Idem etiam adhuc aliter invenitur. In casu infiniti seu asymptotico TP $=$ CP $= \frac{1}{2}a + x = x$, ob $\frac{1}{2}a = 0$ quia $x = \infty$. Porro ob similitudinem $\triangle\triangle$ TPM & CAE est

$$\text{TP} : \text{PM} = \text{CA} : \text{AE}$$

$$x : \frac{x\sqrt{b}}{\sqrt{a}} = \tfrac{1}{2}a : \text{AE}$$

$$1 : \frac{\sqrt{b}}{\sqrt{a}} = \tfrac{1}{2}a : \text{AE}$$

$$\text{AE} = \tfrac{1}{2}a\sqrt{b} : \sqrt{a} = \tfrac{1}{2}\sqrt{ab}.$$

COROLLARIUM II.

48. Pro infinitis hyperbolis est AT $= nax : (ma + mx + nx)$ §. 28. adeoque in casu asymptotico, in quo $x = \infty$, AC $= nax : (mx + nx) = na : (m + n)$ §. 46. Quoniam porro (§. 425 *part.* 1.).

$$ay^{m+n} = bx^m\,(a + x)^n$$

erit

$$ay^{m+n} = bx^{m+n} \quad (§. 46).$$

hoc est, si fiat brevitatis gratia $m + n = r$,

$$ay^r = bx^r$$

$$ya^{1:r} = xb^{1:r}$$

$$dy\,a^{1:r} = dx\,b^{1:r}$$

$$dx : dy = a^{1:r} : b^{1:r} = \text{CA} : \text{AE}$$

Unde ob ca $= na : r$, reperitur AE

$$\frac{na\sqrt[r]{b}}{r\sqrt[r]{a}} = \frac{n\sqrt[r]{a^{r-1}b}.}{r}$$

PROBLEMA VII.

49. *Determinare subtangentem & subnormalem in Conchoide.*

Quoniam Conchois est curva algebraica (§. 382. 535 *part.* 1); subtangens ejus inveniri potest *per probl.* 4. & subnormalis *per probl.* 5. (§. 20. & 35). Enim vero quia ob æquationem ejus admodum prolixam expressio utraque non satis concinna prodit; ideo consultius judicamus alia methodo utramque investigari, qua & in casibus aliis similibus commode utendum.

Sit

Tab. I. Fig. 5. Sit nempe $AP = x$, $PM = y$. Intelligatur pm ipsi PM infinite propinqua: erit $Pp = MR = dx$ & $Rm = dy$, unde $PT = ydx : dy$, ut supra (§. 20). Sit porro $AB = QM$ (§. 535. *part.* I.) $= a$, $CM = z$, $BC = b$; erit $PB = a - x$, $PC = a + b - x$. Ut valor ipsius dx ex natura curvæ inveniatur; fiat:

$$a - x = v \qquad a + b - x = t$$

$$\text{erit } -dx = dv \qquad -dx = dt$$

Porro (§. 268 *Geom.*)

$$PB : MQ = PC : MC$$
$$v : a = t : z$$
$$at = zv$$
$$adt = zdv + vdz$$

Denique (§. 417 *Geom.*) $CM^2 = PC^2 + PM^2$, hoc est,

$$z^2 = t^2 + y^2$$
$$2zdz = 2tdt + 2ydy$$
$$zdz = tdt + ydy$$

Substituantur ex æquationibus duabus prioribus valores ipsorum differentialium dt & dv in duabus posterioribus: prodibit

$$-adx = -zdx + vdz \qquad zdz = -tdx + ydy$$
$$zdx - adx = vdz \qquad dz = \frac{-tdx + ydy}{z}$$
$$\frac{zdx - adx}{v} = dz$$

Quamobrem

$$\frac{zdx - adx}{v} = \frac{ydy - tdx}{z}$$
$$z^2dx - azdx = vydy - vtdx$$
$$z^2dx - azdx + vtdx = vydy$$
$$dx = \frac{vydy}{z^2 - az + vt}$$

Hinc $PT = ydx : dy = vy^2 : (z^2 - az + vt) = v(z^2 - t^2) : (z^2 - az + tv)$ ob $y^2 = z^2 - t^2$, & subnormalis $ydy : dx$ habetur $= (z^2 - az + vt) : v = t + (z^2 - az) : v$.

Aliter.

Sit TC secans regulam in I perpendicularis ad MC & mc ipsi CM infinite propinqua. TM tangat Conchoidem in M. Radio CQ describatur arcus Qt & radio CM arcus Mr. Sit $QM = a$, $CQ = x$, $CM = y$; erit $tS = dx$, $mr = dy$. Quoniam in $\triangle QtS$ angulus t rectus est (§. 38.) & QCI itidem rectus (§. 78. *Geom.*) & ob angulum infinite parvum $QCS = 0$ (§. 3) angulus $IQC = QSt$ (§. 239 *Geom.*), erit $\triangle QtS \backsim \triangle QIC$, (§. 267. *Geom.*), adeoque Tab. IV. Fig. 43.

$$CQ : CI = tS : Qt$$
$$x : b = dx : \frac{bdx}{x}$$

Quoniam Qt & Mr sunt arcus concentrici intra crura ejusdem anguli descripti, erit (§. 138. 412. *Geom.*)

$$CQ : Qt = CM : Mr$$
$$x : \frac{bdx}{x} = y : \frac{bydx}{x^2}$$

Denique cum eodem, quo supra; modo ostendatur, esse $\triangle Mrm \backsim \triangle MCT$, erit

$$mr : Mr = MC : CT$$
$$dy : \frac{bydx}{x^2} = y : \frac{by^2dx}{x^2dy}$$

Ex natura Conchoidis (§. 535. *part.* I.)

$$y = x + a$$

adeoque $dy = dx$

Ergo $CT = \dfrac{by^2dx}{x^2dy} = \dfrac{by^2}{x^2}$

Ducatur itaque GM parallela regulæ IQ; erit (§. 268. *Geom.*).

$$CQ : CM = CI : CG$$

$$x : y = b : \frac{by}{x}$$

Quare si porro TM ducatur parallela ipsi GQ; erit (§. *cit.*)

$$CQ : CG = CM : CT$$

$$x : \frac{by}{x} = y : \frac{by^2}{x^2}$$

adeoque CT subtangens, consequenter TM tangens quæsita.

PROBLEMA VIII.

Tab. I. Fig. 6. 50. *Determinare subtangentem in Spirali Archimedea & infinitis spiralibus aliis.*

Sit semidiameter circuli AB$=a$, peripheria$=b$, arcus BD$=x$, AG$=y$. Intelligatur radius AC alteri AD infinite propinquus, & ducatur radio AG arculus EG; erit CD$=dx$ & EF $= dy$ & (§. 138. 412. *Geom.*)

$$AD : AG = DC : GE$$

$$a : y = dx : \frac{ydx}{a}$$

Quoniam EG ad AE perpendicularis (§. 38); ducatur HA ad AG normalis; quæ est subtangens spiralis: erit EG parallela ipsi AH (§. 256 *Geom.*) adeoque cum sit FA=AE sive AG ob infinite parvam EF (§. 268 *Geom.*)

$$FE : EG = FA : AH$$

$$dy : \frac{ydx}{a} = y : \frac{y^2dx}{ady}$$

Jam pro spirali Archimedea (§. 571. *part.* I.)

$$\frac{ax = by}{adx = bdy}$$

Hinc subtangens AH$=\frac{y^2dx}{ady}=by^2 : a^2$ $= xy : a$.

Pendet adeo determinatio subtangentis a quadratura circuli, cum pro arcu x assumenda sit recta.

Pro infinitis spiralibus est (§. 572 *part.* I.)

$$\frac{a^m x^n = b^n y^m}{na^m x^{n-1}dx = mb^n y^{m-1}dy}$$

$$dx = mb^n y^{m-1}dy : na^m x^{n-1}$$

AH$=y^2 dx : ady = mb^n y^{m+1} : na^{m+1} x^{n-1} = ma^m x^n y : ma^{m+1} x^{n-1} = mxy : na$

COROLLARIUM.

51. Quodsi ponamus arcum BC esse ad FC ut est abscissa curvæ algebraicæ ad semiordinatam; erit BC $=x$, CD $=dx$, FC $=y$, & (ducto radio AF arculo FI) GI$=$ FE $=dy$, atque (§. 138. 412. *Geom.*) ob AG $=$ AF (§. 4)

$$AC : CD = AG : EG$$

$$a : dx = a-y : \frac{adx - ydx}{a}$$

$$FE : EG = FA : AH$$

$$dy : \frac{adx - ydx}{a} = a-y : \frac{(a-y)^2dx}{ady}$$

Quodsi ergo ex æquatione curvæ algebraicæ, quæ exprimit relationem BC ad FC, substituatur in expressione subtangentis AH valor ipsius dx, prodibit subtangens quæsita. Sit e. gr. relatio arcus BC ad rectam FC contenta æquatione

$$bx = y^2$$

erit $\quad bdx = 2ydy$

unde AH $= (a-y)^2 dx : ady = 2y(a-y)^2 : ab$.

PROBLEMA IX.

52. *Determinare subtangentem* PT *in Cycloide.* Tab. I. Fig. 7.

Sit

Sit APB circulus genitor cycloidis AMC, KP tangens circuli. Ducatur TM, quæ cycloidem in M tangat; erit TP subtangens. Rectæ QM per utrumque contactus punctum P & M transeunti intelligatur ipsa *qm* parallela & infinite propinqua; demittantur perpendiculares PO & MS: agatur denique MR ipsi PT parallela. Erit MS=PO (§. 226. *Geom.*) & MR=P*p*, quia arculus P*p* infinite exiguus, habetur pro parte rectæ *p*T, (§. 257 *Geom*). Sit jam AP $=x$, PM $=y$; erit P*p* =MR $=dx$, *m*R$=dy$. Ob parallelas MP & *m*R, *per construct*: angulus M*m*R =TMP & ob parallelas MR & TP, *itidem per constr.* *m*RM=*mp*T=MPT (§. 233 *Geom.*), consequenter (§. 267. *Geom.*)

$$mR : RM = MP : PT$$
$$dy : dx = y : \frac{ydx}{dy}$$

Est vero in cycloide $y=x$ (§. 575. *part.* I), consequenter $dy=dx$ & hinc $ydx : dy$ seu PT$=y$. Ducta igitur recta PT, quæ circulum tangit in P, facillime quoque ducitur TM, quæ cycloidem in puncto respondente M tangit.

COROLLARIUM.

53. Si APB fuerit linea algebraica alia, cujus arcus AP sint abscissæ transcendentis AMC; eodem modo determinatur subtangens, cum in omni casu reperiatur PT $= ydx : dy$. Ponamus e. gr.

$$bx = ay$$
erit $$bdx = ady$$
$$dx = ady : b$$

PT $= ydx:dy = ayty : bdy = ay : b$.

PROBLEMA X.

54. *Determinare subtangentem* PT *in Logistica.*

Sit AP$=x$, PM$=y$, *pm* ipsi PM parallela; erit MR$=$P*p*$=dx$ & R*m* $=dy$ & vi eorum, quæ in problemate 4. (§. 20) demonstrata sunt. Tab. I. Fig. 8.

$$mR : RM = PM : PT$$
$$dy : dx = y : \frac{ydx}{dy}$$

Sit abscissa alia ipsa AP major vel minor $= v$ & semiordinata eidem respondens $= z$; erit subtangens $= zdv : dz$. Quoniam ex natura Logisticæ abscissæ in progressione arithmetica progrediuntur (§. 555 *part.* I.) erit $dx = dv$. Quoniam vero semiordinatæ progrediuntur in geometrica (§. *cit.*); erit

$$y : y + dy = z : z + dz$$
$$y : dy = z : dz \text{ (§. 193 } \textit{Arithm.})$$
$$dx = dv$$
$$ydx : dy = zdv : dz$$

Theorema. In Logistica omnes subtangentes sunt inter se æquales, seu subtangens PT est constans.

PROBLEMA XI.

55. *Determinare subtangentem* MH *in quadratrice Dinostratis.* Tab. I. Fig. 9.

Per punctum datum M ducatur radius CN sitque TM tangens, MK ad CM & TK ad MK perpendicularis, C*n* ipsi CN & *pm* ipsi PM infinite propinqua, AP$= y$, AN$= x$, CM$= p$, ANB $= a$, AC$= b$; erit MI $= b - y$, P*p* $=$ MR $= dy$, N*n* $= dx$. Quoniam arcus infinite parvus radio CM descriptus coincidit cum recta MH, erit (§. 138. 412. *Geom.*)

$$CN : Nn = CM : MH$$
$$b : dx = p : \frac{pdx}{b}$$

Porro cum TK *(per hypoth.)* & CH (§. 37) ſint ad MK perpendiculares; erit mH ipſi KT parallela (§. 256. *Geom.*), adeoque (§. 268. *Geom.*)

$$Mm : MT = MH : MK.$$

Similiter mR & TI, quia ad MI perpendiculares *(per hypoth.)*, inter ſe parallelæ (§. 256. *Geom.*), adeoque (§. 268. *Geom.*)

$$Mm : MT = MR : MI$$

conſequenter (§. 167. *Arithm.*)

$$MR : MI = MH : MK$$

$$dy : b - y = \frac{pdx}{b} : \frac{pdx}{dy} - \frac{pydx}{bdy}$$

Eſt vero ex natura quadratricis (§. 518. *part.* 1.)

$$bx = ay$$

$$bx : a = y$$

Item, $dx = ady : b$

Subſtitutis ergo in valore ipſius MK pro dx & y valoribus modo inventis, prodit MK $= \frac{ap}{b} - \frac{abpx}{abb} = (ap - px) : b = (a - x)p : b =$ NB. MC : AC.

Eſt vero NB arcus radio NC deſcriptus adeoque conſtructio a rectificatione arcus illius, ſeu a quadratura circuli pendet.

PROBLEMA XII.

Tab. I. Fig. 2. 56. *Intra angulum* QTH *deſcribere curvam deſideratam algebraicam, quæ rectam* TQ *in dato puncto* M *tangat.*

RESOLUTIO.

Demittatur ex M ad TH perpendicularis PM, erit TP ſubtangens, PM ſemiordinata curvæ quæſitæ. Sit TP $= v$, PM $= y$, erit (§ 20.)

$$TP : PM = MR : mR$$

$$v : y = dx : dy$$

$$vdy = ydx$$

Quare ſi ex æquatione curvæ determinatur valor ipſius dx vel dy & in æquatione modo inventa ſubſtituatur; per communes Algebræ regulas determinantur tum abſciſſa x ſemiordinatæ PM datæ reſpondens, ut habeatur vertex curvæ A; tum lineæ rectæ, quibus datis curva datur. Quodſi vero contingat, aliquas ex his determinari non poſſe; id quidem indicio eſt, eam variis modis aſſumi poſſe adeoque plures curvas ejuſdem ſpeciei ſatisfacere propoſito.

COROLLARIUM I.

57. Si curva AMO parabola primi generis eſſe debet; erit (§. 388. *part.* 1.)

$$ax = y^2$$

$$adx = 2ydy$$

$$dx = 2ydy : a$$

Quodſi hic valor in æquatione $vdy = ydx$ pro dx ſubſtituatur; habebimus

$$vdy = 2y^2 dy : a$$

$$av = 2y^2 \text{ ſeu } a = 2y^2 : v$$

Porro ex æquatione ad parabolam $a = y^2 : x$

Quare

$$2y^2 : v = y^2 : x$$

$$2 : v = 1 : x$$

$$2v = x$$

$$x = \tfrac{1}{2}v$$

Diviſa nempe TP bifariam in A, habetur vertex parabolæ A, ut jam ex ſuperioribus (§. 21.) conſtat. Parametro itaque $2y^2 : v$ circa axem AH parabola deſcribenda (§. 401. *part.* 1.)

COROLLARIUM II.

58. Si curva AMO hyperbola æquilatera: erit (§. 505. *part.* 1.)

$$ax + xx = y^2$$

$$adx + 2xdx = 2ydy$$

$$dx = 2ydy : (a + 2x)$$

Quod-

Quodsi in æquatione $vdy = ydx$ pro dx substituatur valor modo inventus, prodibit.

$$vdy = 2y^2\, dy : (a + 2x)$$
$$av + 2vx = 2y^2$$
$$av = 2y^2 - 2vx$$
$$a = 2y^2 : v - 2x$$

hoc est, si fiat $y^2 : v = m$

$$a = 2m - 2x$$

Porro ex æquatione ad hyperbolam æquilateram

$$ax + xx = y^2$$
$$a = yy : x - x$$

Unde $y^2 : x - x = 2m - 2x$

$$yy - xx = 2mx - 2xx$$
$$yy = 2mx - xx$$

seu $xx - 2mx = -yy$

$$x^2 - 2mx + m^2 = m^2 - yy$$
$$\left.\begin{matrix} x - m \\ m - x \end{matrix}\right\} = \sqrt{(m^2 - y^2)}$$
$$x = m \pm \sqrt{(m^2 - y^2)}$$

Dato itaque valore ipsius x, datur vertex hyperbolæ æquilateræ, datur etiam parameter $a = 2m - 2x$, consequenter hyperbola describi potest (§. 472 *part.* I.)

COROLLARIUM III.

59. Quoniam pro circulo $ax - x^2 = y^2$, eodem, quo ante, modo reperitur $a = 2y^2 : v + 2x$ seu, si fiat $y^2 : v = m$, $a = 2m + 2x$, & $x = \sqrt{(mm + yy)} - m$.

COROLLARIUM IV.

60. Si curva AMO ellipsis primi generis; erit §. 421, *part.*)

$$y^2 = bx - bx^2 : a$$
$$2ydy = bdx - 2bxdx : a$$
$$dy = (abdx - 2bxdx) : 2ay$$

Quodsi in æquatione $vdy = ydx$ substituatur valor modo inventus, prodibit

$$abv - 2bvx = 2ay^2$$
$$b = 2ay^2 : (av - 2vx)$$

Ex natura curvæ est

$$b = ay^2 : (ax - xx)$$

Unde $\dfrac{2ay^2}{av - 2vx} = \dfrac{ay^2}{ax - xx}$.

$$2ax - 2xx = av - 2vx$$
$$-\tfrac{1}{2}av = xx - ax - vx$$

Si fiat $a - v = 2m$

erit $m^2 - \tfrac{1}{2}av = xx - 2mx + mm$

$$\sqrt{(m^2 - \tfrac{1}{2}av)} = \left\{\begin{matrix} x - m \\ m - x \end{matrix}\right.$$
$$m \pm \sqrt{(m^2 - \tfrac{1}{2}av)} = x$$

Quoniam ipsius a seu axis transversi nullus valor erui potest; pro arbitrio assumi debet. Quodsi minor fuerit quam v; erit $x = m + \sqrt{(m^2 - \tfrac{1}{2}av)}$.

CAP. III.

CAPUT III.

De usu Calculi differentialis in Methodo de maximis & minimis.

DEFINITIO IV.

61. Si semiordinatæ alicujus curvæ usque ad certum terminum continuo crescunt vel decrescunt, quem prætergressæ denuo decrescunt vel crescunt; methodus, per quam determinatur earum maxima vel minima, dicitur *Methodus de maximis & minimis.*

SCHOLION.

62. Potest vero hæc methodus etiam ad determinandas quantitates alias, quæ ad certum aliquem terminum crescunt vel decrescunt, adhiberi. Sed repræsentandæ sunt per curvarum semiordinatas, ut exempla inferius adducenda loquuntur.

PROBLEMA XIII.

Tab. I. Fig. 10. 11. 63. *Determinare maximam vel minimam applicatam in curva algebraica.*

RESOLUTIO.

Quoniam in curvis maximum vel minimum habentibus tangens TM degenerat tandem in DE & axi parallela evadit, adeoque normalis MH coincidit cum maxima vel minima applicata CG; erit in casu maximi vel minimi subtangens TP infinita atque subnormalis PH nihilo æqualis. Est vero PH $= ydy : dx$. Quodsi ergo ponatur $ydy : dx = 0$; reperietur $dy = 0$ & ob PT $= ydx : dy = \infty$ (quæ est nota infinitatis) $dx = \infty$.

Fieri potest, ut tangens HG in directum jaceat semiordinatæ GC: quo in casu subtangens PT nihilo æquatur & subnormalis PH fit infinita. Est vero PT $= ydx : dy = 0$ (§. 20.) quare si ponatur $ydx : dy = 0$ habebimus $dx = 0$. Vel ob PH $= ydy : dx = \infty$ reperitur $dy = \infty$. Sunt nimirum tam dx, quam y intuitu dy infinitesimæ. Tab. I. Fig. 12.

Ex æquatione itaque curvæ quærendus est valor ipsius dy, & vel nihilo, vel infinito æquandus, ut habeatur valor abscissæ, cui maxima applicata coordinatur.

COROLLARIUM I.

64. Quoniam in circulo (§. 377. part. 1.)

$$ax - xx = y^2$$

erit

$$adx - 2xdx = 2ydy$$

$$(adx - 2xdx) : 2y = dy = 0$$

$$a - 2x = 0$$

$$a = 2x$$

$$\tfrac{1}{2}a = x$$

Nempe maxima semiordinata in circulo erigitur ex centro, uti ex elementis constat (§. 299. *Geom.*).

Quodsi porro valor ipsius x in æquatione $ax - xx = y^2$ substituatur; prodibit $\frac{1}{2}aa - \frac{1}{4}aa = yy$ hoc est, $\frac{1}{4}aa = yy$. Unde $\frac{1}{2}a = y$: id quod denuo ex elementis manifestum est.

Quodsi ponamus $2ydy : (a - 2x) = dx = \infty$: erit $a - 2x$ respectu numeratoris $2ydy$ infinite parva, adeoque (§. 3) $a - 2x = 0$, ut ante.

COROL-

COROLLARIUM II.

65. Pro infinitis circulis (§. 24.)

$$max^{m-1}\,dx - (m+1)x^m\,dx = (m+1)\,y^m\,dy = 0$$

$$max^{m-1} = (m+1)\,x^m$$

$$\overline{\qquad\qquad\qquad}\;(m+1)\,x^{m-1}$$

$$ma : (m+1) = x$$

E. gr. sit $m = 3$ seu æquatio ad circulum tertii generis $y^4 = ax^3 - x^4$; erit $x = \frac{3}{4}a$, consequenter $y^4 = \frac{27}{64}a^4 - \frac{81}{256}a^4 = \frac{108}{256}a^4 - \frac{81}{256}a^4 = \frac{27}{256}a^4$. Unde $y = \frac{1}{4}a\sqrt[4]{27}$.

COROLLARIUM III.

76. Pro ellipsibus infinitis (§. 26.)

$$(m+n)ay^{m+n-1}dy = mbx^{n-1}(a-x)^n dx - nbx^m(a-x)^{n-1}dx = 0$$

$$mbx^{n-1}(a-x)^n = nbx^m(a-x)^{n-1}$$

$$ma - mx = nx$$

$$ma = mx + nx$$

$$ma : (m+n) = x.$$

Sit e. gr. ellipsis primi generis; erit $m = 1$ & $n = 1$, adeoque $x = \frac{1}{2}a$, & ob $y^2 = bx - bxx : a$ (§. 421. part. 1.), $y^2 = \frac{1}{2}ab - \frac{1}{4}ab = \frac{1}{4}ab$. Unde $y = \sqrt{\frac{1}{4}ab}$.

COROLLARIUM IV.

67. Si $x^3 + y^3 = axy$

erit $3x^2dx + 3y^2dy = axdy + aydx$

$$3x^2dx - aydx = axdy - 3y^2dy = 0$$

$$3x^2 = ay$$

$$3x^2 : a = y$$

$$27x^6 : a^3 = y^3$$

$$x^3 + 27x^6 : a^3 = 3x^3$$

$$27x^6 = 2a^3x^3$$

$$\overline{\qquad\qquad\qquad}\;x^3$$

$$27x^3 = 2a^3$$

$$3x = a\sqrt[3]{2}$$

$$x = \tfrac{1}{3}a\sqrt[3]{2}$$

Porro

$$y = 3x^2 : a = \tfrac{3}{9}a\sqrt[3]{4} = \tfrac{1}{3}a\sqrt[3]{4}$$

COROLLARIUM V.

68. Sit $y - a = a^{1:3}(a-x)^{2:3}$

erit $dy = -2a^{1:3}dx : 3(a-x)^{1:3}$

Quodsi hic valor ipsius dy ponatur nihilo æqualis; erit $-2a^{1:3} = 0$. Quamobrem cum nullus valor ipsius x inde eruatur; ponatur

$$-2a^{1:3} : 3(a-x)^{1:3} = \infty$$

erit ob denominatorem respectu numeratoris infinite parvum (§. 3)

$$3(a-x)^{1:3} = 0$$

$$a - x = 0$$

$$a = x$$

Unde $y - a = a^{1:3}(a-x)^{2:3} = a^{1:3}.0 = 0$

adeoque $y - a = 0$

$$y = a.$$

COROLLARIUM VI.

69. Sit $y^5 = a^2x^3 - x^5 + b^2c^2x$

erit $5y^4dy = 3a^2x^2dx - 5x^4dx + b^2c^2dx = 0$

$$3a^2x^2 - 5x^4 + b^2c^2 = 0$$

$$5x^4 - 3a^2x^2 = -b^2c^2$$

$$x^4 - \tfrac{3}{5}a^2x^2 = -\tfrac{1}{5}b^2c^2$$

$$\tfrac{9}{25}a^4 \qquad\qquad \tfrac{9}{25}a^4$$

$$x^4 - \tfrac{3}{5}a^2x^2 + \tfrac{9}{25}a^4 = \tfrac{9}{25}a^4 - \tfrac{1}{5}b^2c^2$$

$$\left.\begin{matrix} x^2 - \frac{3}{5}a^2 \\ \frac{3}{5}a^2 - x^2 \end{matrix}\right\} = \sqrt{(\tfrac{9}{25}a^4 - \tfrac{1}{5}b^2c^2)}$$

$$x^2 = \tfrac{3}{5}a^2 \pm \sqrt{(\tfrac{9}{25}a^4 - \tfrac{1}{5}b^2c^2)}$$

$$x = \sqrt{(\tfrac{3}{5}a^2 \pm \sqrt{(\tfrac{9}{25}a^4 - \tfrac{1}{5}b_2c^2)}}$$

Fiat $x = m$

erit $y^5 = a^2 m^3 - m^5 + b^2 c^2 m$

$$y = \sqrt[5]{(a^2 m^3 - m^5 + b^2 c^2 m)}$$

COROLLARIUM VII.

70. Sit $b^2 x^2 + a^4 = cxy^2 + x^3 y$

erit $2b^2 xdx = 2cxydy + cy^2 dx + 3x^2 ydx + x^3 dy$

$$2b^2 xdx - cy^2 dx - 3x^2 ydx = 2cxydy + x^3 dy = 0$$

$$2b^2 x - cy^2 - 3x^2 y = 0$$

$$2b^2 x = cy^2 + 3x^2 y \quad x$$

$$2b^2 x^2 = cxy^2 + 3x^3 y$$

$$b^2 x^2 = cxy^2 + x^3 y - a^4$$

$$b^2 x^2 = 2x^3 y + a^4$$

$$b^2 x^2 - a^4 = 2x^3 y$$

$$\frac{b^2 x^2 - a^4}{2x^3} = y$$

$$\frac{b^4 x^4 - 2a^4 b^2 x^2 + a^8}{4x^6} = y^2$$

$$\frac{b^4 cx^4 - 2a^4 b^2 cx^2 + a^8 c}{4x^6} = cy^2$$

$$\frac{3b^2 x^2 - 3a^4}{2x} = 3x^2 y$$

adeoque ob

$$2b^2 x - cy^2 - 3x^2 y = 0$$

$$2b^2 x - \frac{b^4 cx^4 - 2a^4 b^2 cx^2 + a^8 c}{4x^6} - \frac{3b^2 x^2 - 3a^4}{2x} = 0$$

h. e. $\frac{1}{2}b^2 x - \frac{b^4 cx^4 - 2a^4 b^2 cx^2 + a^8 c}{4x^6} + \frac{3a^4}{2x} = 0$

$$2b^2 x^7 + 6a^4 x^5 - b^4 cx^4 + 2a^4 b^2 cx^2 - a^8 c = 0$$

$$x^7 + \frac{3a^4 x^5}{b^2} - \frac{1}{2}b^2 cx^4 + a^4 cx^2 - \frac{a^8 c}{2b^2} = 0$$

quæ est æquatio exprimens valorem ipsius x, seu abscissæ semiordinatæ maximæ respondentis.

PROBLEMA XIV.

71. *Ex dato puncto* R *in axe* AX *curvæ Algebraicæ ducere ad perimetrum curvæ rectam* MR, *quæ sit minima omnium ex eodem puncto* R *ducendarum.* Tab. I. Fig. 13.

RESOLUTIO.

Sit $AP = x$, $PM = y$, $AR = c$, erit $PR = c - x$ & ob $PM^2 + PR^2 = MR^2$ (§. 417. *Geom.*), $MR^2 = c^2 - 2cx + x^2 + y^2$. Concipiamus ergo curvam, cujus applicata sit MR (§. 62) erit

$$c^2 - 2cx + x^2 + y^2 = z^2$$

$$-2cdx + 2xdx + 2ydy = 2zdz = 0$$

$$ydy + xdx - cdx = 0$$

Quodsi ex æquatione ad curvam Algebraicam data pro ydy substituatur valor ejus; valorem ipsius x eruere licet.

COROLLARIUM I.

72. In parabola (§. 21.)

$$\tfrac{1}{2}adx = ydy$$

Ergo $\frac{1}{2}adx + xdx - cdx = 0$

$$x = c - \tfrac{1}{2}a \;\&\; \tfrac{1}{2}a = c - x$$

Hinc $ax = ac - \frac{1}{2}aa = y^2$ & $(c - x)^2 + y^2 = \frac{1}{4}aa + ac - \frac{1}{2}aa = ac - \frac{1}{4}aa = z^2$ Unde $MR = z = \sqrt{(ac - \frac{1}{4}aa)}$. Est adeo $MR^2 : PM^2 = ac - \frac{1}{4}aa : ac - \frac{1}{2}aa = c - \frac{1}{4}a : c - \frac{1}{2}a$.

Quia $PR = c - x = \frac{1}{2}a$, evidens est PR esse subnormalem (§. 36), consequenter MR normalem, unde patet

Theorema. Perpendicularis ad parabolam est minima, quæ ex dato in axe puncto ad eam duci potest.

COROLLARIUM II.

73. In hyperbola æquilatera (§. 505. *part.* 1.)

$$ax + xx = y^2$$
$$adx + 2xdx = 2ydy$$
$$\tfrac{1}{2}adx + xdx = ydy$$

Quare $\tfrac{1}{2}adx + xdx + xdx - cdx = 0$ (§. 71)

$$2x = c - \tfrac{1}{2}a$$
$$x = \tfrac{1}{2}c - \tfrac{1}{4}a$$

Sive PR $= c - x = \tfrac{1}{2}c + \tfrac{1}{4}a$

Quoniam subnormalis reperitur $x + \tfrac{1}{2}a$ (§. 35.), PR $= c - x = \tfrac{1}{2}c + \tfrac{1}{4}a$ est denuo subnormalis, consequenter &

Theorema. In hyperbola æquilatera normalis est brevissima omnium rectarum, quæ ex dato in axe puncto ad eam duci possunt.

COROLLARIUM III.

74. In ellipsi primi generis est (§. 420 *part.* 1.)

$$ay^2 = abx - bx^2$$
$$2aydy = abdx - 2bxdx$$
$$ydy = (abdx - 2bxdx) : 2a$$

Quare $\tfrac{1}{2}bdx - bxdx : a + xdx - cdx = 0$

$$\tfrac{1}{2}b - c - bx : a + x = 0$$
$$x - \frac{bx}{a} = c - \tfrac{1}{2}b$$
$$ax - bx = ac - \tfrac{1}{2}ab$$
$$x = (ac - \tfrac{1}{2}ab) : (a - b)$$
$$c - x = (\tfrac{1}{2}ab - bc) : (a - b).$$

Cum subnormalis reperiatur $\tfrac{1}{2}b - bx : a$ (§. 35), erit PR $= c - x = \tfrac{1}{2}b - (bc - \tfrac{1}{2}bb) : (a - b) = (\tfrac{1}{2}ab - bc) : (a - b)$, ut adeo PR denuo sit subnormalis, consequenter &

Theorema. In ellipsi normalis sit linea recta brevissima, quæ ex dato in axe puncto ad eam duci potest.

COROLLARIUM IV.

75. Eodem modo in hyperbola scalena reperitur $x = (ac - \tfrac{1}{2}ab) : (a + b)$.

COROLLARIUM V.

76. Quoniam $ydy + xdx - cdx = 0$ (§. 71)

$$ydy = cdx - xdx$$
$$\frac{ydy}{dx} = c - x = PR$$

Est adeo PR subnormalis (§. 35), atque adeo patet generale

Theorema: In omni curva perpendicularis est linea recta brevissima, quæ ex dato puncto in axe ad eam duci potest.

PROBLEMA XV.

77. *A puncto* C *extra curvam Algebraicam dato ducere rectam* CM, *quæ sit minima omnium ex eodem puncto* C *ad curvam ducendarum.* Tab. I. Fig. 14.

RESOLUTIO.

Ob punctum C datum datur quoque perpendicularis ad axem CD, itemque AD. Sit AD $= p$, CD $= q$, AP $= x$, PM $= y$; erit MH $=$ AP $-$ AD $= x - p$ & CH $=$ CD $-$ PM $= q - y$, consequenter $MC^2 = CH^2 + HM^2 = q^2 - 2qy + yy + x^2 - 2px + pp$. Cum adeo MC^2 sit minimum quoddam; erit ejus differentiale nihilo æquale (§. 63.) hoc est, $-2qdy + 2ydy + 2xdx - 2pdx = 0$

seu $(y - q)\,dy + (x - p)\,dx = 0$.

Reliqua peragenda sunt ut in problemate præcedente (§. 71).

COROLLARIUM I.

78. Si curva AMO fuerit parabola primi generis; erit

$$ax = y^2$$
$$adx = 2ydy$$
$$dx = 2ydy : a$$

 Unde

Unde $y - q + (x - p)\,2y : a = 0$

$$ay - aq + 2xy - 2py = 0$$

$$ay - aq + 2y^3 : a - 2py = 0$$

$$aay - aaq + 2y^3 - 2apy = 0$$

h. e. $y^3 + \frac{1}{2}a^2 y - \frac{1}{2}aaq = 0$
$\quad - apy$

Tab. I. Fig. 10. Quodsi hæc æquatio ope parabolæ datæ atque circuli construatur (§. 622. *part.* 1.); una eademque opera determinantur & AP & PM, & punctum M. Nimirum (*vi §. cit.*) fieri debet $AL = \frac{1}{2}a - \frac{1}{4}a + \frac{1}{2}p = \frac{1}{4}a + \frac{1}{2}p$ & $IL = \frac{1}{4}q$, atque centro I per verticem parabolæ A describendus est circulus, qui eam in puncto desiderato M secabit. Erit autem $AL = \frac{1}{4}a + \frac{1}{2}p$; si ex A in G transferatur $\frac{1}{2}a$ & DG bifariam secetur in L. Nam $AD = p$, adeoque $DG = \frac{1}{2}a - p$. Ergo $DL = \frac{1}{4}a - \frac{1}{2}p$, consequenter $AL = \frac{1}{4}a - \frac{1}{2}p + p = \frac{1}{4}a + \frac{1}{2}p$. His factis $AP = x$, $PM = y$. Etenim ex natura parabolæ $AP = y^2 : a$, adeoque $LP = IR = y^2 : a - \frac{1}{4}a - \frac{1}{2}p$, consequenter $IR^2 = y^4 : a^2 - \frac{1}{2}y^2 + \frac{1}{16}a^2 - py^2 : a + \frac{1}{4}ap + \frac{1}{4}p^2$. Porro $MR = y - \frac{1}{4}q$, adeoque $MR^2 = y^2 - \frac{1}{2}qy + \frac{1}{16}q^2$. Habemus itaque (§. 417 *Geom.*) $MI^2 = IR^2 + MR^2 = y : a^2 - \frac{1}{2}y^2 + \frac{1}{16}a^2 - py^2 : a + \frac{1}{4}ap + \frac{1}{4}p^2 y^2 + - \frac{1}{2}qy + \frac{1}{16}q^2$. Est vero $MI^2 = AI^2 = IL^2 + LA^2 = \frac{1}{16}a^2 + \frac{1}{4}ap + \frac{1}{4}p^2 + \frac{1}{16}q^2$. Quare

$$\frac{y^4}{a^2} + \frac{1}{2}y^2 - \frac{1}{2}qy = 0$$
$$- \frac{py^2}{a}$$

$$y^4 + \frac{1}{2}a^2 y^2 - \frac{1}{2}a^2 qy = 0$$
$$- apy^2$$

$$y^3 + \frac{1}{2}a^2 y - \frac{1}{2}a^2 q = 0$$
$$- apy$$

quæ est æquatio ad construendum proposita.

COROLLARIUM II.

79. Quoniam (§. 77)
$(y - q)\,dy + (x - p)\,dx = 0$

erit $(x - p)\,dx = (q - y)\,dy$
$$\frac{(x - p)y}{q - y} = \frac{ydy}{dx}$$

Jam porro (§. 268 *Geom.*)
CH : MH = CD : Dr
$q - y : x - p = q : Dr$

adeoque $Dr = \frac{qx - pq}{q - y}$, consequenter ob $DP = x - p$, $Pr = \frac{qx - pq}{q - y} - x + p = (qx - pq - qx + pq + xy - py) : (q - y) = (x - p)y : (q - y)$. Est adeo $PR = ydy : dx$ subnormalis (§. 35.) Patet adeo denuo generale

Theorema. In omni curva AMO linea ad eam perpendicularis est brevissima omnium, quæ ex dato extra eam puncto C ad eam duci possunt.

SCHOLION.

80. *Ex allato exemplo liquet, si problema non fuerit planum, consultius esse ut in expressione generali valor potius ipsius* dx, *quam* dy *substituatur. Nec absimili modo in curvis algebraicis determinatur punctum intra earum ambitum datum, a quo ad earum perimetros ducantur rectæ minimæ: quemadmodum ex sequente problemate patet.*

PROBLEMA XVI.

81. *A puncto* C *intra curvam algebraicam dato ducere rectam* CM, *quæ sit minima omnium ex eodem puncto* C *ad curvam ducendarum.* Tab. IV. Fig. 44.

Sit $AD = p$, $CD = q$, $AP = x$, $PM = y$, erit $HC = PD = p - x$ & $MH = y - q$, consequenter $MC^2 = MH^2 + HC^2$ (§. 417 *Geom.*) $= y^2 - 2qy + q^2 + p^2 - 2px + x^2$. Cum MC^2 sit minimum quoddam ex hypothesi: erit ejus differentiale nihilo æqua-

æquale (§. 63), hoc eſt, $2ydy - 2qdy - 2pdx + 2xdx = 0$ ſeu $(y-q)\,dy - dx\,(p-x) = 0$. Reliqua peragenda ſunt ut in problemate 14 (§. 71).

COROLLARIUM I.

82. Quoniam $(y-q)\,dy = (p-x)\,dx$

$$\text{erit } \frac{dy}{dx} = \frac{p-x}{y-q}.$$

$$\frac{ydy}{dx} = \frac{(p-x)y}{y-q} = \frac{HC.\,PM}{MH}$$

Quare cum ſit $MH : HC = PM : PR$ (§. 268 *Geom.*); erit PR ſubnormalis (§. 35). Patet adeo denuo.

Theorema. In omni curva AMO linea normalis eſt breviſſima, quæ a dato intra eam puncto C ad eam duci poteſt.

COROLLARIUM II.

83. Linea itaque ad curvam normalis eſt breviſſima omnium, quæ a dato quocunque in eodem plano puncto ad eam duci poteſt (§. 76. 79. 82).

PROBLEMA XVII.

Tab. II. Fig. 15. 84. *Lineam rectam* AB *ita ſecare in* D, *ut rectangulum ex* AD *&* DB *ſit maximum eorum, quæ hac ratione conſtrui poſſunt.*

Sit $AB = a$, $AD = x$, erit $DB = a - x$, conſequenter $AD.\,DB = ax - xx$ maximum aliquod, atque hinc (§. 63) ejus differentiale nihilo æquale: concipitur nempe eſſe ad circulum, ad quem

$$ax - xx = yy$$

$$\text{Quare } adx - 2xdx = 2ydy = 0$$

$$a - 2x = 0$$

$$\tfrac{1}{2}a = x$$

Linea igitur AB eſt ſecanda in duas partes æquales, eſtque quadratum omnium rectangulorum maximum, quorum altitudines & baſes junctim ſumtæ inter ſe æquantur.

PROBLEMA XVIII.

85. *Lineam rectam* AB *ita ſecare in* D, *ut* $AD^m.\,DB^n$ *ſit maximum factorum ſimili modo formatorum.* Tab. II. Fig. 15.

Sit denuo $AB = a$, $AD = x$, erit $DB = a - x$, conſequenter $AD^m.\,DB^n = x^m(a-x)^n$. Erit igitur x abſciſſa reſpondens ſemiordinatæ maximæ in infinitis circulis, ad quos $x^m(a-x)^n = y^{m+n}$ (§. 517. *part.* I.) & hinc (§. 63)

$$mx^{m-1}(a-x)^n\,dx - nx^m(a-x)^{n-1}dx = 0$$

$$mx^{m-1}(a-x)^n = nx^m(a-x)^{n-1}$$

$$m(a-x) = nx$$

$$ma = mx + nx$$

$$ma : (m+n) = x$$

Sit e. gr. $m = 2$, $n = 1$, erit $x = \tfrac{2}{3}a$, hoc eſt, ſi recta $AD = \tfrac{1}{3}a$ & $BD = \tfrac{2}{3}a$, atque BD ſumatur pro altitudine priſmatis, AD pro latere quadrati, quod eſt baſis ejusdem; erit priſma omnium maximum eorum, quæ ex diviſione rectæ AB in duas partes formari poſſunt.

PROBLEMA XIX.

86. *Super recta* AB *tanquam hypothenuſa triangulum rectangulum maximum conſtruere.* Tab. II. Fig. 16.

Sit $AB = a$, $AC = x$, erit (§. 417 *Geom.*) $BC = \sqrt{(aa - xx)}$, area (§. 392. *Geom.*) $= \tfrac{1}{2} AC.\,CB = \tfrac{1}{2}x\sqrt{(aa-xx)}$. Habemus adeo æquationem ad curvam quarti generis

$$x\sqrt{(aa-xx)} = 2y^2$$

$$\text{ſeu } aaxx - x^4 = 4y^4$$

 Unde

Unde $2a^2xdx - 4x^3\,dx = 16y^3dy = 0$

$2a^2x = 4x^3$ $\quad 4x$

$\frac{1}{2}a^2 = x^2$

$\sqrt{\frac{1}{2}a^2} = x$

Patet adeo triangulum maximum esse æquicrurum. Nam si $AB^2 = aa$ & $AC^2 = \frac{1}{2}aa$, erit etiam $CB^2 = \frac{1}{2}aa$, consequenter $AC = CB$.

PROBLEMA XX.

Tab.II. Fig.17. 87. *Inter omnes Conos æquales determinare eum, qui maximam habet superficiem.*

Sit soliditas conorum æqualium a^3, ratio radii ad peripheriam $r:p$, radius Coni $AC = x$; erit $r:p = x:\frac{px}{r}$. Hæc peripheria basis $px:r$ ducta in $\frac{1}{2}x$ dat basin Coni $px^2:2r$ (§. 429 *Geom.*): per quam si dividatur a^3, habetur $\frac{1}{3}DC = 2a^3r:px^2$ (§. 548 *Geom.*). Unde $DC = 6a^3r:px^2$ &

$DC^2 = 36a^6r^2:p^2x^4$

$AC^2 = \quad x^2$

$AD^2 = x^2 + 36a^6r^2:p^2x^4$ (§.417 *Geo.*)

$AD = \sqrt{(p^2x^6 + 36a^6r^2)}:px^2$

$\frac{1}{2}$ peripheria Bas. $px:2r$

Superf. Coni $\sqrt{(p^2x^6 + 36a^6r^2)}:2rx$ (§. 548 *Geom.*)

Habemus itaque vi methodi de maximis & minimis (§. 63.)

$(p^2x^6 + 36a^6r^2):4r^2x^2 = y^2$

h. e. $p^2x^4:4r^2 + 9a^6:x^2 = y^2$

$4p^2x^3dx:4r^2 - 18a^6xdx:x^4 = 2ydy = 0$

$p^2x^3\,dx:r^2 - 18a^6dx:x^3 = 0$

$p^2x^3:r^2 = 18a^6:x^3$

$p^2x^6 = 18a^6r^2$

$px^3 = 3a^3r\sqrt{2}$

$x^3 = 3a^3r\sqrt{2}:p$

$x = a\sqrt[3]{(3r\sqrt{2}:p)}$

Quoniam $px^3 = 3a^3r\sqrt{2}$, erit $x^3:a^3 = 3r\sqrt{2}:1p$, consequenter evidens est

Theorema. Cubus radii Coni inter æquales maximam superficiem habentis est ad ipsum Conum in ratione composita radii ad peripheriam & $3\sqrt{2}$ ad 1.

PROBLEMA XXI.

88. *Sit* ADB *semicirculus & curva* AMD *ejus naturæ, ut sit* $BP:PN = AP:PM$; *determinare punctum* M, *in quo* MN *est maxima linea earum, quæ simili modo determinantur.*

Sit diameter semicirculi $AB = a$, $AP = x$; erit $PB = a - x$ & $PN = \sqrt{(ax - x^2)}$ (§. 327. 377 *Geom.*). Est vero *per hypoth.* Tab. IV. Fig.45.

$BP:PN = AP:PM$

$a-x:\sqrt{(ax-x^2)} = x:PM$

adeoque $PM = \frac{x\sqrt{(ax-x^2)}}{a-x} = \frac{\sqrt{x^3}}{\sqrt{(a-x)}}$, consequenter $NM = PN - PM = \sqrt{(ax - x^2)} - \sqrt{x^3}:\sqrt{(a-x)}$ & hinc $MN^2 = a^2x - 2ax^2 + 2x^3 - 2\sqrt{(a^2x^4 - 2ax^5 + x^6)}:(a-z) =$ (ob $\sqrt{(a^2x^4 - 2ax^5 + x^6)} = ax^2 - x^3$), $\frac{a^2x - 4ax^2 + 4x^3}{a-x}$. Quare cum NM^2 sit maximum aliquod erit (§. 63)

$$\frac{(a^2 - 8ax + 12x^2)(a-x)dx + (a^2 - 4ax^2 + 4x^3)dx}{(a-x)^2} = 0$$

$(a^2 - 8ax + 12x^2)(a-x) + a^2x - 4ax^2 + 4x^3 = 0$

h. e.

h. e. $\left.\begin{array}{l} a^3 - 8a^2x + 12ax^2 \\ - a^2x + 8ax^2 - 12x \\ + a^2x - 4ax^2 + 4x^3 \end{array}\right\} = 0$

$$a^3 - 8a^2x + 16ax^2 - 8x^3 = 0 \quad (a-2x)$$

$$a^2 - 6ax + 4x^2 = 0$$

$$4x^2 - 6ax = - a^2 \quad (4)$$

$$x^2 - \tfrac{3}{2}ax = - \tfrac{1}{4}a^2$$

$$\tfrac{9}{16}a^2 = \tfrac{1}{4}a^2 + \tfrac{5}{16}a^2$$

$$x^2 - \tfrac{3}{2}ax + \tfrac{9}{16}a^2 = \tfrac{5}{16}a^2$$

$$\tfrac{3}{4}a - x = \tfrac{1}{4}\sqrt{5a^2}$$

$$x = \tfrac{3}{4}a - \tfrac{1}{4}\sqrt{5a^2}$$

Dividatur radius CB bifariam in E, erit CE $= \frac{1}{4}a$, adeoque ob CD $= \frac{1}{2}a$ DE $= \sqrt{\frac{5}{16}a^2} = \frac{1}{4}\sqrt{5a^2}$. Fiat EP = ED: erit PB $= \frac{1}{4}a + \frac{1}{4}\sqrt{5a^2}$, consequenter AP = AB — PB $= \frac{3}{4}a - \frac{1}{4}\sqrt{5a^2}$.

PROBLEMA XXII.

Tab. IV. Fig. 46. 89. *Determinare maximam applicatam* QN *in curva* AMND *ejus naturæ, ut ducta recta* FM *per punctum* D, *in quo recta* AE *lineam* CB *positione datam secat, sit eidem* AE *constanter æqualis.*

Sit FM = AE $= a$, DE $= b$, EP = MG $= x$, erit DP $= x - b$ & FG $= \sqrt{(a^2 - x^2)}$ (§. 417. *Geom.*). Jam cum anguli ad P & G sint recti *per construct.* & ob parallelas FG & MP (§. 256. *Geom.*) $o = n$ (§. 233. *Geom.*), erit $\triangle$FGM $\backsim$ $\triangle$PDM & ideo (§. 267. *Geom.*)

$$\text{MG} : \text{GF} = \text{DP} : \text{PM}$$

$$x : \sqrt{(a^2 - x^2)} = x - b : \text{PM}$$

adeoque $\text{PM} = \frac{(x-b)\sqrt{(a^2-x^2)}}{x} = (1 - \frac{b}{x})(\sqrt{(a^2 - x^2)})$

Hinc $\text{PM}^2 = (1 - \frac{2b}{x} + \frac{b^2}{x^2})(a^2 - x^2)$

$$= a^2 - \frac{2a^2b}{x} + \frac{a^2b^2}{x^2} - x^2 + 2bx - b^2$$

Habemus adeo (§. 63)

$$\frac{2a^2bdx}{x^2} - \frac{2a^2b^2dx}{x^3} - 2xdx + 2bdx = 0$$

$$\frac{a^2b}{x^2} - \frac{a^2b^2}{x^3} - x + b = 0 \quad (x^3)$$

$$a^2bx - a^2b^2 - x^4 + bx^3 = 0 \quad (x-b)$$

$$a^2b - x^3 = 0$$

$$x^3 = a^2b$$

$$x = \sqrt[3]{a^2b}.$$

Parametro a circa axem EB describatur parabola EIR (§. 400 *part.* I.) fiatque (§. 222. *part.* I.) EO $= \frac{1}{2}a$ & OK ad EB perpendicularis $= \frac{1}{2}b$. Ex centro K radio KE describatur circulus EIT secans parabolam in I, erit IL ad EB perpendicularis (= EQ) $= x$, adeoque QN perpendicularis ad AE transiens per I maxima applicata.

Est enim IS = IL — SL $= x - \frac{1}{2}b$, & cum EL $= x^2 : a$ (§. 391 *part.* I.) LO $=$ SK $= \frac{1}{2}a - x^2 : a$. Quare SI$^2 = x^2 - bx + \frac{1}{4}b^2$ & SK$^2 = \frac{1}{4}a^2 - x^2 + x^4 : a^2$, consequenter EK^2 = IK$^2 = \frac{1}{4}a^2 + \frac{1}{4}b^2 - bx + x^4 : a^2$. Unde ob EK$^2 = \frac{1}{4}a^2 + \frac{1}{4}b^2$ habetur $x^4 : a^2 - bx = 0$, adeoque $x^3 - a^2b = 0$.

PROBLEMA XXIII.

90. *Determinare maximam applicatam* PM *curvæ* AME *ejus naturæ, ut diameter circuli* ANB *sit axi* AE *& rectæ per* A *ductæ* MN *in quolibet curvæ puncto* M *æqualis.* Tab. IV. Fig. 47.

Sit MN = AB = AE $= a$, AM $= x$, PM $= y$, erit AN $= a - x$. Jam cum AB & PM sint ad AE perpendiculares *per hypoth.* erunt eædem inter se parallelæ (§. 256 *Geom.*). Quare cum porro angulus ad P rectus sit (§. 78. *Geom.*) & ANB,

qui

qui eſt, in ſemicirculo, ſit itidem rectus, (§. 317 *Geom.*); erit $\triangle$ AMP $\sim \triangle$ ANB (§. 267 *Geom.*) &

$$PM : AM = AN : AB$$
$$y : x = a-x : a$$
$$ay = ax - x^2$$
$$ady = adx - 2xdx = 0$$
$$a - 2x = 0$$
$$a = 2x$$
$$\tfrac{1}{2}a = x$$

Hinc porro $y = x - \frac{x^2}{a} = \frac{1}{2}a - \frac{1}{4}a = \frac{1}{4}a$

Eſt igitur in caſu applicatæ maximæ AM $= \frac{1}{2}a$: unde reperitur AP $= \frac{1}{4}\sqrt{3a^2}$ (§. 417. *Geom.*)

SECTIO SECUNDA.

DE CALCULO INTEGRALI SEU SUMMATORIO.

CAPUT I.

De natura Calculi integralis.

DEFINITIO V.

91. *Calculus Integralis* ſeu *Summatorius* eſt Methodus quantitates differentiales ſummandi, hoc eſt, ex quantitate differentiali data inveniendi eam, ex cujus differentiatione reſultat differentiale datum.

COROLLARIUM.

92. Integrationis itaque ſeu ſummationis rite peractæ indicium eſt, ſi quantitas inventa juxta regulas Cap. I. Sect. I. traditas differentiata eam producit, quæ ad ſummandum proponebatur.

SCHOLION.

93. *Quoniam Angli differentialia quantitatum fluxiones vocant* (§ 6); *Calculum*, *quem nos differentialem dicimus*, Methodum fluxionum; *quem vero integralem vocamus & qui a differentiis ad ſummas, ſeu, ut cum Anglis loquar, a fluxionibus ad quantitates fluentes (ita nimirum variabiles dicunt) aſcendit*, Methodum fluxionum inverſam *appellant.*

HYPOTHESIS.

94. *Signum ſummæ aut quantitatis integralis ſit* ∫, *ita ut* ∫ydx *denotet ſummam ſeu integrale differentialis* ydx.

PROBLEMA XXIV.

95. *Quantitatem differentialem integrare ſeu ſummare.*

RESOLUTIO.

Ex ſuperioribus manifeſtum eſt, quod ſit

I. $\int dx = x$ (§. 8).

II. $\int (dx \mp dy) = x \mp y$ (§. 11).

III. $\int (xdy + ydx) = xy$ (§. 12).

IV. $\int mx^{m-1}\, dx = x^m$ (§. 13).

V. $\int (n:m)\, x^{(n-m):m}\, dx = x^{n:m}$ (§. 17).

VI. $\int (ydx - xdy):y^2 = x : y$ (§. 19).

Ex his caſus quartus & quintus frequentius occurrunt, in quibus quantitas differentialis ſummatur, ſi exponenti variabilis unitas additur, & ea, quæ prodit, dividitur per novum exponentem ductum in differentiale radicis e. gr. in caſu quarto per $(m - 1 + 1)\, dx$, hoc eſt, per mdx.

Quodſi quantitas differentialis ad ſummandum

mandum proposita nulli illarum formularum similis; aut reducenda est ad summabilem finitam, aut ad seriem infinitam cujus singuli termini summari possunt, vel etiam ad quadraturas & rectificationes Curvarum simpliciorum, quæ quadrari vel rectificari nondum possunt, veluti ad Quadraturam Circuli, vel rectificationem arcus circuli: quas reductiones exemplis potius, quam regulis docemus, ne calculi tyronibus nauseam moveamus.

Et quia eadem differentialia prodeunt, si variabilibus constantes quantitates adjiciantur, quam si eædem abfuerint (§.10); itaque fieri potest, ut $\int dx$ sit $x + a$ vel $x - a$, $\int(xdy+ydx) = xy \mp a^2$, vel $xy \pm ab$, ita porro. Sed quid de quantitate adjicienda tenendum sit, docebitur paulo post.

SCHOLION.

96. Quemadmodum in analysi finitorum quælibet quantitas ad quemcunque dignitatis gradum evehi, sed non vice versa ex qualibet radix extrahi potest desiderata; ita similiter in analysi infinitesimali quantitas quælibet variabilis aut ex variabilibus & constantibus quomodocunque composita haud difficulter differentiatur, sed non vice versa quodlibet differentiale integrari potest. Quemadmodum autem porro in analysi finitorum non ex omnibus æquationibus radices extrahendi Methodus hactenus inventa, neque enim ætas nostra transcendit limites ultra seculum & quod excurrit Algebræ jam assignatos: ita similiter in analysi infinitorum calculus integralis suam perfectionem nondum est assecutus. Sicuti autem in analysi finitorum ad methodos extrahendi radicem per approximationem recurrimus, ubi perfectam extrahere non datur; ita similiter in analysi infinitorum ad series infinitas confugimus, ubi perfectam summationem dare non valemus.

CAPUT II.

De usu Calculi integralis in quadraturis curvarum.

DEFINITIO VI.

Tab. I. Fig. 2. 97. *Differentiale seu elementum areæ dicitur rectangulum* PMRP *ex semiordinata* PM *in differentiale absscissæ* Pp.

COROLLARIUM. I.

98. Si ergo semiordinata $PM = y$ abscissa $AP = x$, erit $Pp = MR = dx$, consequenter Elementum areæ PM. MR $= ydx$.

COROLLARIUM II.

99. Quoniam $mR = dy$ & $MR = dx$; erit $\triangle MRm = \frac{1}{2}dxdy$ (§.392 *Geom.*). Sed $\frac{1}{2}dxdy$ est ipsius ydx infinitesima (§.12.), consequenter trapezium PMmp æquale est rectangulo PMRp in præsente nimirum casu ubi pm ipsi PM infinite propinqua intelligitur (§.4.). Quare cum area AMP in infinita istiusmodi trapezia resolvi possit; erit ea $\int ydx$ (§. 91. 94).

COROLLARIUM III.

100. Quodsi itaque ex æquatione ad curvam datam substituatur valor ipsius y, & ydx integrabile evadat; integratione peracta habetur quadratura curvæ. Curvam igitur quadrare idem est ac summare ydx.

PROBLEMA XXV.

101. *Invenire aream trianguli.*

Sit $CP = x$, $MN = y$, $CD = a$, $AB = b$; Tab. II. Fig. 18. erit ob MN ipsi AB parallelam, (§.268. 396. *Geom.*)

$$CP : MN = CD : AB$$
$$x : y = a : b$$
$$y = bx : a$$

Ergo

Ergo elementum $MNnm = ydx$ (§. 98) $= bxdx : a$ Unde habetur $\int ydx = bx^2 : 2a$ (§. *cit.*): quæ eſt area indefinita CMN. Quodſi pro CP ſeu x ſubſtituatur CD ſeu a; prodibit area totius trianguli $ACB = ba^2 : 2a = \frac{1}{2}ab = \frac{1}{2}AB$. CD, prorſus ut in Elementis Geometriæ (§. 392) demonſtratum.

SCHOLION.

102. *Hoc exemplum ideo attulimus, ut tyrones, quibus principia Calculi ſummatorii ſub initium duriora videntur, intelligant, per eum non alia reperiri, niſi quæ demonſtrationibus rigidis firmantur; tum ut methodi applicationem in exemplo obvio facilius perſpiciant.*

PROBLEMA XXVI.

103. *Parabolam quadrare.*

Pro parabola Apolloniana (§. 388 *part.* I.)

$$ax = y^2$$
$$a^{1:2}x^{1:2} = y$$
$$ydx = a^{1:2}x^{1:2}dx$$
$$\int ydx = \tfrac{2}{3}a^{1:2}x^{3:2} = \tfrac{2}{3}xy,$$

ſubſtituto valore ipſius $a^{1:2}x^{1:2}$.

COROLLARIUM.

104. Eſt ergo ſpatium parabolicum ad rectangulum ex ſemiordinata in abſciſſam ut $\frac{2}{3}xy$ ad xy, hoc eſt, ut 2 ad 3 (§. 124. *part.* I.).

PROBLEMA XXVII.

105. *Infinitas parabolas quadrare.*

Pro infinitis parabolis & curvis agnatis (§. 519 *part.* I)

$$a^n x^m = y^r$$
$$a^{n:r} x^{m:r} = y$$
$$ydx = a^{n:r} x^{m:r} dx$$
$$\int ydx = \frac{r}{m+r} a^{n:r} x^{m:r+1} = \frac{r}{m+r} xy$$

ob $a^{n:r} x^{m:r} = y$.

COROLLARIUM.

106. Spatium parabolicum aut paraboloidicum quodcunque eſt ad rectangulum ex ſemiordinata in abſciſſam, ut $rxy : (m+r)$ ad xy, hoc eſt, ut r ad $m+r$ (§. 124 *part.* I.).

PROBLEMA XXVIII.

107. *Quadrare ſegmentum ſpatii parabolici* PMQN *inter duas ſemiordinatas* PM *&* QN *interceptum.* Tab. II. Fig. 19.

I. Quoniam AP conſtans eſt & origo abſciſſæ indeterminatæ in P: ſit $AP = b$, $PQ = x$, $QN = y$, $AQ = b + x$. Sit porro parameter $= a$, erit (§. 388 *part.* I.)

$$ab + ax = y^2$$
$$\sqrt{(ab + ax)} = y$$
$$ydx = dx\sqrt{(ab + ax)}$$

Ut hoc elementum integrabile reddatur; fiat

$$\sqrt{(ab + ax)} = v$$

erit

$$ab + ax = v^2$$
$$adx = 2vdv$$
$$dx = 2vdv : a$$
$$ydx = 2v^2dv : a$$
$$\int ydx = \tfrac{2}{3}v^3 : a = \tfrac{2}{3}(ab + ax)\sqrt{(ab + ax)} : a = \tfrac{2}{3}(b + x)\sqrt{(ab + ax)}.$$

Quoniam in P, $x = 0$, & ſpatium quoque QNMP evaneſcit; ſi in integrali inventa ponatur $x = 0$, quod relinquitur $\frac{2}{3}b\sqrt{ab}$, oſtendit quid ei adjiciendum vel demendum, ut ſpatium QNMP nihilum evadat in P, conſequenter ut integrale fiat quadratura ipſius QNMP. Habemus nempe in noſtro caſu ſubtrahendum $\frac{2}{3}b\sqrt{ab}$: unde

unde ipsius QNMP area $= \frac{2}{3}(b+x)\sqrt{(ab+ax)} - \frac{2}{3}b\sqrt{ab}$.

II. Sit AQ constans, & $= b$, origo ipsius x in Q, erit QP $= x$, PM $= y$, AP $= b - x$ & (§. 351)

$$ab - ax = y^2$$

$$\sqrt{(ab - ax)} = y$$

$$ydx = dx\sqrt{(ab - ax)}$$

Fiat ut ante $ab - ax = v^2$

erit $-adx = 2vdv$

$$dx = -2vdv : a$$

$$ydx = -2v^2dv : a$$

$$\int ydx = -\tfrac{2}{3}v^3 : a = -\tfrac{2}{3}(b-x)\sqrt{(ab-ax)}$$

Ut intelligatur, quid integrali sit adjiciendum, quo spatii PMNQ mensuram constituat; ponatur ut ante $x = 0$, relinquetur $-\frac{2}{3}b\sqrt{ab}$. Unde manifestum est, si illi adjiciatur $+\frac{2}{3}b\sqrt{ab}$, haberi spatium PMNQ $= \frac{2}{3}\sqrt{ab} - \frac{2}{3}(b-x)\sqrt{(ab - ax)}$

SCHOLION.

108. *Spatium* PMNQ, *esse in casu priore* $\frac{2}{3}(b+d)\sqrt{(ab+ax)} - \frac{2}{3}b\sqrt{ab}$, *in posteriore* $\frac{2}{3}b\sqrt{ab} - \frac{2}{3}(b-x)\sqrt{(ab-ax)}$ *etiam ex problemate* 26. (§.103.) *manifestum est. Nimirum* PMNQ $=$ ANQ$-$AMP. *Sed in casu priore* AMQ $= \frac{2}{3}$ AQ. QN $= \frac{2}{3}(b+x)\sqrt{(ab+ax)}$, *&* AMP $= \frac{2}{3}$AP. PM $= \frac{2}{3}b\sqrt{ab}$. *Unde* PMNQ $= \frac{2}{3}(b+x)\sqrt{(ab+ax)} - \frac{2}{3}b\sqrt{ab}$. *In posteriore* ANQ $= \frac{2}{3}$AQ. QN $= \frac{2}{3}b\sqrt{ab}$ *&* AMP $= \frac{2}{3}$AP. PM $= \frac{2}{3}(b-x)\sqrt{(ab-ax)}$. *Unde* QNMP $= \frac{2}{3}b\sqrt{ab} - \frac{2}{3}(b-x)\sqrt{(ab-ax)}$.

COROLLARIUM.

109. Quodsi adeo curva non supponatur descripta, sed tantum æquatio ad eam detur, ut adeo non constet, ubi origo ipsius x sit statuenda; evidens est, ex resolutione problematis præsentis, quod in integrali poni debeat $x = 0$ & deletis iis, quæ per x multiplicantur, residuum, si quod fuerit, sub signo contrario ipsi sit adjiciendum, ut habeatur quadratura quæsita.

PROBLEMA XXIX.

110. *Quadrare curvam, ad quam* $xy^3 = a^4$. Quoniam

$$y = a^{4:3}x^{-1:3}$$

erit $ydx = a^{4:3}x^{-1:3}\,dx$

$$\int ydx = \tfrac{3}{2}a^{4:3}x^{2:3} = \tfrac{3}{2}\sqrt[3]{a^4x^2} = \tfrac{3}{2}a\sqrt[3]{ax^2}.$$

PROBLEMA XXX.

111. *Quadrare curvam* Cartesii (d), *ad quam* $b^2 : x^2 = b - x : y$.

Quoniam $b^2y = bx^2 - x^3$

erit $y = (bx^2 - x^3) : b^2$

$$ydx = (bx^2dx - x^3\,dx) : b^2$$

$$\int ydx = x^3 : 3b - x^4 : 4b^2$$

PROBLEMA XXX.

112. *Quadrare curvam, ad quam* $x^5 + ax^4 + a^2x^3 + a^3x^2 + a^5 = a^4y$.

Quoniam $y = x^5:a^4 + x^4:a^3 + x^3:a^2 + x^2:a + a$

erit $ydx = \left(\frac{x^5}{a^4} + \frac{x^4}{a^3} + \frac{x^3}{a^2} + \frac{x^2}{a} + a\right)dx$

$$\int ydy = \frac{x^6}{6a^4} + \frac{x^5}{5a^3} + \frac{x^4}{4a^2} + \frac{x^3}{3a} + ax$$

PROBLEMA XXXI.

113. *Quadrare curvam, ad quam* $y^2 = x^4 + a^2x^2$.

Quoniam $y = x\sqrt{(x^2 + a^2)}$

erit $ydx = xdx\sqrt{(x^2 + a^2)}$

(d) Epist. Tom. III. pag. 219.

Ut elementum integrabile reddatur, fiat

$$\surd(x^2+a^2)=v$$

erit $x^2+a^2=v^2$

$$2xdx=2vdv$$

$$xdx=vdv$$

$$xdx\surd(a^2+x^2)dx=v^2dv$$

$\int ydx=\frac{1}{3}v^3=\frac{1}{3}(x^2+a^2)\surd(x^2+a^2)$. Ponatur $x=0$, erit residuum $\frac{1}{3}a^2\surd a^2$ sive $\frac{1}{3}a^3$. Ergo quadratura curvæ $\frac{1}{3}(x^2+a^2)\surd(x^2+a^2)-\frac{1}{3}a^3$ (§. 109).

PROBLEMA XXXII.

114. *Quadrare curvam, ad quam* $y^2=x^3+ax^2$.

Quoniam $y=x\surd(x+a)$

erit $ydx=xdx\surd(x+a)$

Ut elementum integrabile evadat, fiat

$$\surd(x+a)=v$$

erit $x+a=v^2$ & $x=v^2-a$

$$dx=2vdv$$

$$ydx=2v^4dv-2av^2dv$$

$\int ydx=\frac{2}{5}v^5-\frac{2}{3}av^3=\frac{2}{5}(x+a)^2\surd(x+a)-\frac{2}{3}a(x+a)\surd(x+a)=\frac{6}{15}((x^2+2ax+aa)-\frac{10}{15}(ax+aa))(\surd x+a)=(6x^2+2ax-4aa)\surd(x+a):15$. Ponatur $x=0$; relinquetur $-\frac{4}{15}aa\surd a$. Area igitur curvæ $\frac{1}{15}\surd(x+a)(6x^2+2ax-4aa)+\frac{4}{15}aa\surd a$ (§. 109).

PROBLEMA XV.

115. *Quadrare curvam, ad quam* $y^2=x^2:(x+a)$.

Quoniam $y=x:\surd(x+a)$

erit $ydx=xdx:\surd(a+x)$

Ponatur $\surd(x+a)=v$

erit $x+a=v^2$

$$x=v^2-a$$

$$dx=2vdv$$

$xdx:\surd(x+a)=(2v^3dv-2avdv):v$
$=2v^2dv-2adv$

$\int ydx=\frac{2}{3}v^3-2av=\frac{2}{3}(x+a)\surd(x+a)-2a\surd(x+a)=(2x+2a-6a)\frac{1}{3}\surd(x+a)=(2x-4a)\frac{1}{3}\surd(x+a)=\frac{2}{3}\surd(x^3-3ax^2+4a^3)$. Reductio ad mere surdam necessaria, ut appareat, si fiat $x=0$, quinam termini nullescant, propterea quod $x-2a$ signis afficitur diversis.

Ponatur $x=0$; relinquetur $\frac{2}{3}\surd 4a^3=\frac{4}{3}a\surd a$. Area igitur curvæ $=\frac{2}{3}\surd(x^3-3ax^2+4a^3)-\frac{4}{3}a\surd a$ (§. 109) $=\frac{2}{3}(x-2a)\surd(x+a)-\frac{4}{3}a\surd a$.

PROBLEMA XXXIV.

116. *Quadrare omnes curvas, quæ comprehenduntur sub æquatione generali* $y=\sqrt[m]{(x+a)}$.

Quoniam $y=(x+a)^{1:m}$

erit $ydx=dx\,(x+a)^{1:m}$

Ut elementum integrabile fiat, ponatur

$$(x+a)^{1:m}=v$$

erit $x+a=v^m$

$$dx=mv^{m-1}dv$$

$$ydx=mv^m dv$$

$$\int ydx=\frac{mv^{m+1}}{m+1}=\frac{m}{m+1}(x+a)\sqrt[m]{(x+a)}.$$

Fiat $x=0$: erit residuum $\frac{m}{m+1}a\sqrt[m]{a}$.

Unde area curvæ $\frac{m}{m+1}(x+a)\sqrt[m]{(x+a)}-\frac{m}{m+1}a\sqrt[m]{a}$ (§. 109).

PROBLEMA XXXV.

117. *Quadrare omnes curvas, quæ definiuntur hac æquatione generali* $y = ax^m : \sqrt{(b + cx^{m+1})}$.

Elementum harum curvarum $ydx = ax^m dx : \sqrt{(b + cx^{m+1})}$. Ut integrabile reddatur, fiat

$$\sqrt{(b + cx^{m+1})} = v$$

erit $(b + cx^{m+1}) = v^2$

$$(m+1)\, cx^m dx = 2vdv$$

$$x^m\, dx = 2vdv : c(m+1)$$

$$ydx = 2adv : (m+1)\, c$$

$$\int ydx = 2av : (m+1)\, c$$

$= 2a\sqrt{(b + cx^{m+1})} : (m+1)\, c$.

Fiat $x = 0$, relinquetur $2a\sqrt{b} : (m+1)c$

Eſt igitur area $\dfrac{2a\sqrt{(b + cx^{m+1})} - 2a\sqrt{b.})}{(m+1)c}$

PROBLEMA XXXVI.

118. *Quadrare innumeras hyperbolas intra aſymptotos.*

Pro infinitis hyperbolis intra aſymptotos $a^{m+n} = y^m x^n$.

Fiat $a = 1$

erit $1 = y^m x^n$

$$x^{-n} = y^m$$

$$x^{-n:m} = y$$

$$ydx = x^{-n:m}\, dx$$

$$\int ydx = \frac{m}{m-n} x^{-n:m+1} = \frac{m}{m-n} \sqrt[m]{x^{m-n}}$$

$$= \frac{m}{m-n} \sqrt[m]{x^m\, y_m} = \frac{m}{m-n} xy$$

Tab. I. Fig. 4. Si $m > n$; ſpatii interminati $\int$MPAS quadratura ſemper habetur: ſi $m < n$, ob valorem negativum reperitur quadratura ſpatii IMPK: ſi vero $m = n$, ſpatium neutrum quadratur, Sit enim $xy^2 = a^3$; erit $m = 2$, $n = 1$. adeoque $\int$MPAS $= 2xy$. Si $xy^4 = a$; erit $m = 4, n = 1$, adeoque $\int$MPAS $= \frac{4}{3}xy$. Si $x^2 y = a$; theorema dat $a^3 : x = -xy$ ſeu xy pro ſpatio interminato IMPK. Si $x^4 y = a^5$; habetur $m = 1$, $n = 4$ adeoque $-\frac{1}{3}xy$, hoc eſt $\frac{1}{3}xy =$ IMPK. Sed ſi $xy = a^2$; erit $m = 1, n = 1$, adeoque $m : (m-n) = \frac{1}{0}$: eſt adeo numerator reſpectu denominatoris infinitus.

SCHOLION.

119. Johannes Wallifius (e) *ſpatium* $\int$APMS, *eo in caſu, ubi valor negativus, vocavit* pluſquam infinitum: *oſtendit vero celeberrimus* Varignonius (f), *virum ceteroquin magno ſuo merito celebrem aliquid humani paſſum eſſe, conſentiente ſummo* Leibnitio (g).

PROBLEMA XXXVII.

120. *Hyperbolam Apollonianam intra aſymptotos quadrare.*

Quoniam ad hyperbolam intra aſymptotos (§.490.*part.* 1.) $a^2 = by + xy$, ſeu ſi fiat $a = b = 1$ (quod ponere licet, cum quantitatis b determinatio ſit arbitraria, *vi* §. *cit*)

$$1 = y + xy$$

erit $1 : (1 + x) = y$

hoc eſt, diviſione actu facta, (§. 45;. *part.* 1.)

$$y = 1 - x + x^2 - x^3 + x^4 - x^5 + x^6 \text{ \&c.}$$

$$y\, dx = dx - xdx + x^2 dx - x^3 dx + x^4 dx - x^5\, dx + x^6 dx \text{ \&c. in infinit.}$$

$$\int ydx = x - \tfrac{1}{2}x^2 + \tfrac{1}{3}x^3 - \tfrac{1}{4}x^4 + \tfrac{1}{5}x^5 - \tfrac{1}{6}x^6 + \tfrac{1}{7}x^7 \text{ \&c. in infinit.}$$

(e) In Arithmet. infinit. Schol. prop. 101. fol. 407. & Prop. 104. fol. 409.

(f) Memoires de l'Academie Royale des Sciences A. 1706. p. m. 15.

(g) In Actis Eruditorum A. 1712. p. 167. & ſeqq.

SCHOLION.

121. *Hanc quadraturam hyperbolæ; primus dedit serierum infinitarum inventor* Nicolaus Mercator (h). *Cum autem seriem quæsivisset per divisionem; celeberrimi Geometræ* Leibnitius *atque* Nevvtonus (i) *methodum hanc serierum infinitarum promoverunt, hic quidem eas eliciens per radicum extractiones, ille autem ex serie quadam præsuppositâ. Utriusque exempla in sequentibus occurrunt.*

PROBLEMA XXXVIII.

122. *Quadrare curvam, in qua* $x^2y + y = 1$.

Quoniam $x^2y + y = 1$

$$y = \frac{1}{x^2+1}$$

vel $$y = \frac{1}{1+x^2}$$

$$ydx = dx : (x^2 + 1)$$

vel $$= dx : (1 + x^2)$$

Resolvatur $1 : (x^2 + 1)$ per divisionem in seriem infinitam (§. 45. *part.* 1.), reperietur

$$y = \frac{1}{x^2} - \frac{1}{x^4} + \frac{1}{x^6} - \frac{1}{x^8} \text{ \&c.}$$
$$= x^{-2} - x^{-4} + x^{-6} - x^{-8} \text{ \&c.}$$

Quare

$$ydx = x^{-2}dx - x^{-4}dx + x^{-6}dx - x^{-8}dx \text{ \&c.}$$

adeoque

$$\int ydx = x^{-1} + \tfrac{1}{3}x^{-3} - \tfrac{1}{5}x^{-5} + \tfrac{1}{7}x^{-7} \text{ \&c.}$$
$$= \frac{1}{x} + \frac{1}{3x^3} - \frac{1}{5x^5} + \frac{1}{3x^7} \text{ \&c.}$$

Resolvatur similiter $1 : (1 + x^2)$ in seriem (§. *cit.*), reperietur

$$y = 1 - x^2 + x^4 - x^6 + x^8 \text{ \&c.}$$

adeoque

$$ydx = dx - x^2dx + x^4dx - x^6dx + x^8dx \text{ \&c.}$$

Quare $\int ydx = x - \tfrac{1}{3}x^3 + \tfrac{1}{5}x^5 - \tfrac{1}{7}x^7 + \tfrac{1}{9}x^9$ &c.

Quoniam series exprimit aream, quia convergit, hoc est, termini continuo fiunt minores, ut in casu singulari tandem deveniatur ad particulam inassignabilem, etiamsi terminorum numerus sit finitus. series autem prior citius convergit posteriore; ideo utendum est serie prima, si x fuerit satis magna, secunda vero, si satis parva.

(h) In Logarithmotechnia prop. 17. p. 31. & seqq.
(i) Vide Epistolæ ipsorum apud *Wallisium* vol. III. Operum Mathematic.

PROBLEMA XXXIX.

123. *Quadrare hyperbolam* AMP. Tab. I. Fig. 2.

Quoniam in hyperbola $ay^2 = abx + bx^2$ (§. 499 *part.* 1.); $y = \sqrt{(ax + x^2)}\sqrt{a} : \sqrt{b}$, adeoque $ydx = dx\sqrt{(ax + x^2)}\sqrt{a} : \sqrt{b}$ consequenter $\int ydx = \sqrt{(a:b)} \int dx \sqrt{(ax + x^2)}$. Quoniam $\int dx \sqrt{(ax + x^2)}$ est area hyperbolæ æquilateræ (§. 507. *part.* 1) hac data datur etiam area hyperbolæ scalenæ. Quare ut elementum areæ hyperbolæ æquilateræ integrabile reddatur, solvatur $\sqrt{(ax + x^2)}$ in seriem infinitam (§. 98. *part.* 1), erit in theoremate generali

$$m = 1,\ n = 2,\ P = ax$$
$$Q = x : a = a^{-1}x$$

$$\frac{m}{n} AQ = \tfrac{1}{2}a^{1:2}x^{1:2}. - a^{-1}x$$
$$= \tfrac{1}{2}a^{-1.2}x^{3:2} = B$$

$$\frac{m-n}{2n} BQ = -\tfrac{1}{4}.\tfrac{1}{2}a^{-1:2}x^{3:2}.a^{-1}x$$
$$= -\tfrac{1}{2.4}a^{-3:2}x^{5:2} = C$$

$$\frac{m-2n}{3n} CQ = -\tfrac{3}{6}. - \tfrac{1}{2.4}a^{-3:2}x^{5:2}.a^{-1}x$$
$$= +\tfrac{1.3}{2.4.6}a^{-5:2}x^{7:2} = D$$

$$\frac{m-3n}{4n} DQ = -\tfrac{5}{8}.\tfrac{1.3}{2.4.6}a^{-5:2}x^{7:2}.a^{-1}x$$
$$= -\tfrac{1.3.5}{2.4.6.8}a^{-7:2}x^{9:2} = E$$

$$\frac{m-4n}{5n} EQ = -\tfrac{7}{10}. - \tfrac{1.3.5}{2.4.6.8}a^{-7:2}x^{9:2}a^{-1}x$$
$$= +\tfrac{1.3.5.7}{2.4.6.8.10}a^{-9:2}a^{11:2} \text{ \&c.}$$

Est

Eſt itaque

$$y = a^{1:2}x^{1:2} + \tfrac{1}{2}a^{-1:2}x^{3:2} - \tfrac{1}{2.4}a^{-3:2}x^{5:2} + \tfrac{1.3}{2.4.6}a^{-5:2}x^{7:2} - \tfrac{1.3.5}{2.4.6.8}a^{-7:2}x^{9:2}$$ + &c. in infinit.

$$ydx = a^{1:2}x^{1:2}dx + \tfrac{1}{2}a^{-1:2}x^{3:2}dx - \tfrac{1}{2.4}a^{-3:2}x^{5:2}dx + \tfrac{1.3}{2.4.6}a^{-5:2}x^{7:2}dx - \tfrac{1.3.5}{2.4.6.8}a^{-7:2}x^{9:2}dx$$ &c. in infinit.

adeoque

$$\int ydx = \tfrac{2}{3}a^{1:2}x^{3:2} + \tfrac{1}{5}a^{-1:2}x^{5:2} - \tfrac{1}{4.7}a^{-3:2}x^{7:2} + \tfrac{1.3}{4.6.9}a^{-5:2}x^{9:2} - \tfrac{1.3.5}{4.6.8.11}a^{-7:2}x^{11:2} + \tfrac{1.3.5.7}{4.6.8.10.13}a^{-9:2}x^{13:2}$$ &c.

Quoniam $a^{1:2}x^{1:2} = \sqrt{ax}$, erit

$$\int ydx = \sqrt{ax}\left(x\tfrac{2}{3} + \frac{x^2}{5a} - \frac{x^3}{4.7a^2} + \frac{1.3.x^4}{4.6.9a^3} - \frac{1.3.5x^5}{4.6.8.11a^4} + \frac{1.3.5.7x^6}{4.6.8.10.13a^5} \text{ \& infin.}\right)$$

PROBLEMA XL.

124. *Circulum quadrare.*

Tab. I. Fig. 2. Sit $AB = 1$, $AP = x$, $PM = y$; erit (§. 377. *part.* I.)

$$y = \sqrt{(x - xx)}$$

$$ydx = dx\sqrt{(x - xx)} = dx(x - xx)^{1:2}$$

Ut elementum integrabile reddatur, ex $x - xx$ extrahatur radix per theorema generale (§. 98 *part.* I), in quo erit

$m = 1$, $n = 2$, $P = x$, $Q = -xx:x = -x$

$P^{m:n} = x^{1:2} = A$

$$\frac{m}{n}AQ = \tfrac{1}{2}x^{1:2}.-x = -\tfrac{1}{2}x^{3:2} = B$$

$$\frac{m-n}{2n}BQ = -\tfrac{1}{4}.-\tfrac{1}{2}x^{3:2}.-x = -\frac{1}{2.4}x^{5:2} = C$$

$$\frac{m-2n}{3n}CQ = -\tfrac{3}{6}.-\frac{1}{2.4}x^{5:2}.-x = -\frac{1.3.x^{7:2}}{2.4.6} = D$$

$$\frac{m-3n}{4n}DQ = -\tfrac{5}{8}.-\frac{1.3}{2.4.6}x^{7:2}.-x = -\frac{1.3.5}{2.4.6.8}x^{9:2} = E$$

$$\frac{m-4n}{5n}EQ = -\tfrac{7}{10}.-\tfrac{1.3.5}{2.4.6.8}x^{9:2}.-x = -\tfrac{1.3.5.7}{2.4.6.8.10}x^{11:2}$$ &c. in infin.

Habemus adeo $ydx = x^{1:2}dx - \tfrac{1}{2}x^{3:2}dx - \tfrac{1}{2.4}x^{5:2}dx - \tfrac{1.3}{2.4.6}x^{7:2}dx - \tfrac{1.3.5}{2.4.6.8}x^{9:2}dx - \tfrac{1.3.5.7}{2.4.6.8.10}x^{11:2}dx$ &c. in infin.

Hinc $\int ydx = \tfrac{2}{3}x^{3:2} - \tfrac{1}{5}x^{5:2} - \tfrac{1}{4.7}x^{7:2} - \tfrac{1.3}{4.6.9}x^{9:2} - \tfrac{1.3.5}{4.6.8.11}x^{11:2}$ &c. in infin. $= \sqrt{x}(\tfrac{2}{3}x - \tfrac{1}{5}x^2 - \tfrac{1}{4.7}. - \tfrac{1.3}{4.6.9}x^4 - \tfrac{1.3.5}{4.6.8.11}x^5 - \tfrac{1.3.5.7}{4.6.8.10.13}x^7$ &c. in infinit. $) = \sqrt{x}\,(\tfrac{2}{3}x - \tfrac{1}{5}x^2 - \tfrac{1}{28}x^3 - \tfrac{1}{72}x^4 - \tfrac{1}{704}x^5 - \tfrac{1}{1664}x^2$ & in infin.)

Hæc nempe ſeries exhibet quadraturam indeterminatam ſegmenti AMP.

Aliter.

Quoniam ſi radius circuli $= 1$, CP $= x$, PM $= y$ (§. 377. *part.* I.) $y = \sqrt{(1 - x_2)}$ & $\sqrt{(1 - x^2)} = 1 - \tfrac{1}{2}x_2 - \tfrac{1}{8}x^4 - \tfrac{1}{16}x^6 - \tfrac{5}{126}x^8 - \tfrac{5}{256}x^{10}$ &c. in infinit. erit (§. 98 *part.* I.) Tab. I. Fig. 3.

$$ydx = dx - \tfrac{1}{2}x^2 dx - x\tfrac{1}{8}^4 dx - \tfrac{1}{16}x^6 dx - \tfrac{5}{128}x^8 dx - \tfrac{7}{256}x^{10}dx - \text{ \& in infin.}$$

$$\int ydx = x - \tfrac{1}{6}x^3 - \tfrac{1}{40}x^5 - \tfrac{1}{112}x^7 - \tfrac{5}{1152}x^9 - \tfrac{7}{2816}x^{11} \text{ \&c in infinit.}$$

Quando x radio CA æqualis evadit ſpatium DCPM degenerat in quadrantem. Subſtituta itaque 1 pro x; erit quadrans $1 - \tfrac{1}{6} - \tfrac{1}{40} - \tfrac{1}{112} - \tfrac{5}{1152} - \tfrac{7}{2816}$ &c. in infinit. quæ eadem ſeries integram circuli aream metitur, ſi diameter fuerit 1.

Quodſi

Quodſi progreſſum in infinitum perſpicere lubet, multiplicatio ut ante tantummodo indicanda, dum $\sqrt{(1-x^2)}$ in ſeriem reſolvitur.

Ita nimirum prodibit $y = 1 - \frac{1}{2}x^2 - \frac{1}{2.4}x^4 - \frac{1.3}{2.4.6}x^6 - \frac{1.3.5}{2.4.6.8}x^8 - \frac{1.3.5.7.}{2.4.6.8.10}x^{10}$ &c. in infinit.

$$ydx = dx - \tfrac{1}{2}x^2dx - \frac{1}{2.4}x^4dx - \frac{1.3}{2.4.6}x^6dx - \frac{1.3.5}{2.4.6.8}x^8dx - \frac{1.3.5.7}{2.4.6.8.10}x^{10}dx$$ &c.

$$\int ydx = x - \frac{1}{2.3}x^3 - \frac{1}{2.4.5}x^5 - \frac{1.3}{2.4.6.7}x^7 - \frac{1.3.5}{2.4.6.8.9}x^9 - \frac{1.3.5.7}{2.4.6.8.10.11}x^{11}$$ &c. in infin.

Dicatur terminus primus A, ſecundus B, tertius C, quartus D, quintus E &c. erit

$A = x$

$B = -\frac{1}{2.3}x^3 = -\frac{1.1}{2.3}Ax$

$C = -\frac{1}{2.4.5}x^5 = -\frac{1.3}{2.3.4.5}x^5 = -\frac{1.3}{4.5}Bx$

$D = -\frac{1.3}{2.4.6.7}x^7 = -\frac{1.3.3.5}{2.3.4.5.6.7}x^7 = -\frac{3.5}{6.7}Cx^2$

$E = -\frac{1.3.5}{2.4.6.8.9}x^9 = \frac{1.3.5.3.5.7}{2.3.4.5.6.7.8.9}x^9 = -\frac{5.7}{8.9}Dx^2$

&c.

Aliter.

Tab. II. Fig. 20. Sit tangens arcus dimidii $GB = x$, radius $BC = 1$; erit tangens integri ſeu dupli $KB = 2x : (1 - xx)$ (§. 327. *part.* I.) & §. 269 *Geom.*)

$$BG : BC = KG : KC$$

$$x : 1 = \frac{x + x^3}{1 - xx} : \frac{1 + x^2}{1 - xx}$$

Eſt enim $KG = 2x : (1 - xx) - x = (2x - x + x^3) : (1 - xx) = (x + x^3) : (1 - xx)$

Porro (§. 268 *Geom.*)

$$KC : KB = MC : PM$$

$$\frac{1 + x^2}{1 - x^2} : \frac{2x}{1 - x^2} = 1 : \frac{tx}{1 + x^2}$$

$$KC : BC = MC : PC$$

$$\frac{1 + x^2}{1 - x^2} 1 : = 1 : \frac{1 - x^2}{1 + x^2}$$

Unde $PB = 1 - (1 - x^2) : (1 + x^2) = (1 + x^2 - 1 + x^2) : (1 + x^2) = 2x^2 : (1 + x^2)$. Hinc differentiando eruitur $Pp = MR = (x4dx + 4x^3dx - 4x^3dx) : (1 + x^2)^2 = 4xdx : (1 + x^2)^2$ & $mR = (2dx + 2x^2dx - 4x^2dx) : (1 + x^2)^2 = (2dx - 2x^2dx) : (1 + x^2)^2$. Ob $MR^2 + mR^2 = Mm^2$ (§. 417 *Geom.*) habetur $Mm^2 = 16x^2dx^2 : (1 + x^2)^4 + (4dx^2 - 8x^2dx^2 + 4x^4dx^2) : (1 + x^2)^4 = (4dx^2 + 8x^2dx^2 + 4x^4dx^2) : (1 + x^2)^4$ & $Mm = (2dx + 2x^2dx) : (1 + x^2)^2 = 2dx : (1 + x^2)$. Denique $Mm . \frac{1}{2}MC = dx : (1 + x^2)$. Ut ſector hic infinite parvus MCm ſeu elementum ſectoris BCM, cujus dimidii tangens x, ſummetur; reſolvi debet $1 : (1 + x^2)$ in ſeriem (§. 45. *part.* I.): quo facto reperitur $dx : (1 + x^2) = dx - x^2dx + x^4 - x^6dx + x^8dx - x^{10}dx$ &c. adeoque $\int dx : (1 + x^2) = x - \frac{1}{3}x^3 + \frac{1}{5}x^5 - \frac{1}{7}x^7 + \frac{1}{9}x^9 - \frac{1}{11}x^{11}$ &c. quæ ſeries exprimit ſectorem BCM, ita ut arcus dimidii tangens $GB = x$.

Quando arcus integer BM in quadrantem degenerat; tangens dimidii BG fit radio æqualis (§. 32. *Trig.*). Si ergo pro x ſubſtituatur 1, ſeries $1 - \frac{1}{3} + \frac{1}{5} - \frac{1}{7} + \frac{1}{9} - \frac{1}{11}$ &c. in infinit. quadrantem circuli exprimit. Immo totam aream emetitur, ſi 1 denotet diametrum circuli.

Brevius.

Brevius.

Tab. II. *Fig.* 20. Sit tangens $KB = x$, $BC = 1$ & secans CA alteri CK infinite propinqua ductusque arculus KL radio CK; erit $AK = dx$, $KC = \sqrt{(1+x^2)}$ (§. 417. *Geom*). Jam cum anguli ad B & L sint recti (§. 78.) & ob angulum infinite parvum KCL angulus BKC = KAC (§. 239. *Geom.* & §. 3. *Analys. infinit.*); erit (§. 267. *Geom.*)

$$KC : BC = KA : KL$$

$$\sqrt{(1+x^2)} : 1 = dx : \frac{dx}{\sqrt{(1+x^2)}}$$

Porro (§. 137. 412. *Geom.*)

$$CK : KL = CM : mM$$

$$\sqrt{(1+x^2)} : \frac{dx}{\sqrt{(1+x^2)}} = 1 : \frac{dx}{1+x^2}$$

Sector igitur $CMm = \frac{1}{2} dx : (1+x^2) = \frac{1}{2}(dx - x^2dx + x^4dx - x^6dx + x^8dx - x^{10}dx$ &c). Unde per summationem eruitur sector BCM, cujus tangens $KB = x$, $\frac{1}{2}x - \frac{1}{6}x^3 + \frac{1}{10}x^5 - \frac{1}{14}x^7 + \frac{1}{18}x^9 - \frac{1}{22}x^{11}$ &c. in infinit. adeoque si BM octans circuli seu arcus 45°, sector erit (§. 32. *Trigon.*) $\frac{1}{2} - \frac{1}{6} + \frac{1}{10} - \frac{1}{14} + \frac{1}{18} - \frac{1}{22}$ &c. infinit. Hujus adeo seriei duplum $1 - \frac{1}{3} + \frac{1}{5} - \frac{1}{7} + \frac{1}{9} - \frac{1}{11}$ &c. in infinitum est quadrans circuli, immo integra area si diameter = 1.

SCHOLION.

125. *Seriem primam invenit* Newtonus, *alteram* Jacobus Gregorius, *& in eandem incidit* Leibnitius *ignorans dubio procul prodituram seriem* Gregorianam, *cum ex tangente quæreret aream. Neque enim putandum est quod inventum seriei, quam a* Gregorio *repertam non ignorabat, etsi publice non constaret, sibi attribuerit absque ulla ratione vir probati alias candoris. Sed nullum est dubium quin ingeniosissimus* Leibnitius *methodo ab iis diversa, quas ego proposui, ad suam pervenerit. Cum enim methodum priorem, in quam incideram ante annos complures, amico percontanti, unde constet, (quod* Leibnitius *in actis Eruditorum asseruerat)* $\int dx : (1+x^2)$ *dependere a quadratura circuli & quomodo inde eruatur series* Leibnitiana *pro circulo* $1 - \frac{1}{3} + \frac{1}{5} - \frac{1}{7}$ &c. *responsurus, judicio* Leibnitii *submisissem, eam equidem non improbavit, monuit tamen, totum negotium brevius absolvi posse: unde etiam factum est, ut postea de breviori cogitarem.*

PROBLEMA XL.

126. *Ellipsin Apollonianam quadrare.* Tab. I. *Fig.* 10.

Sit $AC = a$, $GC = c$, $PC = x$; erit (§. 432. *part.* 1.)

$$y^2 = c^2(a^2 - x^2) : a^2$$

$$y = c\sqrt{(a^2 - x^2)} : a$$

Est vero $\sqrt{(a^2 - x^2)} = a - \frac{x^2}{2a} - \frac{x^4}{8a^3} - \frac{x^6}{16a^5} - \frac{5x^8}{128a^7} - \frac{7x^{10}}{256a^9}$ &c. in infin. (§. 81. *part.* 1.). Ergo $ydx = cdx - \frac{cx^2dx}{2a^2} - \frac{cx^4dx}{8a^4} - \frac{cx^6dx}{16a^6} - \frac{5cx^8dx}{128a^8} - \frac{7cx^{10}dx}{256a^{10}}$ &c. in infinit. consequenter

$$\int ydx = cx - \frac{cx^3}{6a^2} - \frac{cx^5}{40a^4} - \frac{cx^7}{112a^6} - \frac{5cx^9}{1152a^8} - \frac{7cx^{11}}{2816a^{10}} \text{ \&c. in infinit.}$$

Quodsi pro x ponatur a; erit quadrans ellipsis $ac - \frac{1}{6}ac - \frac{1}{40}ac - \frac{1}{112}ac - \frac{5}{1152}ac - \frac{7}{2816}ac$ &c. in infinitum: quæ eadem series integram ellipsis aream exhibet, si a axem integrum denotet.

Aliter.

Tab.II. Fig.23. Quoniam elementum Ellipſeos eſt $c\,dx\sqrt{(a^2-x^2)}:a$; erit ECLR $= \frac{c}{a}\int dx\sqrt{(a^2-x^2)}$. Sed $\int dx\sqrt{(a^2-x^2)}=$ DCLK (§. 124). Eſt itaque $a:c=$ DCLK : ECLR, hoc eſt, area circularis DCLK eſt ad Ellipticam ECLR ut axis major AB (quæ eſt diameter circuli) ad minorem 2CE (§.124). Pendet adeo quadratura ellipſeos a quadratura circuli.

COROLLARIUM I.

127. Si fiat $\sqrt{ac}=1$, erit area ellipſis $=1-\frac{1}{6}-\frac{1}{40}-\frac{1}{112}-\frac{5}{1152}-\frac{7}{2816}$ &c. in infinitum. Patet adeo ellipſin eſſe circulo æqualem, cujus diameter eſt media proportionalis inter axes ellipſis conjugatos (§. 124.)

COROLLARIUM II.

128. Eſt ergo ellipſis ad circulum, cujus diameter axi majori æqualis, ut ac ad a^2 (§ 408 *Geom.*), hoc eſt, ut c ad a (§. 124 *part.* 1), ſeu ut axis minor ad majorem: quod idem de ſegmentis indefinitis oſtendimus analytice in reſolutione.

COROLLARIUM III.

129. Data circuli quadratura dabitur etiam quadratura ellipſis & contra.

SCHOLION.

130. *Quamvis circuli integri quadratura finita hactenus dari non potuerit, varias tamen ejus portiones quadrarunt Geometræ. Primam quadraturam partialem alicujus lunulæ dedit jam olim* Hippocrates *Chius, ex mercatore naufrago Geometra factus. Sit* AEB *ſemicirculus &* GC = BG. *Deſcribatur radio* BC *quadrans* AFB; *erit* AEBFA Lunula Hippocratis. *Quoniam* $BC^2 = 2GB^2$ (§. 417. *Geom.*) *erit quadrans* AFBC *ſemicirculo* AEB *æqualis* (§. 408 *Geom.*). *Ablato igitur utrinque ſegmento communi* AFBA; *erit* AEBFA = △ ACB = GB^2. Tab.II. Fig.21.

PROBLEMA XLII.

131. *Cycloidem quadrare.*

Quoniam TP = PM (§. 52): erunt in △ PMT anguli M & T æquales (§. 184 *Geom.*), adeoque TPQ = 2M. (§. 239 *Geom.*). Eſt vero anguli APQ menſura arcus dimidius AP (§. 291. & 314 *Geom.*) & idem metitur angulum TPA (§. 322. *Geom.*). Ergo APQ = TPA (§. 142 *Geom.*). Sed TPQ = TPA + APQ = 2APQ = 2TMP per *demonſtrata.* Ergo APQ = TMP = MmS ob parallelas MP & mq (§. 255 *Geom.*). Quamobrem cum ad S & Q ſint recti *per conſtr.*; erit (§. 267 *Geom.*) Tab. I. Fig 7.

$$AQ : QP = MS : Sm$$

Sit jam AQ $= x$, AB $= 1$, erit MS $= dx$, PQ $= \sqrt{(x-xx)}$ (§. 377. *part.* 1.) & $mS = dx\sqrt{(x-xx)}:x$. Repperimus autem ſupra (§. 124.) $\sqrt{(x-xx)} = x^{1:2} - \frac{1}{2}x^{3:2} - \frac{1}{8}x^{5:2} - \frac{1}{16}x^{7:2}$ &c. in infinitum. Ergo $dx\sqrt{(x-xx)}:x =$ (quoniam ob diviſionem per x factam numeratores exponentium duabus unitatibus minuuntur, §. 54 part. 1.) $x^{-1:2}dx - \frac{1}{2}x^{1:2}dx - \frac{1}{8}x^{3:2}dx - \frac{1}{16}x^{5:2}dx$ &c, in infinitum, cujus ſumma $2x^{1:2} - \frac{1}{3}x^{3:2} - \frac{1}{20}x^{5:2} - \frac{1}{56}x^{7:2}$ &c. in infinitum, eſt ſemiordinata cycloidis QM ad axem AB relatæ. Hinc QM. dx ſeu elementum QMSq ſpatii cycloidici AMQ $= 2x^{1:2}dx - \frac{1}{3}x^{3:2}dx - \frac{1}{20}x^{5:2}dx - \frac{1}{56}x^{7:2}dx$ &c. in infinitum: cujus ſumma $= \frac{4}{3}x^{3:2} - \frac{2}{15}x^{5:2} - \frac{1}{70}x^{7:2} - \frac{1}{252}x^{9:2}$ &c. in infinit. exprimit ſegmentum cycloidis AMQ.

Quodſi $mS = gG = dx\sqrt{(x-xx)}:x$ ducatur in GM $-$ AQ $= x$, reperietur elementum GMHg areæ AMG $= dx\sqrt{(x-xx)}$: quod cum idem ſit cum ele-

men-

mento segmenti circuli APQ (§.124), erit spatium AMG segmento circuli APQ, consequenter area ADC semicirculo APB æqualis.

COROLLARIUM.

132. Quoniam CB semiperipheriæ circuli æquatur (§. 574. *part.* 1.) si ea $= p$ & AB $= a$; erit rectangulum BCDA $= ap$ (§. 375 *Geom.*) & semicirculus APB, adeoque & spatium cycloidicum externum ADC $= \frac{1}{4}ap$ (§. 406. *Geom.*). Ergo area semicycloidis ACB $= \frac{3}{4}ap$ (& AMCBPA $= \frac{1}{2}ap$) consequenter area cycloidis est circuli genitoris tripla.

PROBLEMA XLIII.

133. *Cissoidem* Dioclis *quadrare.*

Quoniam $y^2 = x^3 : (2 - x)$, si 1 diameter circuli genitoris (§. 548 *part.* 1.); erit

$$y = x\sqrt{x} : \sqrt{(1 - x)} = x^{3:2}(1 - x)^{-1:2}$$

Extrahatur ergo ex $1 : \sqrt{(1 - x)}$ actu radix per theorema generale (§. 98 *part.* 1.) in quo erit $m = -1$, $n = 2$, $P = 1$, $Q = -x$ & hinc

$$P^{m:n} = 1 = A$$

$$\frac{m}{n}AQ = -\tfrac{1}{2}.1. - x = \tfrac{1}{2}x = B$$

$$\frac{m-n}{2n}BQ = -\tfrac{3}{4}.\frac{1x}{2}. - x = \frac{1.3x^2}{2.4} = C$$

$$\frac{m-2n}{3n}CQ = -\tfrac{5}{6}.\frac{1.3x^2}{2.4} - x = \frac{1.3.5x^3}{2.4.6} = D$$

$$\frac{m-3n}{4n}DQ = -\tfrac{7}{8}.\frac{1.3.5x^3}{2.4.6}. - x = \frac{1.3.5.7x^4}{2.4.6.8}$$

&c. in infinitum.

Unde $ydx = x^{3:2}(1 - x)^{-1:2}dx =$

$$x^{3:2}dx + \tfrac{1}{2}x^{5:2}dx + \frac{1.3}{2.4}x^{7:2}dx + \frac{1.3.5}{2.4.6}x^{9:2}dx + \frac{1.3.5.7}{2.4.6.8}x^{11:2}dx \text{ \&c.}$$

cujus summa $\frac{2}{5}x^{5:2} + \frac{1}{7}x^{7:2} + \frac{1.3}{4.9}x^{9:2} + \frac{1.3.5}{4.6.11}x^{11:2} + \frac{1.3.5.7}{4.6.8.13}x^{13:2}$ &c. in infinitum $= \sqrt{x}\,(\frac{2}{5}x^2 + \frac{1}{7}x^3 + \frac{1.3}{4.9}x^4 + \frac{1.3.5}{4.6.11}x^5 + \frac{1.3.5.7}{4.6.8.13}x^6$ &c. in infinitum) exprimit spatium APM.

Aliter.

Sit $AP = x$, $PN = v$, $PM = y$, $AB = a$; erit (§. 548 *part.* 1.) Tab. II. *Fig.* 22.

$$ay^2 - xy^2 = x^3$$

$$2aydy - 2xydy - y^2dx = 3x^2dx$$

$$2(a - x)dy - ydx = 3x^2dx : y$$

Quoniam (§. 547 *part.* 1.) $x^2 = vy$; erit $x^2 : y = v$. Fiat præterea $a - x = PB = z$: habebimus

$$2zdy - ydx = 3vdx$$

$$2\int zdy - \int ydx = 3\int vdx$$

Est vero vdx elementum circuli PNnp; $\int zdy$ ob $z = PB = OM$ & $dy = mR = o$O elementum mMOo areæ AMOB & ydx elementum PMmp areæ AMP. Jam quando $\int zdy$ integram aream intra cissoidem AI & ejus asymptotum BH exhibet, etiam $\int ydx$ est eadem area, adeoque $\int ydx = \int zdy$, consequenter $2\int zdy - \int ydx = \int zdy$. Quare cum in eodem casu $\int vdx$ semicirculum producat ANB; erit ob $\int zdy = 3\int vdx$ totum spatium cissoidale in infinitum protensum semicirculi genitoris ANB triplum.

PROBLEMA XLIV.

134. *Quadrare Logisticam* seu *Logarithmicam.*

Sit subtangens $PT = a$ (§. 54.), $PM = y$, $Pp = dx$; erit (§. cit.) Tab. I. *Fig.* 8.

$$ydx : dy = a$$

$$ydx = ady$$

$$\int ydx = ay$$

 Spa-

Spatium ergo interminatum HPMI æquatur rectangulo ex PM in PT.

COROLLARIUM I.

135. Sit $QS = z$; erit spatium interminatum $ISQH = az$, consequenter $SMPQ = ay - az = a(y - z)$, hoc est, spatium inter duas logisticæ semiordinatas interceptum æquatur rectangulo ex subtangente in differentiam semiordinatarum.

COROLLARIUM II.

136. Est itaque spatium BAPM ad spatium PMSQ ut differentia semiordinatarum AB & PM ad differentiam semiordinatarum PM & SQ (*§. præc. & §.* 124. *part.* I.).

PROBLEMA XLV.

137. *Quadrare spirales.*

Tab. I. *Fig.* 6. Sint omnia ut in problemate 8. (§. 50.); erit arculus $EG = ydx : a$, qui ductus in $\frac{1}{2}$ AG producit sectorem infinite parvum $GAE = y^2 dx : 2a$ (§. 435. *Geom.*). Est autem pro spirali Archimedea.

$$ax = by$$
$$a^2x^2 : b^2 = y^2$$
$$y^2dx : 2a = ax^2dx : 2b^2$$
$$\int y^2dx : 2a = ax^3 : 6b^2$$

Quodsi pro arcu x ponatur integra peripheria b; erit spatium spirale integrum $\frac{1}{6}ab$. Similiter pro infinitis spiralibus ad circulum relatis (§. 572. *part.* I.).

$$a^m x^n = b^n y^m$$
$$a^m x^n : b^n = y^m$$
$$ax^{n:m} : b^{n:m} = y$$
$$a^2x^{2n:m} : b^{2n:m} = y^2$$
$$y^2\, dx : 2a = ax^{2n:m}\, dx : 2b^{2n:m}$$
$$\int y^2dx : 2a = max^{2n+m:m} : (4n+2m)b^{2n:m}$$

Quare si pro x ponatur integra peripheria circuli b, prodibit pro spatiis spiralibus integris $mab^{2n:m+1} : (4n + 2m)b^{2n:m} = mab : (4n + 2m)$.

Quodsi ponamus arcum BC esse ad CF ut abscissa ad semiordinatam in curva aliqua algebraica, eodem modo reperitur spatium spirale. Sit enim e. gr. BC ad CF ut abscissa parabolæ ad semiordinatam, erit (sumto r pro parametro)

$$rx = a^2 - 2ay + yy$$
$$dx = (2ydy - 2ady) : r$$
$$y^2dx : 2a = (y^3dy - ay^2dy) : ar$$
$$\int y^2dx : 2a = y^4 : 4ar - y^3 : 3r$$

Nec absimili modo invenitur spatium inter arcum BC & spiralem BF comprehensum cujus elementum est trapezium $CFID = (CD + FI)\frac{1}{2}FC$ (§. 400. *Geom.*). Est vero $CD = dx$, $FI = ydx : a$, $FC = a - y$, adeoque $CFID = (dx + ydx : a)\frac{1}{2}(a - y) = (a^2dx - y^2dx) : 2a$.

Si jam spiralis sit parabolica pro dx substituatur valor ipsius $(2ydy - 2ady) : r$; erit elementum speciale $(ay^2dy + a^2ydy - y^3dy - a^3dy) : ar$, cujus summa $y^3 : 3r + ay^2 : 2r - y^4 : 4ar - a^2y : r$ est spatium quæsitum BFC.

PROBLEMA XLVI.

138. *Quadrare Conchoidem Nicomedis.*

Sit $AP = x$, $PM = y$, $BC = b$, $AB = a$ & OQ ad PM perpendicularis: erit $PB = OQ = a - x$, $PC = a + b - x$. Tab. I. *Fig.* 5. Quoniam OQ & BA perpendiculares ad PM *per hypoth.* erunt inter se parallelæ (§. 256. *Geom.*), consequenter (§. 268. *Geom.*),

PC

$$PC : PM = OQ : OM$$

$$a + b - x : y = a - x : OM$$

& hinc $OM = y\,(a - x) : (a + b - x)$ adeoque $OM^2 = y^2 (a-x)^2 : (a + b - x)^2$. Porro $OQ^2 = (a -)x^2$ & $QM^2 = AB$ (§. 352 *part.* I.) $= a^2$. Quare (§. 417 *Geom.*)

$$a^2 = a^2 - 2ax + x^2 + \frac{y^2 (a - x)^2}{(a + b - x)^2}$$

$$2ax - x^2 = y^2 (a - x)^2 : (a + b - x)^2$$

$$\sqrt{(2ax - x^2)} = y(a - x) : (a + b - x)$$

$$y = \frac{a + b - x}{a - x} \sqrt{(2ax - x^2)}$$

Habemus itaque elementum areæ $PpMm = ydx = \frac{a + b - x}{a - x} dx \sqrt{(2ax - x^2)}$ nec alia re opus eſt, quam ut $\sqrt{(2ax - x^2)}$ reſolvatur in ſeriem (§. 98 *part.* I.), ſeries hæc porro ducatur in $a + b - x$ & factum tandem dividatur per $a - x$. Ita enim obtinetur ſeries, quæ ſingulis terminis in dx ductis exprimit elementum areæ atque eodem, quo ante, modo ſummatur. Ne calculus perplexus tyrones turbet, ſumamus caſum ſimpliciſſimum, in quo eſt $b = a$, adeoque $a + b = 2a$, & ne $\sqrt{2}$ toties ſit ſcribenda, ponamus $2a = c$, ut ſit $a = \frac{1}{2}c$: erit $ydx = \frac{c - x}{\frac{1}{2}c - x} dx \sqrt{(cx - x^2)}$. Eſt autem $\sqrt{(cx - x^2)}$ ſemiordinata circuli, cujus diameter c, atque adeo coincidit reſolutio in ſeriem cum ea, quam dedimus paulo ante (§. 124), niſi quod ibidem ſuppoſuerimus $c = 1$. Quoniam tamen hic conſultius eſt c retineri & in reſolutione in gratiam operationum ſequentium quædam notanda ſunt; ideo non inconſultum ducimus vi theorematis *Newtoniani* (§. 98. *part.* I.) reſolutionem ipſam inſtituere. Erit itaque

$$m = 1,\ n = 2,\ P = cx,$$

$Q = -x^2 : cx = -x : c = -c^{-1}x$ (§. 54. 55 *part.* I), adeoque

$$P^{m:n} = c^{1:2} x^{1:2} = A$$

$$\frac{m}{n} AQ = \tfrac{1}{2} c^{1:2} x^{1:2} . -c^{-1}x = -\tfrac{1}{2} c^{-1} x^{3:2} - B$$

$$\frac{m - n}{2n} BQ = -\tfrac{1}{4} . -\tfrac{1}{2} c^{-1:2} x^{3:2} . -c^{-1}x = -\tfrac{1}{8} c^{-3:2} x^{5:2} = C$$

$$\frac{m - 2n}{3n} CQ = -\tfrac{3}{6} . -\tfrac{1}{8} c^{-3:2} x^{5:2} . -c^{-1}x = -\tfrac{1}{16} c^{-5:2} x^{7:2} = D$$

$$\frac{m - 3n}{4n} DQ = -\tfrac{5}{8} . -\tfrac{1}{16} c^{-5:2} x^{7:2}\ c^{-1}x = -\tfrac{5}{128} c^{-7:2} x^{9:2} \ \&c.$$

Eſt itaque $\sqrt{(cx - x^2)} = c^{\frac{1}{2}} x^{1:2} - \frac{1}{2} c^{-1:2} x^{3:2} - \frac{1}{8} c^{-3:2} x^{5:2} - \frac{1}{16} c^{-5:2} x^{7:2} - \frac{5}{128} c^{-7:2} x^{9:2}$ &c. in infinitum.

Quodſi hanc ſeriem multiplices per $c - x$, prodibit $(c - x)\sqrt{(cx - x^2)} = 2c^{1:2} x^{1:2} + c^{-1:2} x^{:2} + \frac{11}{4} c^{-3:2} x^{5:2} + \frac{45}{8} c^{-5:2} x^{7:2} + \frac{723}{64} c^{-7:2} x^{9:2}$ &c. in infinitum.

Multiplicatio & diviſio modo ordinario inſtituitur. Etenim ſi ſeriem multiplices per c, prodit $c^{3:2} x^{1:2} - \frac{1}{2} c^{1:2} x^{3.2} - \frac{1}{8} c^{-1:2} x^{5:2} - \frac{1}{16} c^{-1:2} x^{7:2} - \frac{5}{128} c^{-5:2} x^{9:2}$ &c. in infinit. Si porro eandem ducas in $-x$, prodit $-c^{1:2} x^{3:2} + \frac{1}{2} c^{-1:2} x^{5:2} + \frac{1}{8} c^{-3:2} x^{7:2} + \frac{1}{16} c^{-5:2} x^{9:2}$ &c. Quodſi terminos homogeneos in unam ſummam colligas, obtinetur ſeries $c^{3:2} x^{1:2} - \frac{3}{2} c^{1:2} x^{3:2} + \frac{3}{8} c^{-1:2} x^{5:2} + \frac{1}{16} c^{-3:2} x^{7:2} + \frac{3}{128} c^{-5:2} x^{9:2}$ &c. Hac porro diviſa per $\frac{1}{2}c - x$ (§. 40. part. I), prodit quotus $2c^{1:2} x^{1:2} + c^{-1:2} x^{3:2} + \frac{11}{4} c^{-3:2} x^{5:2} + \frac{45}{8} c^{-5:2} x^{7:2} + \frac{723}{64} c^{-7:2} x^{9:2}$ &c.

Eſt adeo elementum areæ Conchoidis $2c^{1:2} x^{1:2} dx + c^{-1:2} x^{1:2} dx + \frac{1}{4} c^{-3:2} x^{5:2} dx + \frac{5}{8} c^{-5:2} x^{7:2} dx + \frac{7}{64} c^{-7:2} x^{9:2} dx$ &c. in infinit.

Quare area AMP $= \frac{4}{3} c^{1:2} x^{3:2} + \frac{2}{5} c^{-1:2} x^{5:2} + \frac{1}{14} c^{-1:2} x^{7:2} + \frac{5}{4} c^{-5:2} x^{9:2} + \frac{7}{352} c^{-7:2} x^{9:2}$ &c. in infin.

PROBLEMA XLVII.

139. *Invenire rationem, quam habent ſpatia curvilinea juxta axem eundem vel axes æquales deſcripta, ſemiordinatis correſpondentibus rationem conſtantem habentibus.*

Sit elementum ſpatii curvilinei unius $= ydx$. Quoniam ordinatæ ad æquales partes axis continuo applicantur, *per hypoth.* erit elementum ſpatii alterius zdx, poſita nempe ſemiordinata hujus z, abſciſſa communi x. Sed cum in ſingulis elementis eadem ſemper ſit ratio ipſius y ad z, *per hypoth.* erit $\int ydx : \int zdx = ydx : zdx$ (§. 187. *Arithm.*) $= y : z$ (§. 181. *Arithm.*).

Theorema Spatia curvilinea æque alta habent rationem baſium, quibus inſiſtunt, ſi ſemiordinatæ correſpondentes fuerint in ratione conſtante.

COROLLARIUM I.

140. Quare ſi ARB fuerit ſemiellipſis; AKB ſemicirculus & KL ad AB perpendicularis; erit KL ad RL in ratione conſtante DC ad EC (§. 598. *part.* 1.), adeoque ſegmentum circulare BKL ad ſegmentum ellipticum BRL ut KL ad RL. Tab. II. *Fig.* 23.

COROLLARIUM II.

141. Quodſi ex foco F ducantur rectæ FR & FK, erunt quoque triangula FKL & FRL ut KL ad RL (§. 389. *Geom.*). Quamobrem ſector circularis BFK eſt ad ſectorem ellipticum BFR ut KL ad RL (§. 187. *Arithm.*). Cum itaque KL : RL = CD : CE (§. 598. *part.* 1.) & ut CD ad CE ita circulus integer ad ellipſin integram (§. 124); erit quoque ſector KFB ad ſectorem RFB ut circulus ad ellipſin (§. 167. *Arithm.*), conſequenter ut ſector KFB ad aream integri circuli, ita ſector RFB ad integram ellipſis aream (§. 173. *Arithm.*).

SCHOLION.

142. *Quoniam ſectores ex arcuum elementis derivantur; de iis quadrandis agemus capite ſequente, ubi arcuum rectificatio docetur.*

CAPUT III.

De uſu Calculi integralis in Rectificatione Curvarum.

DEFINITIO VII.

143. *Rectificatio curvæ* eſt inventio rectæ, cui æqualis eſt linea curva.

COROLLARIUM.

144. Cum linea curva concipiatur conſtare ex innumeris lineolis rectis infinite exiguis; ſi una earum inveniatur per calculum differentialem, ſumma dabit longitudinem curvæ. Nimirum cum ex ſuperioribus conſtet, eſſe MR $= dx$, mR $= dy$ (§. 20.); erit Mm ſeu elementum curvæ $\sqrt{(dx^2 + dy^2)}$ (§. 417. *Geom.*). Quodſi itaque ex æquatione differentiali ad curvam ſpecialem ſubſtituatur Tab. I. *Fig.* 2.

ſtituatur valor vel ipſius dx^2, vel ipſius dy^2; habetur elementum ſpeciale: quod integratum prodit longitudinem curvæ.

SCHOLION.

145. *Interdum elementum curvæ commodius ex circumſtantiis ſpecialibus eruitur, prout exempla mox afferenda loquentur.*

PROBLEMA. XLVIII.

146. *Parabolam rectificare,*

Pro parabola $adx = 2ydy$ (§. 21.)

$$a^2 dx^2 = 4y^2 dy^2$$

$$dx^2 = 4y^2 dy^2 : a^2$$

$$\sqrt{(dx^2 + dy^2)} = \sqrt{(dy^2 + 4y^2 dy^2 : a^2)} = dy\sqrt{(aa + 4yy)} : a.$$

Ut hoc elementum curvæ integrabile fiat, reſolvatur in ſeriem infinitam (§. 99. *part.* I.); erit in theoremate generali

$$n = 2, m = 1, P = a^2, Q = 4y^2 : a^2$$

$$P^{m:n} = a = A$$

$$\frac{m}{n}AQ = \tfrac{1}{2}a.\, 4y^2 : a^2 = 2y^2 : a = B$$

$$\frac{m-n}{2n}BQ = -\tfrac{1}{4}.\,\frac{2y^2}{a}.\,\frac{4y^2}{a^2} = -\frac{2y^4}{a^3} = C$$

$$\frac{m-2n}{3n}CQ = -\tfrac{3}{6}.\,-\frac{2y^4}{a^3}.\,\frac{4y^2}{a^2} = \frac{4y^6}{a^5} = D$$

$$\frac{m-3n}{4n}DQ = -\tfrac{5}{8}.\,\frac{4y^6}{a^5}.\,\frac{4y^2}{a^2} = -\frac{10y^8}{a^7} \text{ \&c.}$$

in infinitum.

Quare $dy\sqrt{(aa + 4yy)} : a = dy + \frac{2y^2 dy}{a^2} - \frac{2y^4 dy}{a^4} + \frac{4y^6 dy}{a^6} - \frac{10y^8 dy}{a^8}$ &c. cujus integrale $y + \frac{2y^3}{3a^2} - \frac{2y^5}{5a^4} + \frac{4y^7}{7a^6} - \frac{10y^9}{9a^8}$ &c. in infinitum exprimit arcum parabolicum.

COROLLARIUM I.

Tab. II. Fig. 24. 147. Sint AC & DC ſemiaxes conjugati hyperbolæ æquilateræ; erit AC = DC = a (§. 505. *part.* 1.). Sit CQ = MP = $2y$; erit (§. 534. *part.* 1.) QM = $\sqrt{(4yy + aa)}$. Quodſi qm intelligatur ipſi QM infinite propinqua; erit $Qq = dy$, adeoque elementum areæ CQMA = $dy\sqrt{(aa + 4yy)}$. Pendet itaque rectificatio parabolæ à quadratura ſpatii hyperbolici CQMA.

COROLLARIUM II.

148. Sit AMR parabola, cujus parameter AC, & circa communem axem deſcripta hyperbola æquilatera ANT, cujus axis 2CA. Si fiat CQ = AV = QN = 2PM & rectangulum CORA ſpatio curvilineo CQNA æquale; erit AR æqualis arcui AM (§. 146. 147.), conſequenter RV = AM − 2PM, ſeu differentia inter ordinatam & arcum reſpondentem, & ORVQ = VNA. Tab. IV. Fig. 48.

SCHOLION.

149. *Probe notandum eſt, omnes ſummationes reduci ad quadraturas curvarum, quocunque in caſu iiſdem utamur. Unde ut ſint perfectæ, in omnibus obſervanda eſt regula ſupra tradita de quadraturis* (§. 109.).

PROBLEMA XLIX.

150. *Rectificare parabolam ſecundi generis, ad quam $ax^2 = y^3$, ſeu ſumto $a = 1$, $x^2 = y^3$.*

Quoniam $x^2 = y^3$

erit $2xdx = 3y^2 dy$

$$4x^2 dx^2 = 9y^4 dy^2$$

$$dx^2 = 9y^4 dy^2 : 4x^2 = 9y^4 dy^2 : 4y^3 = \tfrac{9}{4}ydy^2$$

$$\sqrt{(dx^2 + dy^2)} = \sqrt{(\tfrac{9}{4}ydy^2 + dy^2)} = \tfrac{1}{2}\sqrt{(9ydy^2 + 4dy^2)} = \tfrac{1}{2}dy\sqrt{(9y + 4)}$$

Ut elementum integrabile reddatur, fiat

$$\sqrt{(9y + 4)} = v$$

erit $9y + 4 = v^2$

$$9dy = 2vdv$$

$$\tfrac{1}{2}dy\sqrt{(9y + 4)} = \tfrac{1}{9}v^2 dv$$

$$\int \tfrac{1}{2}dy\sqrt{(9y + 4)} = \tfrac{1}{27}v^3$$

$$= \tfrac{1}{27}(9y + 4)\sqrt{(9y + 4)}.$$

Ut

Ut vero summa exprimat longitudinem arcus, fiat $y=0$; erit residuum $=\frac{4}{27}\sqrt{4}=\frac{8}{27}$: adeoque arcus $\frac{1}{27}(9y+4)\sqrt{(9y+4)}-\frac{8}{27}$ (§. 109).

COROLLARIUM.

151. Sit parameter parabolæ Apollonianæ 1, AP = 1, PQ $=\frac{9}{4}y$, erit AQ $=\frac{9}{4}y+1$ & ob parametrum 1, $QN^2=\frac{9}{4}y+1=(9y+4):4$ (§. 388 part. 1.), consequenter QN $=\frac{1}{2}\sqrt{(9y+4)}$. Est adeo elementum QN*nq* spatii parabolici PMNQ $=\frac{1}{2}dy\sqrt{(9y+4)}$: quod divisum per 1 sive parametrum dat elementum arcus parabolæ secundi generis, ad quam $ax^2=y^3$. Pendet adeo rectificatio a quadratura parabolæ Apollonianæ: quæ cum dari possit (§. 103), mirum non est, illam quoque rectificabilem esse. Tab. II. *Fig.* 19.

PROBLEMA L.

152. *Infinitas parabolas rectificare.*

Si parameter = 1, pro infinitis parabolis (§. 519 *part.* 1.)

$$y^m=x$$
$$my^{m-1}dy=dx$$
$$m^2y^{2m-2}dy^2=dx^2$$

h. e. si brevitatis gratia fiat $2m-2=r$

$$m^2y^r dy^2=dx^2$$

$$\sqrt{(dx^2+dy^2)}=\sqrt{(m^2y^r dy^2+dy^2)}=dy\sqrt{(m^2y^r+1)}$$

Ut elementum integrabile reddatur, ex m^2y^r+1 extrahenda est radix per theorema generale (§. 99. *part.* 1.); in quo erit

$$m=1,\ n=2,\ P=1,\ Q=m^2y^r$$
$$P^{n:m}=1=A$$
$$\frac{m}{n}AQ=\frac{1}{2}m^2y^r=B$$
$$\frac{m-n}{2n}BQ=-\frac{1}{4}\cdot\frac{1}{2}m^2y^r\cdot m^2y^r=-\frac{1}{2.4}m^4y^{2r}=C$$
$$\frac{m-2n}{3n}CQ=-\frac{3}{6}\cdot-\frac{1}{2.4}m^4y^{2r}\cdot m^2y^r=+\frac{1.3}{2.4.6}m^6y^{3r}=D.$$
$$\frac{m-3n}{4n}DQ=-\frac{5}{8}\cdot\frac{1.3}{2.4.6}m^6y^{3r}\cdot m^2y^r=-\frac{1.3.5}{2.4.6.8}m^8y^{4r}=E$$
$$\frac{m-4n}{5n}EQ=-\frac{7}{10}\cdot-\frac{1.3.5}{2.4.6.8}m^8y^{4r}\cdot m^2y^r=+\frac{1.3.5.7}{2.4.6.8.10}m^{10}y^{5r}$$ &c. in infinitum.

Habemus itaque $dy\sqrt{(1+m^2y^r)}=dy+\frac{1}{2}m^2y^r dy-\frac{1}{2.4}m^4y^{2r}dy+\frac{1.3}{2.4.6}m^6y^{3r}dy-\frac{1.3.5}{2.4.6.8}m^8y^{4r}dy+\frac{1.3.5.7}{2.4.6.8.10}m^{10}y^{5r}dy$ &c. in infinit. cujus integrale $y+\frac{1}{2(r+1)}m^2y^{r+1}-\frac{1}{2.4(2r+1)}m^4y^{2r+1}+\frac{1}{2.4.6(3r+1)}m^6y^{3r+1}-\frac{1.3.5}{2.4.6.8(4r+1)}m^8y^{4r+1}+\frac{1.3.5.7}{2.4.6.8.10(5r+1)}m^{10}y^{5r+1}$. &c. in infinitum indefinite exprimit arcum parabolicum cujuscunque generis.

Quodsi pro r substituatur valor ipsius $2m-2$; prodibit idem arcus $=y+\frac{1}{2(2m-1)}m^2y^{2m-1}-\frac{1}{2.4(4m-3)}m^4y^{4m-3}+\frac{1.3}{2.4.6(6m-5)}m^6y^{6m-5}-\frac{1.3.5}{2.4.6.8(8m-7)}m^8y^{8m-7}+\frac{1.3.5.7}{2.4.6.8.10(10m-9)}m^{10}y^{10m-9}$ &c. in infinitum.

PROBLEMA LI.

152. *Dato sinu* PQ *arcus* AP *invenire arcum* AP. Tab. I. *Fig.* 7.

Sit radius AI $=1$, PQ $=y$, AQ $=x$; erit (§. 377. *part.* 1.)

$2x$-

$$2x - xx = yy$$
$$2dx - 2xdx = 2ydy$$
$$dx = ydy : (1 - x)$$
$$dx^2 = y^2dy^2 : (1 - 2x + xx) = y^2dy^2 : (1 - y^2)$$
$$dx^2 + dy^2 = \frac{y^2dy^2}{1-y^2} + dy^2$$
$$= (y^2dy^2 + dy^2 - y^2dy^2):(1 - y^2) = dy^2:(1 - y^2)$$
$$\sqrt{(dx^2 + dy^2)} = dy:\sqrt{(1 - y^2)} = dy(1 - y^2)^{-1:2}.$$

Resolvatur hoc elementum in seriem infinitam per extractionem radicis vi theorematis generalis (§. 99 part. 1), in quo erit

$$m = -1,\ n = 2,\ P = 1,\ Q = -y^2$$
$$P^{m:n} = 1 = A$$
$$\frac{m}{n}AQ = -\tfrac{1}{2}.1. - y^2 = \tfrac{1}{2}y^2 = B$$
$$\frac{m-n}{2n}BQ = -\tfrac{3}{4}.\tfrac{1}{2}y^2. - y^2 = \tfrac{1.3}{2.4}y^4 = C$$
$$\frac{m-2n}{3n}CQ = -\tfrac{5}{6}.\tfrac{1.3}{2.4}y^4. - y^2 = \tfrac{1.3.5}{2.4.6}y^6 = D$$
$$\frac{m-3n}{4n}DQ = -\tfrac{7}{8}.\tfrac{1.3.5}{2.4.6}y^6. - y^2 = \tfrac{1.3.5.7}{2.4.6.8}y^8 \text{ \&c. in infin.}$$

Est adeo $dy:\sqrt{(1 - y^2)} = dy + \frac{1}{2}y^2dy + \frac{1.3}{2.4}y^4dy + \frac{1.3.5}{2.4.6}y^6dy + \frac{1.3.5.7}{2.4.6.8}y^8dy$ &c. in infinitum, cujus integrale $y + \frac{1}{2.3}y^3 + \frac{1.3}{2.4.5}y^5 + \frac{1.3.5}{2.4.6.7}y^7 + \frac{1.3.5.7}{2.4.6.8.9}y^9$ &c. est arcus AP, cujus sinus PQ $= y$, sinu toto existente 1. Si terminus primus dicatur A, secundus B, tertius C, quartus D &c. & secundus multiplicetur per $\frac{1}{1}$, tertius per $\frac{3}{3}$, quartus per $\frac{3.5}{3.5}$ quintus per $\frac{3.5.7}{3.5.7}$ &c. cum sit

$$A = y$$
$$B = \frac{1}{2.3}y^3 = \frac{1.1}{2.3}Ay^2$$
$$C = \frac{1.3}{2.4.5}y^5 = \frac{1.3.3}{2.3.4.5}y^5 = \frac{3.3}{4.5}By^2$$
$$D = \frac{1.3.5}{2.4.6.7}y^7 = \frac{1.3.3.5.5}{2.3.4.5.6.7}y^7 = \frac{5.5}{6.7}Cy^2$$
$$E = \frac{1.3.5.7}{2.4.6.8.9}y^9 = \frac{1.3.3.5.5.7.7}{2.3.4.5.6.7.8.9}y^9 = \frac{7.7}{8.9}Dy^2$$

series inventa in hanc degenerat: $y + \frac{1.1}{2.3}Ay^2 + \frac{3.3}{4.5}By^2 + \frac{5.5}{6.7}Cy^2 + \frac{7.7}{8.9}Dy^2$ &c.

Si Cosinus QI $= x$; erit (§. 417. *Geom.*) PQ $= \sqrt{(1 - xx)}$. Sit pq ipsi PQ infinite propinqua & PO ad pq perpendicularis: cum anguli Q & q sint recti *per hyp.* PO $=$ Q$q = dx$ & $\triangle\triangle$ pOP atque PQI rectangula. Quare cum OPQ sit rectus (§. 230 *Geom.*) & pPI itidem rectus (§. 38.); erit etiam pPO $=$ IPQ (§. 91. *Arithm.*), consequenter (§. 267. *Geom.*)

$$PQ : PI = PO : Pp$$
$$\sqrt{(1 - xx)} : 1 = dx : \frac{dx}{\sqrt{(1 - xx)}}$$

Cum adeo hoc elementum coincidat cum anteriore, evidens est, si in serie anteriore pro y substituatur x, prodire seriem pro arcu, qui est illius complementum ad 90°.

COROLLARIUM I.

154. Quoniam elementum arcus Mm $= dy:\sqrt{(1 - y^2)}$, si MC $= 1$, PM $= y$ (§. 143); erit sector elementaris MCm $= dy : 2\sqrt{(1 - y^2)}$ (§. 415. *Geom.*), consequenter sector BCM $= \frac{1}{2}\int dy : \sqrt{(1 - y^2)} = \frac{1}{2}y + \frac{1}{3}y^3 + \frac{3}{4.5}y^5 + \frac{3.5}{4.6.7}y^7 + \frac{3.5.7}{4.6.8.9}y^9$ &c. in infinit. Tab. II. *Fig.* 20.

COROLLARIUM II.

155. Quodsi MC $=1$, PC $=y$, erit denuo M$m = dy : \sqrt{(1-y^2)}$ (§. 153), consequenter & MC$m = dy : 2\sqrt{(1-y^2)}$: Summa vero exhibet sectorem MCO.

COROLLARIUM III.

156. Si fiat $y=1$, sector BCM vel MCO degenerat in quadrantem, qui adeo erit $= \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{3}{4.5} + \frac{3.5}{4.6.7} + \frac{3.5.7}{4.6.8.9}$ &c. sive $\frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{3}{20} + \frac{5}{56} + \frac{35}{576}$ &c. in infinit. Eadem series integrum circulum exprimit, si fuerit diameter $=1$.

PROBLEMA LII.

Tab. I. Fig. 7. 157. *Dato sinu verso* AQ *invenire arcum* AP.

Sit AQ $=x$, diameter AB $=1$, erit QP $=\sqrt{(x-xx)}$ (§. 377 *part.* I.) & *vi probl. præc.* P$p = dx : 2\sqrt{(x-xx)} = \frac{1}{2}dx$ $(x-xx)^{-1:2}$. Cum adeo sit in theoremate generali (§. 99 *part.* I.) $m=-1$, $n=2$, P $=x$, Q $=-x$; erit

$$P^{m:n} = x^{-1:2} = A$$
$$\frac{m}{n}\,AQ = -\tfrac{1}{2}.\,x^{-1:2}.-x = \tfrac{1}{2}x^{1:2} = B$$
$$\frac{m-n}{2n}\,BQ = -\tfrac{3}{4}.\tfrac{1}{2}x^{1:2}.-x = \tfrac{1.3}{2.4}x^{3:2} = C$$
$$\frac{m-2n}{3n}\,CQ = -\tfrac{5}{6}.\tfrac{1.3}{2.4}x^{3:2}.-x = \tfrac{1.3.5}{2.4.6}x^{5:2} = D$$
$$\frac{m-3n}{4n}\,DQ = -\tfrac{7}{8}.\tfrac{1.3.5}{2.4.6}x^{5:2}.-x = \tfrac{1.3.5.7}{2.4.6.8}x^{7:2}$$

&c. in infinitum.

Hinc $\frac{1}{2}dx : \sqrt{(x-xx)} = \frac{1}{2}x^{-1:2}\,dx + \frac{1}{4}x^{1:2}\,dx + \frac{1.3}{4.4}x^{3:2}\,dx + \frac{1.3.5}{4.4.6}x^{5:2}dx + \frac{1.3.5.7}{4.4.6.8}x^{7:2}\,dx$ &c. in infinitum, cujus integrale $x^{1:2} + \frac{1}{2.3}x^{3:2} + \frac{1.3}{2.4.5}x^{5:2} + \frac{1.3.5}{2.4.6.7}x^{7:2} + \frac{1.3.5.7}{2.4.6.8.9}x^{9:2}$ &c. in infinitum, seu $\sqrt{x}(1 + \frac{1}{2.3}x + \frac{1.3}{2.4.5}x^2 + \frac{1.3.5}{2.4.6.7}x^3 + \frac{1.3.5.7}{2.4.6.8.9}x^4$ &c. in infinitum) exprimit arcum AP, quia $x^{1:2} = \sqrt{x}$.

PROBLEMA LIII.

158. *Data tangente* BK *invenire arcum* BM. Tab. II. Fig. 20.

Sit tangens BK $=x$, radius EC $=1$, erit M$m = dx : (1+x^2) = dx - x^2\,dx + x^4dx - x^6dx + x^8\,dx - x^{10}\,dx$ &c. in infinitum (§. 124). Hujus seriei summa $x - \frac{1}{3}x^3 + \frac{1}{5}x^5 - \frac{1}{7}x^7 + \frac{1}{9}x^9 - \frac{1}{11}x^{11}$ &c. in infinitum dat arcum BM.

Cum tangens 45° sit radio æqualis (§. 32. *Trigon.*) si pro x ponatur 1; prodibit arcus 45° seu dimidius quadrans $\frac{1}{1} - \frac{1}{3} + \frac{1}{5} - \frac{1}{7} + \frac{1}{9} - \frac{1}{11}$ &c. in infinitum, quæ eadem series quadranti satisfacit, si diameter $=1$.

PROBLEMA LIV.

160. *Dato arcu* BM *invenire sinum* PM. Tab. II. Fig. 20.

Sit sinus PM $=y$, radius BC $=1$, arcus BM $=v$; erit $v = y + \frac{1}{6}y^3 + \frac{3}{40}y^5$ &c. in infinitum (§. 156). Valor ipsius y invenietur extrahendo radicem ex $y + \frac{1}{6}y^3 + \frac{3}{40}y^5$ &c. in infinitum. Est nimirum in theoremate generali (§. 366. *part.* I.) $a=1$, $c=\frac{1}{6}$, $e=\frac{3}{40}$ &c. adeoque

$$v : a = v$$
$$-ac\,v^3 : a^5 = -\tfrac{1}{6}v^3$$
$$+(3a^2c^2 - a^3e)v^5 : a^9 = (\tfrac{3}{36} - \tfrac{3}{40})v^5$$
$$= (\tfrac{1}{12} - \tfrac{3}{40})v^5$$
$$= \tfrac{40-36}{12.40}v^5$$
$$= \tfrac{4}{12.40}v^5 = \tfrac{1}{120}v^5$$

Hinc

Hinc $y = v - \frac{1}{6}v^3 + \frac{1}{120}v^5$ &c. in infinitum $= \frac{1}{1}v - \frac{1}{1.2.3}v^3 + \frac{1}{1.2.3.4.5}v^5$ &c. in infinitum: unde lex progressionis manifesta est. Nimirum $y = v - \frac{1}{1.2.3}v^3 + \frac{1}{1.2.3.4.5}v^5 + \frac{1}{1.2.3.4.5.6.7}v^7 - \frac{1}{1.2.3.4.5.6.7.8.9}v^9$ &c.

Quodsi theorema generale supponere non libet, reperietur valor ipsius y eodem modo, quo (§. 366 *part.* I.) theorema generale investigavimus. Sit nempe

$$y = av + bv^3 + cv^5 + dv^7 + \text{\&c.}$$

erit (§. 95. *part.* I.)

$$\begin{aligned} y^3 &= a^3v^3 + 3a^2bv^5 + 3ab^2v^7 + \text{\&c.} \\ &\qquad\qquad\qquad + 3a^2cv^7 + \text{\&c.} \\ y^5 &= \qquad\quad a^5v^5 + 5a^4bv^7 + \text{\&c.} \\ y^7 &= \qquad\qquad\qquad a^7v^7 + \text{\&c.} \end{aligned}$$

Habemus itaque

$$\begin{aligned} y &= av + bv^3 + cv^5 + dv^7 \text{ \&c.} \\ \tfrac{1}{6}y^3 &= + \tfrac{1}{6}v^3 + \tfrac{1}{2}a^2bv^5 + \tfrac{1}{2}ab^2v^7 \text{ \&c.} \\ &\qquad\qquad\qquad + \tfrac{1}{2}a^2cv^7 \\ \tfrac{3}{40}y^5 &= + \tfrac{3}{40}a^5v^5 + \tfrac{3}{8}a^4bv^7 \text{ \&c.} \\ \tfrac{5}{112}y^7 &= + \tfrac{5}{112}a^7v^7 \text{ \&c.} \\ -v &= -v \end{aligned}$$

$$a - 1 = 0 \qquad b + \tfrac{1}{6} = 0$$

$$a = 1 \qquad b = -\tfrac{1}{6}$$

$$c + \tfrac{1}{2}a^2b + \tfrac{3}{40}a^5 = 0$$

h.e. $c - \frac{1}{12} + \frac{3}{40} = 0$

$$c = \frac{1}{12} - \frac{3}{40} = \frac{40 - 36}{12.40} = \frac{1}{120}$$

$$d + \tfrac{1}{2}ab^2 + \tfrac{1}{2}a^2c + \tfrac{3}{8}a^4b + \tfrac{5}{112}a = 0$$

h.e. $d + \frac{1}{72} + \frac{1}{240} - \frac{1}{16} + \frac{5}{112} = 0$

seu $d + \frac{1}{5040} = 0$

$$d = -\frac{1}{5040}$$

Nimirum $\frac{1}{72} + \frac{1}{240} = \frac{13}{720}$, $\frac{13}{720} - \frac{1}{16} = -\frac{2}{45}$ tandem $\frac{5}{112} - \frac{2}{45} = \frac{1}{5040}$.

Habemus itaque ut ante $y = v - \frac{1}{6}v^3 + \frac{1}{120}v^5 - \frac{1}{5040}v^7$ &c. in infin.

PROBLEMA LV.

161. *Dato arcu* BM *invenire tangentem* BK. Tab. II. Fig. 20.

Sit tangens $= x$, radius $= 1$, arcus $= v$; erit (§. 158.) $v = x - \frac{1}{3}x^3 + \frac{1}{5}x^5 - \frac{1}{7}x^7 + \frac{1}{9}x^9 - \frac{1}{11}x^{11}$ &c. Unde eodem modo, quo in problemate præcedente, reperitur $x = v + \frac{1}{3}v^3 + \frac{2}{15}v^5$ &c. (§. 366. *part.* I).

Est nimirum vi theorematis generalis

$$x = \frac{v}{a} + \frac{2b^2 - ac}{a^5}v^3 + \frac{14b^4 + 6a^2bd - 21ab^2c + 3a^2c^2 - a^3e}{a^9} \text{ \&c.}$$

Jam vero $a = 1$, $b = 0$, $c = \frac{1}{3}$, $d = 0$, $e = \frac{1}{5}$ per legem comparationis, adeoque

$$3a^2c^2 - a^3e = \tfrac{1}{5}$$

$$-\frac{ac}{a^5} = -\frac{1}{3} \qquad \text{h. e. } \tfrac{3}{9} - e = \tfrac{1}{5}$$

$$c = \tfrac{1}{3} \qquad e = \tfrac{3}{9} - \tfrac{1}{5} = \tfrac{1}{3} - \tfrac{1}{5} = \frac{5 - 3}{3.5} = \frac{2}{15}$$

Quare $x = v + \frac{1}{3}v^3 + \frac{2}{15}v^5$ &c.

Potest etiam valor ipsius x eodem modo inveniri, quo in problemate præcedente.

Ponamus nempe $x = av + bv^3 + cv^5 + dv^7$ &c. $= 0$; erit (§. 95 *part.* I)

$$\begin{aligned} x^3 &= a^3v^3 + 3a^2bv^5 + 3ab^2v^7 \text{ \&c.} \\ &\qquad\qquad\qquad + 3a^2cv^7 \text{ \&c.} \\ x^5 &= \mp a^5v^5 + 5a^4bv^7 \text{ \&c.} \\ x^7 &= \qquad\qquad + a^7v^7 \text{ \&c.} \end{aligned}$$

Habemus adeo ob

$x - \frac{1}{3}x^3 + \frac{1}{5}x^5 - \frac{1}{7}x^7$ &c. $= v$

$$-v = -v$$
$$x = av + bv^3 + cv^5 + dv^7 \text{ \&c.}$$
$$-\tfrac{1}{3}x^3 = -\tfrac{1}{3}a^3v^3 - a^2bv^5 - ab^2v^7 \text{ \&c.}$$
$$+\tfrac{1}{3} \qquad\qquad - a^2cv^7$$
$$+\tfrac{1}{5}x^5 = +\tfrac{1}{5}a^5v^5 + a^4bv^7 \text{ \&c.}$$
$$-\tfrac{1}{7}x^7 = -\tfrac{1}{7}a^7v^7 \text{ \&c.}$$

Quamobrem

$$a - 1 = 0 \quad b - \tfrac{1}{3} = 0 \quad c - a^2b + \tfrac{1}{5}a^5 = 0$$
$$a = 1 \quad b = \tfrac{1}{3} \quad c = b - \tfrac{1}{5} = \tfrac{1}{3} - \tfrac{1}{5}$$
$$= \frac{5-3}{15} = \frac{2}{15}$$
$$d - ab^2 - a^2c + a^4b - \tfrac{1}{7}a^7 = 0$$
$$d - \tfrac{1}{9} - \tfrac{2}{15} + \tfrac{1}{3} - \tfrac{1}{7} = 0$$
$$d = \tfrac{2}{15} + \tfrac{1}{7} - \tfrac{2}{9} = \frac{126 + 135 - 210}{945}$$
$$= \frac{51}{945} = \frac{17}{315}$$

His ergo valoribus coëfficientium a, b, c, d &c. in æquatione assumtitia $x = av + bv^3 + cv^5 + dv^7$ &c. substitutis, prodit $x = v + \frac{1}{3}v^3 + \frac{2}{15}v^5 + \frac{17}{315}v^7$ &c.

SCHOLION.

161. *Me non monente apparet, si plures termini desiderentur, assumtitiam quoque ex pluribus constandam esse.*

PROBLEMA LVI.

Tab. I. Fig. 7. 163. *Dato arcu* AP *invenire sinum versum* AQ.

Quodsi formulam desideres, quam *Newtonus* dedit (*a*); radius supponi debet 1. In formula superiori, quam pro arcu ex sinu verso eruimus (§. 157), diameter est 1. Quamobrem hæc prius eadem, qua supra usi sumus, methodo eruenda. Sit igitur AI $= 1$, AQ $= x$, erit AB $= 2$, PQ $= \sqrt{(2x - x^2)}$ & per demonstrata (§. 153)

$$PQ : PI = PO : Pp$$
$$\sqrt{(2x - x^2)} : 1 = dx : Pp$$

(*a*) In epistola ad *Leibnitium*, quæ legitur apud *Wallisium* Vol. III. Oper. f. 625.

consequenter $Pp = dx : \sqrt{(2x - x^2)} = dx\,(2x - x^2)^{-1:2}$ cumque sit (§. 99. *part.* I.)

$m = -1$, $n = 2$, $P = 2x$, $Q = x^2 : 2x = -\frac{1}{2}x$, erit

$$P^{m:n} = (2x)^{-1:2} = \frac{x^{-1:2}}{\sqrt{2}} = A,$$
$$\frac{m}{n}AQ = -\tfrac{1}{2}\cdot\frac{x^{-1:2}}{\sqrt{2}}\cdot -\tfrac{1}{2}x = +\frac{x^{1:2}}{4\sqrt{2}} = B$$
$$\frac{m-n}{2n}BQ = -\tfrac{3}{4}\cdot\frac{x^{1:2}}{4\sqrt{2}}\cdot -\tfrac{1}{2}x = +\frac{3x^{3:2}}{32\sqrt{2}} = C$$
$$\frac{m-2n}{3n}CQ = -\tfrac{5}{6}\cdot\frac{3x^{3:2}}{32\sqrt{2}}\cdot -\tfrac{1}{2}x = +\frac{5x^{5:2}}{128\sqrt{2}}$$

&c.

Est itaque $Pp = \dfrac{x^{-1:2}dx}{\sqrt{2}} + \dfrac{x^{1:2}dx}{4\sqrt{2}} + \dfrac{3x^{3:2}dx}{32\sqrt{2}} + \dfrac{5x^{5:2}dx}{128\sqrt{2}}$ &c.

adeoque arcus $AP = \dfrac{2x^{1:2}}{\sqrt{2}} + \dfrac{x^{3:2}}{6\sqrt{2}} + \dfrac{3x^{5:2}}{80\sqrt{2}} + \dfrac{5x^{7:2}}{448\sqrt{2}}$ &c.

Nam
$$\frac{x^{3:2}}{4\sqrt{2}\cdot\frac{3}{2}} = \frac{2x^{3:2}}{3\cdot 4\sqrt{2}} = \frac{x^{3:2}}{6\sqrt{2}}$$
$$\frac{3x^{5:2}}{32\sqrt{2}\cdot\frac{5}{2}} = \frac{2\cdot 3x^{5:2}}{5\cdot 32\sqrt{2}} = \frac{3x^{5:2}}{80\sqrt{2}}$$
$$\frac{5x^{7:2}}{128\sqrt{2}\cdot\frac{7}{2}} = \frac{2\cdot 5x^{7:2}}{128\cdot 7\sqrt{2}} = \frac{5x^{7:2}}{448\sqrt{2}}$$

Sit jam AP $= v$,

erit $v = \dfrac{2x^{1:2}}{\sqrt{2}} + \dfrac{x^{3:2}}{6\sqrt{2}} + \dfrac{3x^{5:2}}{80\sqrt{2}} + \dfrac{5x^{7:2}}{448\sqrt{2}}$ &c.

adeoque

$$v^2 = \frac{4x}{2} + \frac{4x^2}{2.6} + \frac{x^3}{2.36} \text{ \&c.} + \frac{4.\,3x^3}{2.\,80}$$

hoc est, $v^2 = 2x + \frac{1}{3}x^2 + \frac{1}{72}x^3 + \frac{3}{40}x^3$

Ponatur

Ponatur

$$x = av^2 + bv^4 + cv^6 \ \&c.$$

erit

$$x^2 = \qquad a^2v^4 + 2abv^6$$

$$x^3 = \qquad + a^3v^6$$

adeoque

$$2x = 2av^2 + 2bv^4 + 2cv^6 \ \&c.$$

$$+\tfrac{1}{3}x^2 = \qquad +\tfrac{1}{3}a^2v^4 + \tfrac{2}{3}abv^6$$

$$+\tfrac{1}{72}x^3 = \qquad + \tfrac{1}{72}a^3v^6$$

$$+\tfrac{3}{40}x^3 = \qquad + \tfrac{3}{40}a^3v^6$$

$$-v^2 = -v^2$$

Quamobrem

$$2a - 1 = v \qquad 2b + \tfrac{1}{3}a^2 = 0$$

$$2a = 1 \qquad 2b = -\tfrac{1}{3}a^2$$

$$a = \tfrac{1}{2} \qquad b = -\tfrac{1}{6}a^2 = -\tfrac{1}{6.4} = -\tfrac{1}{24}$$

$$2c + \tfrac{2}{3}ab + \tfrac{1}{72}a^3 + \tfrac{3}{40}a^3 = 0$$

$$c = -\tfrac{1}{3}ab - \tfrac{1}{144}a^3 - \tfrac{3}{80}a^3$$

$$-\tfrac{1}{3}ab = +\tfrac{1}{144} = +\frac{8}{144.8}$$

$$-\tfrac{1}{144}a^3 = -\frac{1}{144.8}$$

$$-\tfrac{1}{3}ab - \tfrac{1}{144}a^3 = \frac{7}{144.8} = \tfrac{7}{1152}$$

$$-\frac{3a^3}{80} = -\frac{3}{80.8} = -\tfrac{3}{640}$$

$$c = \frac{4480 - 3456}{1152.640} = \frac{1024}{1152.640} = \frac{16}{1152.10} = \frac{1}{720}$$

Est igitur $x = \tfrac{1}{2}v^2 - \tfrac{1}{24}v^4 + \tfrac{1}{720}v^6$ &c. Enimvero $2 = 1.2$, $24 = 1.2.3.4$, $720 = 1.2.3.4.5.6$. Quare $x = \frac{1}{1.2}v^2 - \frac{1}{1.2.3.4}v^4 + \frac{1}{1.2.3.4.5.6}v^6$ &c. Quodsi jam terminus primus dicatur A, secundus B, tertius C &c. erit $x = \frac{1}{1.2}v^2 - \frac{1}{3.4}Av^2 + \frac{1}{5.6}Bv^2 - \frac{1}{7.8}Cv^2$ &c. in infinitum.

Corollarium I.

164. Quoniam radius $= 1$, erit sinus complementi seu cosinus arcus $v = 1 - \frac{1}{1.2}v^2 + \frac{1}{1.2.3.4}v^4 - \frac{1}{1.2.3.4.5.6}v^6 + \frac{1}{1.2.3.4.5.6.7.8}v^8$ &c.

Corollarium II.

165. Si $1 - \frac{1}{1.2}v^2 + \frac{1}{1.2.3.4}v^4$, sive $1 - \frac{1}{2}v^2 + \frac{1}{24}v^4$ praxi satisfacit pro sinu complementi arcus, & cosinus iste dicatur c; erit $c = 1 - \frac{1}{2}v^2 + \frac{1}{24}v^4$, consequenter $v = \sqrt{(6 + \sqrt{(24c + 12)})}$ (§. 143. *part.* 1).

Problema LVII.

166. *Dato arcu* BM *invenire secantem* KC. Tab.II. *Fig.*20.

Sit $BC = 1$, arcus $= v$, erit $KB = v + \frac{1}{3}v^3 + \frac{2}{15}v^5 +$ &c. (§. 161) adeoque $BC^2 = 1$, $KB^2 = v^2 + \frac{2}{3}v^4 + \frac{1}{9}v^6 + \frac{4}{15}v^6$ &c. consequenter (§. 417. *Geom.*) ob $\frac{1}{9}v^6 + \frac{4}{15}v^6 = \frac{17}{45}v^6$, $KC^2 = 1 + v^2 + \frac{2}{3}v^4 + \frac{17}{45}v^6$ &c. Quodsi inde radix vulgari modo extrahatur, prodit $KC = 1 + \frac{1}{2}v^2 + \frac{5}{24}v^4 + \frac{61}{720}v^6$ &c. quemadmodum typus exempli ostendit.

$$1 + v^2 + \tfrac{2}{3}v^4 + \tfrac{17}{45}v^6 \ \&c.$$

$$1$$

$$+ v^2 + \tfrac{2}{3}v^4 + \tfrac{17}{45}v^6 \ \&c.$$

$$(2)$$

$$+ v^2 + \tfrac{1}{4}v^4$$

$$+ \tfrac{5}{12}v^4 + \tfrac{17}{45}v^6 \ \&c.$$

$$(2 + v^2)$$

$$+ \tfrac{5}{12}v^4 + \tfrac{5}{24}v^6 \ \&c.$$

$$+ \tfrac{61}{360}v^6 \ \&c.$$

$$(2 + v^2 + \tfrac{5}{12}v^4)$$

$$+ \tfrac{61}{360}v^6 \ \&c.$$

&c. &c.

SCHOLION.

167. *Seriem pro sinu & sinu verso ex arcu, atque pro arcu ex iisdem determinando invenit* Newtonus (l); *seriem pro tangente & secante ex arcu, atque arcu ex tangente determinando*, Jacobus Gregorius (m). *Existimavit autem* Leibnitius *series istas Trigonometriam canonicam ad quantamcunque exactitudinem in numeris a Tabularum necessitate liberare.*

PROBLEMA LVIII.

Tab. I. Fig. 7. 168. *Rectificare cycloidem.*

Sit $AQ = x$, $AB = 1$, erit $Qq = MS = dx$, $PQ = \sqrt{(x - xx)}$ (§. 377 *part.* I.) & hinc $AP = \sqrt{x} = x^{1:2}$ (§.417 *Geom.*), consequenter ob $\triangle\triangle$ APQ & MmS similitudinem supra demonstratam (§. 131).

$$AQ : AP = MS : Mm$$
$$x : x^{1:2} = dx : x^{-1:2}\, dx$$

Est ergo Mm differentiale arcus Cycloidici AM $= x^{-1:2} dx$. Unde $\int x^{-1:2} dx = 2x^{1:2} = 2AP$ est arcus AM, seu arcus Cycloidis AM est chordæ arcus circuli genitoris ipsi respondentis AP duplus.

PROBLEMA LIX.

Tab. IV. Fig. 49. 169. *Data chorda arcus* AP *invenire arcum cognominem, quem subtendit.*

Sit $AB = 1$, $AP = x$: cum angulus APB sit rectus (§. 317. *Geom.*) erit $PB = \sqrt{(1 - x^2)}$ (§.417 *Geom.*). Sit porro Ap ipsi AP infinite propinqua. Quoniam angulus AQB = APB + PAp (§. 239. *Geom.*) & PAp, cujus mensura est $\frac{1}{2}$ Pp (§. 314. *Geom.*) infinite parvus; erit AQB = APB (§.4), consequenter rectus (§. 145 *Geom.*) Est igitur & PQp = AQB (§.156 *Geom.*) rectus (§. 145 *Geom.*) itidemque AQP rectus (§. 65. *Geom.* adeoque ipsi APQ æqualis (§.145. *Geom.*) & hinc AP=AQ (§. 253. 89. *Geom.*), consequenter QP differentiale chordæ AP (§. 6) $= dx$. Porro anguli PAB mensura est arcus dimidius PB & anguli QPp mensura $\frac{1}{2}pB$ (§. 314. *Geom.*): quare cum arcus PB & pB ob infinite parvum Pp sint æquales (§.4.), erit angulus PAB=QPp (§. 141. *Geom.*). Habemus itaque (§. 267. *Geom.*)

$$PB : AB = pQ : Pp$$
$$\sqrt{(1 - x^2)} : 1 = dx : Pp$$

adeoque $Pp = dx : \sqrt{(1 - x^2)}$ & hinc porro arcus $AP = \int dx : \sqrt{(1 - x^2)}$. Eadem igitur formula satisfacit arcui AP ex chorda cognomine determinando, quam supra invenimus pro eodem ex sinu PM determinando (§. 153), nimirum arcus $AP = x + \frac{1}{2.3} x^3 + \frac{1.3}{2.4.5} x^5 + \frac{1.3.5}{2.4.6.7} x^7 + \frac{1.3.5.7}{2.4.6.8.9} x^9$ &c. in infinitum.

Quodsi $PB = x$, erit $PQ = dx$ & $AP = (\sqrt{1 - x^2})$, atque eodem prorsus modo reperitur arcus $PB = \int dx : \sqrt{(1 - x^2)}$, ut adeo eadem series satisfaciat utrique arcui AP & PB inveniendo.

PROBLEMA LX.

170. *Data chorda arcus* AP *invenire segmentum circuli cognomine.*

Sit diameter circuli $AB = 1$, chorda $AP = x$, erit per demonstrata in problemate præcedente $PB = \sqrt{(1 - x^2)}$ & $pQ = dx$, nec non $\triangle APB \sim \triangle PQp$: erit etiam (§. 267. *Geom.*)

$$PB : AP = pQ : PQ$$
$$\sqrt{(1 - x^2)} : x = dx : PQ$$

adeo-

(l) Vide Commercium epistolicum D. Joh. Collins p. 40. 52.
(m) Ibidem p. 45.

adeoque PQ $= xdx : \sqrt{(1-x^2)}$, consequenter cum PQ haberi possit per arcu infinite parvo ex centro A radio AP descripto (§. 38), adeoque APQ pro sectore circulari, erit APQ $= x^2dx : 2\sqrt{(1-x^2)}$ (§. 435 *Geom.*) $= \frac{1}{2}x^2 dx\,(1-x^2)^{-1:2}$.

Est vero $(1-x^2)^{-1:2}$ seu $1 : \sqrt{(1-x^2)}$ $= 1 + \frac{1}{2}x^2 + \frac{1.3}{2.4}x^4 + \frac{1.3.5}{2.4.6}x^6 + \frac{1.3.5.7}{2.4.6.8}x^8$ &c. (§. 153), adeoque

APQ $= \frac{1}{2}x^2\,dx\,(1-x^2)^{-1:2} = \frac{1}{2}x^2\,dx + \frac{1}{4}x^4dx + \frac{1.3}{4.4}x^6\,dx + \frac{1.3.5}{4.4.6}x^8dx + \frac{1.3.5.7}{4.4.6.8}x^{10}\,dx$ &c. in infinit:

Ergo segmentum circuli AP $= \frac{1}{2.3}x^3 + \frac{1}{4.5}x^5 + \frac{1.3}{4.4.7}x^7 + \frac{1.3.5}{4.4.6.9}x^9 + \frac{1.3.5.7}{4.4.6.8.11}x^{11}$ &c. in infinitum.

PROBLEMA LXI.

Tab. IV. Fig. 49. 171. *Dato arcu* AP *invenire chordam cognominem.*

Sit diameter circuli AB $= 1$, AP $= x$, erit arcus AP $= x + \frac{1}{2.3}x^3 + \frac{1.3}{2.4.5}x^5 + \frac{1.3.5}{2.4.6.7}x^7$ &c. (§. 169.). Dicatur idem arcus v, erit $v = x + \frac{1}{2.3}x^3 + \frac{1.3}{2.4.5}x^5 + \frac{1.3.5}{2.4.6.7}x^7$ &c. adeoque AP $= x = v - \frac{1}{1.2.3}v^3 + \frac{1}{1.2.3.4.5}v^5 - \frac{1}{1.2.3.4.5.6.7}v^7 + \frac{1}{1.2.3.4.5.6.7.8.9}v^9$ &c. in infinitum, ut supra (§. 160.).

Quodsi diameter dicatur d, non 1. reperietur arcus AP $= x + \frac{1}{2.3d^2}x^3 + \frac{1.3}{2.3.5d^4}x^5 + \frac{1.3.5}{2.4.6.7d^6}x^7$ &c. & vicissim chorda AP $= v - \frac{1}{1.2.3d^2}v^3 + \frac{1}{1.2.3.4.5d^4}v^5 - \frac{1}{1.2.3.4.5.6.7d^6}v^7 + \frac{1}{1.2.3.4.5.6.7.8.9d^8}v^9$ &c. id quod calculos superiores repetenti apparet.

PROBLEMA LXII.

172. *Rectificare arcum ellipsis* GM.

Sit CG $= c$, AC $= a$, PC $= x$, PM Tab. I.
$= y$, erit (§. 432 *part.* 1) Fig. 10.

$$a^2y^2 = a^2c^2 - c^2x^2$$

$$2a^2ydy = -2c^2xdx$$

$$a^4y^2dy^2 = c^4x^2\,dx^2$$

$$dy^2 = \frac{c^4x^2dx^2}{a^4y^2} = \frac{c^4x^2dx^2}{a^4c^2 - a^2c^2x^2} = \frac{c^2x^2\,dx^2}{a^4 - a^2x^2}$$

$$dx^2 + dy^2 = dx^2 + \frac{c^2x^2dx^2}{a^4 - a^2x^2} = \frac{a^4dx^2 - a^2x^2dx^2 + c^2x^2dx^2}{a^4 - a^2x^2}$$

$$\sqrt{(dx^2 + dy^2)} = \frac{dx\sqrt{(a^4 - a^2x^2 + c^2x^2)}}{\sqrt{(a^4 - a^2x^2)}} = \frac{dx\sqrt{(a^4 - a^2x^2 + c^2x^2)}}{a\sqrt{(a^2 - x^2)}}$$

Ut elementum hoc integrabile reddatur, tam numerator $\sqrt{(a^4 - a^2x^2 + c^2x^2)}$, quam denominator $a\sqrt{(a^2 - x^2)}$, resolvendus est in seriem & series prior per posteriorem dividenda eo modo, quem mox subjiciemus. Est itaque (§. 99. *part.* 1.) in casu primo $m = 1$, $n = 2$, P $= a^4$, Q $= -(a^2 - c^2)x^2 : a^4$

Fiat:

Fiat $a^2 - c^2 = b^2$ ob commoditatem calculi, erit $Q = -b^2x^2 : a^4$.
Unde porro obtinetur

$$P^{m:n} = a^2 = A$$

$$\frac{m}{n} AQ = \tfrac{1}{2} \cdot a^2 \cdot - \frac{b^2x^2}{a^4} = - \frac{b^2x^2}{2a^2} = B$$

$$\frac{m-n}{2n} BQ = -\tfrac{1}{4} \cdot - \frac{b^2x^2}{2a^2} \cdot - \frac{b^2x^2}{a^4} = - \frac{b^4x^4}{8a^6} = C$$

$$\frac{m-2n}{3n} CQ = -\tfrac{3}{6} \cdot - \frac{b^4x^4}{8a^6} \cdot - \frac{b^2x^2}{a^4} = - \frac{b^6x}{16a^{10}} = D$$

$$\frac{m-3n}{4n} DQ = -\tfrac{5}{8} \cdot - \frac{b^6x^6}{16a^{10}} \cdot - \frac{b^2x^2}{a} = - \frac{5b^8x^8}{128a^{14}} \text{ \&c.}$$

Est itaque $\sqrt{(a^4 - b^2x^2)} = \sqrt{(a^4 - a^2x^2 + c^2x^2)} = a^2 - \frac{b^2x^2}{2a^2} - \frac{b^4x^4}{8a^6} - \frac{b^6x^6}{16a^{10}} - \frac{5b^8x^8}{128a^{14}}$ &c. in infinitum $= K$

Enimvero $\sqrt{(a^2 - x^2)} = a - \frac{x^2}{2a} - \frac{x^4}{8a^3} - \frac{x^6}{16a^5} - \frac{5x^8}{128a^7}$ &c. in infin. (§. 126.)

Quare $a\sqrt{(a^2 - x^2)} = a^2 - \tfrac{1}{2}x^2 - \frac{x^4}{8a^2} - \frac{x^6}{16a^4} - \frac{5x^8}{128a^6}$ &c. in infin. (§. 126) $= L$.

Seriem adeo primam K per alteram L divisurus probe observare debes omnes terminos in divisione emergentes in quibus x ad eandem dimensionem assurgit, haberi pro uno, cum pro coefficientibus omnibus simul sumtis substitui possit unus, qualis etiam in casu singulari revera prodiret, ubi a & b in numeris dantur, si fractiones ad eandem denominationem reductæ in unam summam colligerentur. Quamobrem terminus unusquisque dividendæ dividitur per a^2, quotcunque partibus fuerit auctus in ipso divisionis actu, & integra series dividens ducitur in quotum atque a dividenda subtrahitur, quemadmodum in communi divisione fieri solet: id quod ex typo exempli subjecti attento lectori obvium.

$$K = a^2 - \frac{b^2x^2}{2a^2} - \frac{b^4x^4}{8a^6} - \frac{b^6x^6}{16a^{10}} - \frac{5b^8x^8}{128a^{14}}$$

$$L = a^2 - \tfrac{1}{2}x^2 - \frac{x^4}{8a^2} - \frac{x^6}{16a^4} - \frac{5x^8}{128a^6}$$

$$\text{Resid. I.} - \frac{b^2x^2}{2a^2} - \frac{b^4x^4}{8a^6} - \frac{b^6x^6}{16a^{10}} - \frac{5b^8x^8}{128a^{14}}$$
$$+ \tfrac{1}{2}x^2 + \frac{x^4}{8a^2} + \frac{x^6}{16a^4} + \frac{5x^8}{128a^6}$$

$$\text{L. B} = - \frac{b^2x^2}{2a^2} + \frac{b^2x^4}{4a^4} + \frac{b^2x^6}{16a^6} + \frac{b^2x^8}{32a^3}$$
$$+ \tfrac{1}{2}x^2 - \frac{x^4}{2a^2} - \frac{x^6}{16a^4} - \frac{x^{86}}{132^6}$$

$$\begin{array}{lllll}
\text{A.} & \text{B.} & \text{C.} & \text{D.} & \text{E.} \\
1 & - \frac{b^2x2^4}{2a^4} & - \frac{b^4x^4}{8a^8} & - \frac{b^6x^6}{16a^{12}} & - \frac{5b^8x^8}{128a^{16}} \\
 & + \frac{x^2}{2a^2} & - \frac{b^2x^4}{4a^6} & - \frac{b^4x_6}{16a^{10}} & - \frac{b^6x^8}{32a^{14}} \\
 & & + \frac{3x^4}{8a^4} & - \frac{3b^2x^6}{16a^8} & - \frac{3b^4x^8}{64a^{12}} \\
 & & & + \frac{5x^6}{16a^6} & - \frac{5b^2x^8}{32a^{10}} \\
 & & & & + \frac{35x^8}{128a_8}
\end{array}$$

Resid.

$$\begin{array}{llll}
\text{Resid. II.} & -\frac{b^4x^4}{8a^6} & -\frac{b^6x^6}{16a^{10}} & -\frac{5b^8x^8}{128a^{14}} \\
 & -\frac{b^2x^4}{4a^4} & -\frac{b^2x^6}{16a^6} & -\frac{b^2x^8}{32a^8} \\
 & +\frac{3x^4}{8a^2} & +\frac{x^6}{8a^4} & +\frac{9x^8}{128a^8} \\
\hline
\text{L. C} = & -\frac{b^4x^4}{8a^6} & +\frac{b^4x^6}{16a^8} & +\frac{b^4x^8}{64a^{10}} \\
 & -\frac{b^2x^4}{4a^4} & +\frac{b^2x^6}{8a^6} & +\frac{b^2x^8}{32a^8} \\
 & +\frac{3x^4}{8a^2} & -\frac{3x^6}{16a^4} & -\frac{3x^8}{64a^6} \\
\hline
\text{Resid. III.} = & & -\frac{b^6x^6}{16a^{10}} & -\frac{5b^8x}{128a^{14}} \\
 & & -\frac{b^4x^6}{16a^8} & -\frac{b^4x^8}{64a^{10}} \\
 & & -\frac{3b^2x^6}{16a^6} & -\frac{b^2x^8}{16a^8} \\
 & & +\frac{5x^6}{16a^4} & +\frac{15x^8}{128a^6} \\
\hline
\text{L. D} = & & -\frac{b^6x^6}{16a^{10}} & +\frac{b^6x^8}{32a^{12}} \\
 & & -\frac{b^4x^6}{16a^8} & +\frac{b^4x^8}{32a^{10}} \\
 & & -\frac{3b^2x^6}{16a^6} & +\frac{3b^2x^8}{32a^8} \\
 & & +\frac{5x^6}{16a^4} & -\frac{5x^8}{32a^6} \\
\hline
 & & & -\frac{5b^8x^8}{128a^{14}} \\
 & & & -\frac{b^6x^8}{32a^{12}} \\
 & & & -\frac{3b^4x^8}{64a^{10}} \\
 & & & -\frac{5b^2x^8}{32a^8} \\
 & & & +\frac{35x^8}{128a^6}
\end{array}$$

&c. &c.

Substituatur jam valor ipsius b. Quoniam

$b^2 = a^2 - c^2$

$b^4 = a^4 - 2a^2c^2 + c^4$

$b^6 = a^6 - 3a^4c^2 + 3a^2c^4 - c^6$

$b^8 = a^8 - 4a^6c^2 + 6a^4c^4 - 4a^2c^6 + c^8$

erit

1.

$$-\frac{b^2x^2}{2a^4} = -\frac{x^2}{2a^2} + \frac{c^2x^2}{2a}$$

$$+\frac{x^2}{2a^2} = +\frac{x^2}{2a^2}$$

$$B = +\frac{c^2x^2}{2a^4}$$

2.

$$-\frac{b^4x^4}{8a^8} = -\frac{x^4}{8a^4} + \frac{c^2x^4}{4a^6} - \frac{c^4x^4}{8a^8}$$

$$-\frac{b^2x^4}{4a^6} = -\frac{x^4}{4a^4} + \frac{c^2x^4}{4a^6}$$

$$+\frac{3x^4}{8a^4} = +\frac{3x^4}{8a^4}$$

$$C = +\frac{c^2x^4}{2a^6} - \frac{c^4x^4}{8a^8}$$

3.

$$-\frac{b^6x^6}{16a^{12}} = -\frac{x^6}{16a^6} + \frac{3c^2x^6}{16a^8} - \frac{3c^4x^6}{16a^{10}} + \frac{c^6x^6}{16a^{12}}$$

$$-\frac{b^4x^6}{16a^{10}} = -\frac{x^6}{16a^6} + \frac{c^2x^6}{8a^8} - \frac{c^4x^6}{16a^{10}}$$

$$-\frac{3b^2x^6}{16a^8} = -\frac{3x^6}{16a^6} + \frac{3c^2x^6}{16a^8}$$

$$+\frac{5x^6}{16a^6} = +\frac{5x^6}{16a^6}$$

$$D = +\frac{c^2x^6}{2a^8} - \frac{4c^4x^6}{16a^{10}} + \frac{c^6x^6}{16a^{12}}$$

4.

$$-\frac{5b^8x^8}{128a^{16}} = -\frac{5x^8}{128a^8} + \frac{5c^2x^8}{32a^{10}} - \frac{30c^4x^8}{128a^{12}} + \frac{5c^6x^8}{32a^{14}} - \frac{5c^8x^8}{128a^{16}}$$

$$-\frac{b^6x^8}{32a^{14}} = -\frac{x^8}{32a^8} + \frac{3c^2x^8}{32a^{10}} - \frac{3c^4x^8}{32a^{12}} + \frac{c^6x^8}{32a^{14}}$$

$$-\frac{3b^4x^8}{64a^{12}} = -\frac{3x^8}{64a^8} + \frac{3c^2x^8}{32a^{10}} - \frac{3c^4x^8}{64a^{12}}$$

$$-\frac{5b^2x^8}{32a^{10}} = -\frac{5x^8}{32a^8} - \frac{5c^2x^8}{32a^{10}}$$

$$+\frac{35x^8}{128a^8} = +\frac{35x^8}{128a^8}$$

$$E = \frac{c^2x^8}{2a^{10}} - \frac{3c^4x^8}{8a^{12}} + \frac{3c^6x^8}{6a^{14}} - \frac{5c^8x^8}{128a^{16}}$$

Habemus itaque

$A = 1$

$B = \frac{c^2x^2}{2a^4}$

$C = \frac{c^2x^4}{2a^6} - \frac{c^4x^4}{8a^8}$

$D = \frac{c^2x^6}{2a^8} - \frac{c^4x^6}{4a^{10}} + \frac{c^6x^6}{16a^{12}}$

$E = \frac{c^2x^8}{2a^{10}} - \frac{3c^4x^8}{8a^{12}} + \frac{3c^6x^8}{16a^{14}} - \frac{5c^8x^8}{128a^{16}}$

Quamobrem prolixo satis calculo, quem tamen distincte hic explicari consultum fuit, ut sit exemplar in casibus similibus, tandem reperitur

$$\frac{\sqrt{(a^4 - a^2x^2 + c^2x^2)}}{a\sqrt{(a^2 - x^2)}} =$$

$$1 + \frac{c^2x^2}{2a^4} + \frac{c^2x^4}{2a^6} + \frac{c^2x^6}{2a^8} + \frac{c^2x^8}{2a^{10}} \&c.$$
$$- \frac{c^4x^4}{8a^8} - \frac{c^4x^6}{4a^{10}} - \frac{3c^4x^8}{8a^{12}}$$
$$+ \frac{c^6x^6}{16a^{12}} + \frac{3c^6x^8}{16a^{14}}$$
$$- \frac{5c^8x^8}{128a^{16}}$$

Est

Est igitur elementum arcus

$$\frac{dx\sqrt{(a^4 - a^2x^2 + c^2x^2)}}{a\sqrt{(a^2 - x^2)}} =$$

$$dx + \frac{c^2x^2dx}{2a^4} + \frac{c^2x^4dx}{2a^6} + \frac{c^2x^6dx}{2a^8} + \frac{c^2x^8dx}{2a^{10}}$$
$$- \frac{c^4x^4dx}{8a^8} - \frac{c^4x^6dx}{4a^{10}} - \frac{3c^4x^8dx}{8a^{12}}$$
$$+ \frac{c^6x^6dx}{16a^{12}} + \frac{3c^6x^8dx}{16a^{14}}$$
$$- \frac{5c^8x^8dx}{128a^{16}}$$

&c. in infinitum.

Tandem adeo arcus GM $=$

$$x + \frac{c^2x^3}{6a^4} + \frac{c^2x^5}{10a^6} + \frac{c^2x^7}{14a^8} + \frac{c^2x^9}{18a^{10}} \text{ \&c.}$$
$$- \frac{c^4x^5}{40a^8} - \frac{c^4x^7}{28a^{10}} - \frac{c^4x^9}{24a^{12}}$$
$$+ \frac{c^6x^7}{112a^{12}} + \frac{c^6x^9}{48a^{14}}$$
$$- \frac{5c^8x^9}{1152a^{16}}$$

Quodsi terminorum homogeneorum coëfficientes reducas ad eandem denominationem; erit $GM = x + \frac{c^4x^3}{6a^4}$ $+ \frac{4a^2c^2 - c^4}{40a^8}x^5 + \frac{8a^4c^2 - 4a^2c^4 + c^6}{112a^{12}}x^7$ $+ \frac{64a^6c^2 - 48a^4c^4 + 24a^2c^6 - 5c^8}{1152a^{16}}x^9$

COROLLARIUM I.

173. Quodsi ponamus esse $GC : AC = 1 : m$ adeoque $AC = mc$; erit $GM = x +$ $\frac{1}{6m^4c^2}x^3 + \frac{4m^2-1}{40m^8c^4}x^5 + \frac{8m^4 - 4m^2 + 1}{112m^{12}c^6}x^7$ $+ \frac{64m^6 - 48m^4 + 24m^2 - 5}{1152m^{16}c^{18}}x^9$ &c.

Quare si species ellipsis in casu dato determinetur, hoc est, m per numerum determinatum explicetur; prodibit series multo simplicior. Sit enim $m = 2$, erit $GM =$ $x + \frac{1}{96c^2}x^3 + \frac{3}{2048c^4}x^5 + \frac{113}{458752c^6}x^9$ $+ \frac{3419}{75497412}x^9$ &c.

COROLLARIUM II.

174. Quodsi $c = a$, ellipsis degenerat in circulum & series pro circulo evadit $x + \frac{x^3}{6a^2} + \frac{3x^5}{40a^4} + \frac{5x^7}{112a^6} + \frac{35x^9}{1152a^8}$ &c. hoc est, si $a = 1$, series $= x + \frac{1}{6}x^3 + \frac{3}{40}x^5$ $+ \frac{5}{112}x^7 + \frac{35}{1152}x^9$ &c. prorsus ut supra. (§. 153).

PROBLEMA LXIII.

175. *Rectificare arcum hyperbolæ* AM. Tab. II. Fig. 24.

Sit $BC = AB = c$, $CQ = QM = x$, dimidius axis conjugatus $= a$, $CP = y$, erit $BP = y + c$, $AP = y - c$

$AP.\ PB = y^2 - c^2$

Quare (§. 469. *part.* I.)

$$a^2 : c^2 = x^2 : y^2 - c^2$$
$$a^2y^2 - a^2c^2 = c^2x^2$$
$$a^2y^2 = a^2c^2 + c^2x^2$$
$$2a^2ydy = 2c^2xdx$$
$$a^4y^2dy^2 = c^4x^2dx^2$$

h.c. $a^4c^2dy^2 + a^2c^2x^2dy^2 = c^4x^2dx^2$

$$a^4dy^2 + a^2x^2dy^2 = c^2x^2dx^2$$
$$dy^2 = \frac{c^2x^2dx^2}{a^4 + a^2x^2}$$
$$dx^2 + dy^2 = dx^2 + \frac{c^2x^2dx^2}{a^4 + a^2x^2}$$
$$= \frac{a^4dx^2 + a^2x^2dx^2 + c^2x^2dx^2}{a^4 + a^2x^2}$$

$$\sqrt{(dx^2 + dy^2)} = \frac{dx\sqrt{(a^4 + a^2x^2 + c^2x^2)}}{a\sqrt{(a^2 + x^2)}}$$

 Ele-

Elementum hoc nonnisi signis differt ab elemento ellipsis (§. 172). Quamobrem eodem prorsus modo, quo in problemate præcedente, reperitur elementum arcus $Mm =$

$$dx + \frac{c^2x^2dx}{2a^4} - \frac{c^2x^4dx}{2a^6} + \frac{c^2x^6dx}{2a^8} - \frac{c^2x^8dx}{2a^{10}} \&c.$$
$$- \frac{c^4x^4dx}{8a^8} + \frac{c^4x^6dx}{4a^{10}} - \frac{3c^4x^8dx}{8a^{12}}$$
$$+ \frac{c^6x^6dx}{16a^{12}} - \frac{3c^6x^8dx}{16a^{14}}$$
$$- \frac{5c^8x^8dx}{128a^{16}}$$

Quare arcus $AM =$

$$x + \frac{c^2x^3}{6a^4} - \frac{c^2x^5}{10a^6} + \frac{c^2x^7}{14a^8} - \frac{c^2x^9}{18a^{10}} \&c.$$
$$- \frac{c^4x^5}{40a^8} + \frac{c^4x^7}{28a^{10}} - \frac{c^4x^9}{24a^{12}}$$
$$+ \frac{c^6x^7}{112a^{12}} - \frac{c^6x^9}{48a^{14}}$$
$$- \frac{5c^8x^9}{1152a^{16}}$$

hoc est, reductione coëfficientium in eodem termino ad eandem denominationem facta, $x + \frac{c^2x^3}{6a^4}$ —

$$+ \frac{4a^2c^2 - c^4}{40a^8}x^5 + \frac{8a^4c^2 + 4a^2c^4 + c^6}{112a^{12}}x^7$$
$$- \frac{64a^6c^2 - 48a^4c^4 - 24a^2c^6 - 5c^8}{1152a^{16}}x^9 \&c.$$

Quodsi denuo hyperbolæ axes ponantur inter se ut 1 ad m, hoc est, si sit $a = mc$, reperietur arcus $AM = x$

$$+ \frac{1}{6m^4c^2}x^3 - \frac{4m^2-1}{40m^8c^4}x^5 + \frac{8m^4+4m^2+1}{112m^{12}c^6}x^7$$
$$- \frac{64m^6 - 48m^4 - 24m^2 - 5}{1152m^{16}c^8}x^9 \&c$$

Et si species hyperbolæ determinetur, explicando m per numerum determinatum 2, erit $AM = x + \frac{1}{96c^2}x^3$

$$- \frac{3}{2048c^4}x^5 + \frac{113}{4587520c^6}x^7 - \frac{3419}{754974720c^8}x^9$$

&c.

Series adeo pro arcu hyperbolico à serie pro arcu elliptico non differt nisi signis.

COROLLARIUM.

176. Si hyperbola fuerit æquilatera erit $c = a$ & series pro arcu AM multo simplicior evadit. Est nempe $= x + \frac{x^3}{6a^2} - \frac{3x^5}{40a^4}$

$$+ \frac{13x^7}{112a^6} - \frac{105x^9}{1152a^8} \&c.$$

PROBLEMA LXVI.

177. *Rectificare Logarithmicam.* Tab. I. *Fig.* 8.

Sit curvæ subtangens $= a$, $PM = y$, $Pp = dx$, erit (§. 54)

$$\frac{ydx}{dy} = a$$

$$ydx = ady$$

$$dx = \frac{ady}{y}$$

$$dx^2 = \frac{a^2dy^2}{y^2}$$

$$dx^2 + dy^2 = \frac{a^2dy^2}{y^2} + dy^2$$

$$\sqrt{(dx^2 + dy^2)} = dy\sqrt{\left(\frac{a^2}{y^2} + 1\right)}$$

Ut elementum hoc mM integrabile reddatur, ex $a^2 : y^2 + 1$ extrahenda est radix. Erit itaque in theoremate generali (§. 99. *part.* I.)

$m = 1$

$m = 1,\ n = \ ,\ 2P = \frac{a^2}{y^2},\ Q = 1 : \frac{a^2}{y^2} = \frac{y^2}{a^2}$

$P^{m:n} = \frac{a}{y} = A.$

$\frac{m}{n} AQ = \frac{1}{2}.\frac{a}{y}.\frac{y^2}{a^2} = \frac{y}{2a} = B$

$\frac{m-n}{2n} BQ = -\frac{1}{4}.\frac{y}{2a}.\frac{y^2}{a^2} = -\frac{y^3}{8a^3} = C$

$\frac{m-2n}{3n} CQ = -\frac{3}{6}.-\frac{y^3}{8a^3}.\frac{y^2}{a^2} = +\frac{y^5}{16a^5} = D$

$\frac{m-3n}{4n} DQ = -\frac{5}{8}.\frac{y^5}{16a^5}.\frac{y^2}{a^2} = -\frac{5y^7}{128a^7}$ &c.

Est itaque $\sqrt{\left(\frac{a^2}{y^2} + 1\right)} = \frac{a}{y} + \frac{y}{2a} - \frac{y^3}{8a^3} + \frac{y^5}{16a^5} - \frac{5y^7}{128a^7}$ &c. in infinitum.

Eadem series prodit, si ex $\sqrt{(a^2 + y^2)}$ extrahatur radix (§. *cit.*) &, quæ provenit, $a + \frac{y^2}{2a} - \frac{y^4}{8a^3} + \frac{y^6}{16a^5} - \frac{5y^8}{128a^7}$ porro dividatur per y. Habemus itaque elementum Mm arcus interminati MI $= \frac{a}{y}dy + \frac{ydy}{2a} - \frac{y^3}{8a^3}dy + \frac{y^5}{16a^5}dy - \frac{5y^7}{128a^7}dy$ &c.

Quare arcus MI $= \int \frac{a\,dy}{y} + \frac{y^2}{4a} - \frac{y^4}{32a^3} + \frac{y^6}{96a^5} - \frac{5y^8}{1024a^7}$ &c.

Ponatur SQ $= z$, erit arcus interminatus SI $= \int \frac{a\,dz}{z} + \frac{z^2}{4a} - \frac{z^4}{32a^3} + \frac{z^6}{96a^5} - \frac{5z^8}{1024a^7}$ &c.

Est igitur arcus MS $= \int \frac{a\,dy}{y} - \int \frac{a\,dz}{z} + \frac{y^2 - z^2}{4a} - \frac{y^4 - z^4}{32a^3} + \frac{y^6 - z^6}{96a^8} - \frac{5y^5 - 5z^8}{1024a^7}$ &c.

$\int \frac{a\,dy}{y} - \int \frac{adz}{z}$ est spatium hyperbolicum asymptoticum inter duas $a^2 : y$ & $a^2 : z$ comprehensum, & per a divisum (§. 118).

Est autem a latus potentiæ hyperbolæ, y & z sunt abscissæ in asymptoto sumtæ (§. 488 *part.* 1). Pendet adeo rectificatio curvæ logarithmicæ a quadratura hyperbolæ, quæ per series infinitas in superioribus data (§. 120).

Potest etiam alia adhuc ratione extrahi radix. Nimirum poni potest $P = 1$, $Q = \frac{a^2}{y^2} = a^2 y^{-2}$. Quare cum sit ut ante $m = 1$, $n = 2$; erit

$P^{m:n} = 1 = A$

$\frac{m}{n} AQ = \frac{1}{2}.1.a^2 y^{-2} = \frac{1}{2} a^2 y^{-2} = B$

$\frac{m-n}{2n} BQ = -\frac{1}{4}.\frac{1}{2} a^2 y^{-2}.a^2 y^{-2} = -\frac{1}{8} a^4 y^{-4} = C$

$\frac{m-2n}{3n} CQ = -\frac{3}{6}.-\frac{1}{8} a^4 y^{-4}.a^2 y^{-2} = +\frac{1}{16} a^6 y^{-6} = D$

$\frac{m-3n}{4n} DQ = -\frac{5}{8}.\frac{1}{16} a^6 y^{-6}.a^2 y^{-2} = -\frac{5}{128} a^8 y^{-8}$ &c.

Est igitur elementum curvæ $dy + \frac{1}{2} a^2 y^{-2} dy - \frac{1}{8} a^4 y^{-4} dy + \frac{1}{16} a^6 y^{-6} dy - \frac{5}{128} a^8 y^{-8} dy$ &c, in infinitum.

Quare longitudo curvæ $= y - \frac{1}{2} a^2 y^{-1} + \frac{1}{24} a^4 y^{-3} - \frac{1}{80} a^6 y^{-5} + \frac{5}{896} a^8 y^{-7}$ &c. $= y - \frac{a^2}{2y} + \frac{a^4}{24y^3} - \frac{a^6}{80y^5} + \frac{5a^8}{896y^7}$ &c.

Sit jam alia semiordinata SQ $= z$, erit longitudo curvæ $= z - \frac{a^2}{2z} + \frac{a^4}{24z^3} - \frac{a^6}{80z^5} + \frac{5a^8}{896z^7}$ &c.

Ergo arcus inter ſemiordinatas y & z interceptus MS $= y - z = \frac{a^2}{2y} + \frac{a^2}{2z} + \frac{a^4}{24y^3} - \frac{a^4}{24z^3} - \frac{a^6}{80y^5} + \frac{a^6}{80z^5} + \frac{5a^8}{896y^7} - \frac{5a^8}{896z^7}$ &c.

COROLLARIUM.

178. Quoniam ſeries iſtæ ſatisfaciunt quæſito, quatenus convergunt, & termini continuo minores fiunt (§. 53. *part.* 1), in Logarithmica autem y continuo fit minor, ita ut tandem infra ſubtangentem a decreſcat; ſerie prima utendum eſt, ſi $a > y$; poſteriori autem ſi $y > a$

PROBLEMA LXV.

179. *Rectificare hyperbolam ex æquatione ad hyperbolam intra aſymptotos.*

Quoniam $xy = a^2$ (§. 488. *part.* 1.), erit $y = a^2 : x = a^2 x^{-1}$

$$dy = -a^2 x^{-2}\, dx$$

$$dy^2 = a^4 x^{-4}\, dx^2$$

$$dy^2 + dx^2 = dx^2 + a^4 x^{-4}\, dx^2$$

$$\surd(dy^2 + dx^2) = dx\,\surd(1 + a^4 x^{-4})$$

Elementum hoc arcus hyperbolici non multum differt ab elemento arcus logarithmicæ (§. 177).

Vi theorematis generalis (§. 99. *part.* 1)

$$m = 1,\ n = 2,\ P = 1,\ Q = a^4 x^{-4}$$

$$P^{m:n} = 1 = A$$

$$\frac{m}{n} AQ = \tfrac{1}{2}.1.\, a^4 x^{-4} = \tfrac{1}{2} a^4 x^{-4} = B$$

$$\frac{m-n}{2n} BQ = -\tfrac{1}{4}.\tfrac{1}{2}\, a^4 x^{-4}.\, a^4 x^{-4} = \frac{1}{2.4} a^8 x^{-8} = C$$

$$\frac{m-2n}{3n} CQ = -\tfrac{3}{6}.-\frac{1}{2.4} a^8 x^{-8}.\, a^4 x^{-4} = + \frac{1.3}{2.4.6} a^{12} x^{-12} = D$$

$$\frac{m-3n}{4n} DQ = -\tfrac{5}{8}.\frac{1.3.}{2.4.6} a^{12} x^{-12}.\, a^4 x^{-4} = -\frac{1.3.5}{2.4.6.8} a^{16} x^{-16}\ \&c.$$

Eſt igitur elementum curvæ $dx + \tfrac{1}{2} a^4 x^{-4} dx - \frac{1}{2.4} a^8 x^{-8} dx + \frac{1.3}{2.4.6} a^{12} x^{-12} dx - \frac{1.3.5}{2.4.6.8} a^{16} x^{-16}$ &c. conſequenter longitudo curvæ $= x - \frac{1}{2.3} a^4 x^{-3} + \frac{1}{2.4.7} a^8 x^{-7} - \frac{1.3}{2.4.6.11} a^{12} x^{-11} + \frac{1.3.5}{2.4.6.8.15} a^{16} x^{-15}$ &c. $= x - \frac{a^4}{2.3x^3} + \frac{a^8}{2.4.7x^7} - \frac{1.3.a^{12}}{2.4.6.11\,x^{11}} + \frac{1.3.5a^{16}}{2.4.6.8.15\,x^{15}}$ &c. in infinitum.

Quodſi alia abſciſſa fit z; erit longitudo curvæ $z - \frac{a^4}{2.3z^3} + \frac{a^8}{2.4.7z^7} - \frac{1.3a^{12}}{2.4.6.11z^{11}} + \frac{1.3.5a^{16}}{2.4.6.8.15z^{15}}$ &c.

Arcus igitur inter ſemiordinatas abſciſſis x & z reſpondentes interceptus $= x - z - \frac{a^4}{2.3x^3} + \frac{a^4}{2.3z^3} + \frac{a^8}{2.4.7x^7} - \frac{a^8}{2.4.7z^7} - \frac{1.3a^{12}}{2.4.6.11x^{11}} + \frac{1.3a^{12}}{2.4.6.11z^{11}} + \frac{1.3.5a^{16}}{2.4.6.8.15x^{15}} - \frac{1.3.5a^{16}}{2.4.6.8.15z^{15}}$ &c. in infinitum.

Eadem prorſus ſeries prodit, ſi in elemento curvæ generali $\surd(dx^2 + dy^2)$ ſubſtituatur valor ipſius dx^2, ut elementum curvæ ſpeciale evadat $dy\,\surd(1 + a^4 y^{-4})$. Enimvero cum y continuo decreſcat, nec unquam ſit major latere potentiæ a; ſeries hæc altera parum convergit.

Quod-

Quodsi a dicatur 1, erit series pro arcu intercepto $x - z - \frac{1}{2.3\,x^3} + \frac{1}{2.3\,z^3} + \frac{1}{2.4.7\,x^7} - \frac{1}{2.4.7\,z^7} - \frac{1.3}{2.4.6.11\,x^{11}} + \frac{1.3}{2.4.6.11\,z^{11}} + \frac{1.3.5}{2.4.6.8.15\,x} - \frac{1.3.5}{2.4.6.8.15\,z^{15}}$ &c. in infinitum $= x - z - \frac{1}{6x^3} + \frac{1}{6z^3} + \frac{1}{56x^7} - \frac{1}{56z^7} - \frac{1}{176x^{11}} + \frac{1}{176z^{11}} + \frac{5}{1920x^{15}} - \frac{5}{1920z^{15}}$ &c. in infinitum.

PROBLEMA LXVI.

180. *Data area hyperbolæ intra asymptotos, invenire abscissam eidem respondentem.*

Sit area hyperbolæ $= t$, abscissa a fine lateris potentiæ hyperbolæ computata $= x$, erit (§. 120. *part.* I.)

$$t = x - \tfrac{1}{2}x^3 + \tfrac{1}{3}x^3 - \tfrac{1}{4}x^4 \text{ \&c.}$$

Fiat $x = at + bt^2 + ct^3 + dt^4$ &c.

$$\begin{array}{lllll}
\text{erit } x^2 = & & + a^2t^2 & + 2abt^3 & + b^2t^4 \\
 & & & & + 2act^4 \\
x^3 = & & & + a^3t^3 & + 3a^2b^2t^4 \\
x^4 = & & & & + a^4t^4
\end{array}$$

adeoque

$$\begin{array}{lllll}
x = & at & + bt^2 & + ct^3 & + dt^4 \text{ \&c.} \\
-\tfrac{1}{2}x^2 = & & -\tfrac{1}{2}a^2t^2 & - abt^3 & -\tfrac{1}{2}b^2t^4 \\
 & & & & - act^4 \\
+\tfrac{1}{3}x^3 = & & & +\tfrac{1}{3}a^3t^3 & + a^2bt^4 \\
-\tfrac{1}{4}x^4 = & & & & -\tfrac{1}{4}a^4t^4 \\
-t = & -t & & &
\end{array}$$

Habemus itaque

$$a - 1 = 0 \qquad b - \tfrac{1}{2}a^2 = 0$$
$$a = 1 \qquad b = \tfrac{1}{2}$$

$$c - ab + \tfrac{1}{3}a^3 = 0$$
$$\text{h. e. } c - \tfrac{1}{2} + \tfrac{1}{3} = 0$$
$$c = \tfrac{3}{6} - \tfrac{2}{6} = \tfrac{1}{6}$$

$$d - \tfrac{1}{2}b^2 - ac + a^2b - \tfrac{1}{4}a^4 = 0$$
$$\text{h. e. } d - \tfrac{1}{8} - \tfrac{1}{6} + \tfrac{1}{2} - \tfrac{1}{4} = 0$$
$$d = \tfrac{14}{48} - \tfrac{1}{4} = \tfrac{7}{24} - \tfrac{6}{24} = \tfrac{1}{24}$$

Est igitur $x = t + \frac{1}{2}t^2 + \frac{1}{6}t^3 + \frac{1}{24}t^4$ &c. $= \frac{1}{1}t + \frac{1}{1.2}t^2 + \frac{1}{1.2.3}t^3 + \frac{1}{1.2.3.4}t^4 + \frac{1}{1.2.3.4.5}t^5$ &c. in infinitum. Quodsi terminus primus dicatur A, secundus B, tertius C, quartus D &c. erit $x = t + \frac{1}{2}\mathrm{A}t + \frac{1}{3}\mathrm{B}t + \frac{1}{4}\mathrm{C}t + \frac{1}{5}\mathrm{D}t$ &c. in infinitum.

SCHOLION.

181. *Eodem prorsus modo in aliis casibus inveniri potest basis, si figuræ area datur per seriem infinitam, ut pluribus exemplis non sit opus.*

PROBLEMA LXVII.

182. *Quadrare Cycloidem ex supposita arcus circuli rectificatione vi sinus versi.*

In Cycloide est arcus AP $=$ PM (§. Tab. I.
575. *part.* I). Jam si AQ $= x$, arcus AP, Fig. 7.
(§. 157) consequenter

$$\mathrm{PM} = x^{1:2} + \tfrac{1}{6}x^{3:2} + \tfrac{3}{40}x^{5:2} + \tfrac{5}{112}x^{7:2} \text{ \&c.}$$
$$\mathrm{PQ} = x^{1:2} - \tfrac{1}{2}x^{3:2} - \tfrac{1}{8}x^{5:2} - \tfrac{1}{16}x^{7:2} \; (\S.124)$$
$$\mathrm{QM} = 2x^{1:2} - \tfrac{1}{3}x^{3:2} - \tfrac{1}{20}x^{5:2} - \tfrac{1}{56}x^{7:2}$$

Quare elementum QM$mq = 2x^{1:2}dx - \frac{1}{3}x^{3:2}\,dx - \frac{1}{20}x^{5:2}\,dx - \frac{1}{56}x^{7:2}\,dx$ &c. prorsus ut supra (§. 131).

SCHO-

SCHOLION.

183. *Methodo hac quadrandi cycloidem usus est* Newtonus (*a*) : *quam ideo superiori addidimus, ut appareat, quomodo subinde quadraturæ curvarum ex aliarum rectificationibus deducantur. Etenim pro circulo substitui possunt curvæ aliæ, quarum arcui* AP *æqualis est* PM. *Dari etiam possunt exempla, in quibus arcus datur non per abscissam, ut in exemplo præsente, sed per semiordinatam veluti si* AP *sit parabola* (*§.* 146).

PROBLEMA LXVIII.

484. *Data chorda arcus cujuscunque invenire chordam arcus alterius, qui sit ad illam in ratione data.*

Sit diameter circuli $= d$
chorda arcus dati $= a$
ratio arcuum $= 1 : n$
chorda arcus quæsiti $= x$
erit (§. 169).

arcus datus $= a + \frac{1}{2.3d^2}a^3 + \frac{1.3\,a^5}{2.4.5.d^4} + \frac{1.3.5}{2.4.6.7d^6}a^7$ &c $= a + \frac{1}{2.3d^2}a^3 + \frac{3.3}{2.3.4.5\,d^4}a^5 + \frac{3.3.5.5}{2.3.4.5.6.7d^6}a^7$ &c.

arcus quæsitus $= x + \frac{1}{2.3d^2}x^3 + \frac{3.3}{2.3.4.5d^4}x^5 + \frac{3.3.5.5}{2.3.4.5.6.7d^6}x^7$ &c.

Quoniam arcus datus ad quæsitum ut 1 ad n; erit (§. 297. *Arithm.*)

$$na + \frac{n}{2.3d^2}a^3 + \frac{3.3n}{2.3.4.5d^4}a^5 + \frac{3.3.5.5n}{2.3.4.5.6.7d^6}a^7 \text{ \&c.} = x + \frac{1}{2.3d^2}x^3 + \frac{3.3}{2.3.4.5.d^4}x^5 + \frac{3.3.5.5}{2.3.4.5.6.7d^6}x^7 \text{ \&c.}$$

consequenter si prima series sit $=$ A altera B, erit B — A $= 0$.

Fiat

$$\begin{array}{lllll}
x = & ha + ia^3 & + ka^5 & + la^2 & \text{\&c.} \\
x^3 = & + h^3a^3 & + 3h^2ia^5 & + 3h^2ka^7 & \\
 & & & + 3hi^2a^7 & \\
x^5 = & & + h^5a^5 & + 5h^4ia^7 & \\
x^7 = & & & + h^7a^7 &
\end{array}$$

adeoque

$$\begin{array}{lllll}
x = & ha + ia^3 & + ka^5 & + la^7 \text{ \&c} \\
+\frac{1}{2.3d^2}x^3 = & +\frac{1}{2.3d^2}h^2a^3 & +\frac{1}{2d^2}h^2ia^5 & +\frac{1}{2d^2}h^2ka^7 \text{ \&c} \\
 & & & +\frac{1}{2d_2}hi^2a^7 \text{ \&c} \\
+\frac{3.3}{2.3.4.5d^4}x^5 = & & +\frac{3.3}{2.3.4.5d^4}h^2a^5 & +\frac{3.3}{2.3.4d_4}h^4ia^7 \text{ \&c} \\
-\frac{3.3.5.5}{2.3.4.5.6.7d^6}x^7 = & & & +\frac{3.3.5.5}{2.3.4.5.6.7d^6}h^7a^7 \text{ \&c} \\
\text{\&c \&c} & & & \text{\&c} \\
-\mathrm{A} = & -na - \frac{n}{2.3d^2}a^3 & - \frac{3.3n}{2.3.4.5d^4}a^5 & - \frac{3.3.5.5n}{2.3.4.5.6.7d^4}a^7 \text{ \&c}
\end{array}$$

(*a*) In Analysi per æquationes numero terminorum infinitas. p. 18.

Habemus

Habemus itaque

$$h - n = 0$$

$$h = n$$

$$i + \frac{1}{2.3\,d^2}h - \frac{n}{2.3d^2} = 0$$

$$i = \frac{n - n^3}{2.3d^2} = \frac{n.(1 - n^2)}{2.3d^2}$$

$$k + \frac{1}{2d^2}h^2 i + \frac{3.3}{2.3.4.5d^4}h^5 - \frac{3\;3^n}{2.3.4.5d^4} = 0$$

$$k = \frac{3.3n}{2.3.4.5d^4} - \frac{3.3}{2.3.4.5d^4}h^5 - \frac{1}{2d^2}h^2 i$$

Est vero

$$h^5 = n^5 \qquad h^2 = n^2$$

$$\frac{3.3}{2.3.4.5d^4}h^5 = \frac{9n^5}{2.3.4.5d^4} \qquad i = \frac{n - n^3}{2.3d^2}$$

$$h^2 i = \frac{n^3 - n^5}{2.3d^2}$$

$$\frac{1\,h^2 i}{2d^2} = \frac{n^3 - n^5}{3.4\,d^4}$$

$$= \frac{10n^3 - 10n^5}{2.3.4.5d^4}$$

Quamobrem

$$k = \frac{9n - 9n^5 - 10n^3 + 10n^5}{2.3.4.5d^4}$$

$$= \frac{9n - 10n^3 + n^5}{2.3.4.5d^4}$$

$$= \frac{n.(1 - n^2).(9 - n^2)}{2.3.4.5d^4}$$

Eodem modo reperitur $l = \frac{n.(1-n^2).(9-n^2).(25-n^2)}{2.3.4.5.6.7d^6}$

Est igitur chorda arcus quæsiti $= na + \frac{n.(1-n^2)a^3}{2.3d^2} + \frac{m.(1-n^2).(9-n^2)}{2.3.4.5d^4}a^5 + \frac{n.(1-n^2).(9-n^2).(25-n^2)}{2.3.4.5.6.7d^6}a^7$ &c. in infinitum.

SCHOLION.

185. *Cum sinus sit arcus dimidii subtensa dimidia* (§. 2. Trigon.); *formula præsens sinibus computandis inservit.*

PROBLEMA. LXIX.

186. *Quadrare sectorem Ellipsis* DCM.

Ducatur Cm ex centro C ipsi CM infinite propinqua & ex eodem centro C radio CM describatur arcus MN, erit erit angulus ad N rectus (§. 38) & sector infinite parvus CMN = MN. $\frac{1}{2}$ CM (435 *Geom.*). Est vero Mm^2 — Nm^2 = MN^2 (§. 417 *Geom.*). Tab. IV. Fig. 50.

Sit jam AC $= a$, parameter $= b$,

PC $= x$, PM $= y$

erit AP $= a - x$

PB $= a + x$

AP. PB $= a^2 - x^2$

consequenter (§. 420 *part.* I.)

b : AB = PM^2 : AP. PB

$b : 2a = y^2 : a^2 - x^2$

$$y^2 = \frac{a^2 b - bx^2}{2a} = \frac{2a^3 b - 2abx^2}{4a^2}$$

Porro CP$^2 = x^2$

$$PM^2 = \frac{2a^3 b - 2abx^2}{4a^2}$$

$$CM^2 = x^2 + \frac{2a^3 b - 2abx^2}{4a^2}$$

$$= \frac{4a^2x^2 + 2a^3 b - 2abx^2}{4a^2}$$

$$CM = \frac{1}{2a}\sqrt{(4a^2x^2 + 2a^3 b - 2ab^2)}$$

$$= \frac{1}{2a}(4a^2x^2 + 2a^3 b - 2abx^2)^{1:2}$$

$$Nm = \frac{2axdx - bxdx}{\sqrt{(4a^2x^2 - 2abx^2 + 2a^3b)}}$$

$$Nm^2 = \frac{(4a^2x^2 - 4abx^2 + b^2x^2)dx^2}{4a^2x^2 - 2abx^2 + 2a^3b}$$

Jam $Mm^2 = \frac{(a^4 - a^2x^2 + c^2x^2)dx^2}{a^4 - a^2x^2}$ (§. 172)

Est vero $c^2 = \frac{1}{2}ab$ (§. 423 *part.* 1).

Ergo $Mm^2 = \frac{(a^4 - a^2x^2 + \frac{1}{2}abx^2)dx^2}{a^4 - a^2x^2}$

$$= \frac{(2a^3b - 2abx^2 + b^2x^2)dx^2}{2a^3b - 2abx^2}$$

Habemus itaque

$$NM^2 = \left(\frac{2a^3b - 2abx^2 + b^2x^2)dx^2}{2a^3b - 2abx^2}\right) + \frac{dx^2(-4a^2x^2 + 4abx^2 - b^2x^2)}{4a^2x^2 - 2abx^2 + 2a^3b}$$

Quodsi jam partes has ipsius NM^2 reducas ad eandem denominationem, prodibit $(2a^3b - 2abx^2 + b^2x^2)(4a^2x^2 - 2abx^2 + 2a^3b) = 8a^5bx^2 - 8a^3bx^4 + 8a^2b^2x^4 - 8a^4b^2x^2 - 2ab^3x^4 + 4a^6b^2 + 2a^3b^3x^2$ & $(-4a^2x^2 + 4abx^2 - b^2x^2)(2a^3b - 2abx^2) = -8a^5bx^2 + 8a^4b^2x^2 - 2a^3b^3x^2 + 8a^3bx^4 - 8a^2b^2x^4 + 2ab^3x^4$.

Quare $NM^2 = \frac{4a^6b^2dx^2}{(2a^3b - 2abx^2)(4a^2x^2 - 2abx^2 + 2a^3b)}$

adeoque $NM = \frac{2a^3bdx}{\sqrt{(2a^3b - 2abx^2)}\sqrt{(4a^2x^2 - 2abx^2 + 2a^3b)}}$

Jam cum sit $\frac{1}{2}CM = \frac{1}{4a}\sqrt{(4a^2x^2 - 2abx^2 + 2a^3b)}$; erit tandem elementum Sectoris $CMN = \frac{a^2bdx}{2\sqrt{(2a^3b - 2abx^2)}}$

$$= \frac{2a^2bdx}{4\sqrt{2ab}.\sqrt{(a^2 - x^2)}} = \frac{adx\sqrt{2ab}}{4\sqrt{(a^2 - x^2)}}.$$

Est vero $\sqrt{2ab} = 2c$. Ergo CMN $= \frac{2acdx}{4\sqrt{(a^2 - x^2)}} = \frac{acdx}{2\sqrt{(a^2 - x^2)}}$, consequenter sector $BCM = \frac{1}{2}c\int\frac{adx}{\sqrt{(a^2 - x^2)}}$

Enimvero $\int\frac{adx}{\sqrt{(a^2 - x^2)}}$ est elementum arcus circuli LE radio CA descripti, cujus sinus est PC (§. 153). Quare cum in superioribus hunc arcum quadrare docuimus, non alia re opus est, quam ut is ducatur in $\frac{1}{2}c$. sive quartam partem axis minoris CD, ut prodeat sector ellipticus DCM.

COROLLARIUM.

187. Quodsi fiat $c = a$, hoc est CD = CE, Ellipsis degenerat in circulum, & formula pro sectore DCM degenerat in $\frac{1}{2}a\int\frac{adx}{\sqrt{(a^2 - x^2)}} = \frac{1}{2}$ CE. LE, adeoque sector ellipticus DCM in sectorem circuli ECL (§. 435 *Geom.*). Est itaque

$$DCM : ECL = \frac{1}{2}c\int\frac{adx}{\sqrt{(a^2 - x^2)}} : \frac{1}{2}a\int\frac{adx}{\sqrt{(a^2 - x^2)}}$$
$$= c : a \quad (\text{§. 124. } part. \text{ I})$$
$$= CD : EL$$

hoc est, sector ellipticus DCM est ad sectorem circuli circa axem majorem descripti, sinu arcuum PC utrobique existente eodem, ut axis minor ad majorem.

SCHOLION.

188. *Pendet adeo quadratura sectoris elliptici a quadratura sectoris circuli.*

PROBLEMA LXX.

189. *Quadrare sectorem hyperbolicum* CAM *radio* CM *ex centro* C *ducto.*

Intelligatur radius Cm ipsi CM infinite propinquus, & radio CM descri- Tab. IV.
batur Fig. 51.

batur arcus circuli MN, erit ad N angulus rectus (§. 38.), $MN^2 = Mm^2 - Nm^2$ (§. 417 *Geom.*) & $\frac{1}{2}$CM.MN sector infinite parvus CMN (§. 435. *Geom.*) seu elementum sectoris hyperbolici quadrandi CAM.

Sit jam $PC = x$

$AC = CB = a$ erit $AP = x - a$

Parameter $= b$ $PB = x + a$

$AP.PB = x^2 - a^2$

adeoque (§. 459 *part.* I)

$AB : b = AP.PB : PM^2$

$2a : b = x^2 - a^2 : PM^2$

Quare

$$PM^2 = \frac{bx^2 - ba^2}{2a}$$

$$CP^2 = x^2$$

$$CM^2 = x^2 + \frac{bx^2 - ba^2}{2a}$$

$$= \frac{2ax^2 + bx^2 - ba^2}{2a}$$

$$= \frac{4a^2x^2 + 2abx^2 - 2a^3b}{4a^2}$$

$$CM = \frac{1}{2a}\sqrt{(4a^2x^2 + 2abx^2 - 2a^3b)}$$

$$= \frac{1}{2a}(4a^2x^2 + 2abx^2 - 2a^3b)^{1:2}$$

$$Nm = \frac{2axdx + bxdx}{\sqrt{(4a^2x^2 + 2abx^2 - 2a^3b)}}$$

$$Nm^2 = \frac{dx^2(4a^2x^2 + 4abx^2 + b^2x^2)}{4a^2x^2 + 2abx^2 - 2a^3b}$$

$$\text{Jam } y^2 = \frac{bx^2 - ba^2}{2a}$$

$$2ydy = \frac{2bxdx}{2a}$$

$$y^2dy^2 = \frac{b^2x^2dx^2}{4a^2}$$

$$dy^2 = \frac{b^2x^2dx^2}{4a^2y^2}$$

$$= \frac{b^2x^2dx^2}{2abx^2 - 2a^3b}$$

$$dx^2 + dy^2 = \frac{b^2x^2dx^2}{2abx^2 - 2a^3b} + dx^2$$

$$\text{h. e. } Mm^2 = \frac{(b^2x^2 + 2abx^2 - 2a^3b)dx^2}{2abx^2 - 2a^3b}$$

$$Nm^2 = \frac{(4a^2x^2 + 4abx^2 + b^2x^2)dx^2}{4a^2x^2 + 2abx^2 - 2a^3b}$$

$$NM^2 = \frac{(b^2x^2 + 2abx^2 - 2a^3b)dx^2}{2abx^2 - 2a^3b}$$

$$+ \frac{dx^2(-4a^2x^2 - 4abx^2 - b^2x^2)}{4a^2x^2 + 2abx^2 - 2a^3b}$$

Si fiat reductio ad eandem denominationem (§. 235. *Arithm.*), reperitur

$$b^2x^2 + 2abx^2 - 2a^3b$$
$$4a^2x^2 + 2abx^2 - 2a^3b$$

$$- 2a^3b^3x^2 - 4a^4b^2x^2 + 4a^6b^2$$
$$+ 2ab^3x^4 + 4a^2b^2x^4 - 4a^4b^2x^2$$
$$+ 4a^2b^2x^4 + 8a^3bx^4 - 8a^5bx^2$$

&

$$- 4a^2x^2 - 4abx^2 - b^2x^2$$
$$2abx^2 - 2a^3b$$

$$+ 8a^5bx^2 + 8a^4b^2x^2 + 2a^3b^3x^2$$
$$- 8a^3bx^4 - 8a^2b^2x^4 - 2ab^3x^4$$

consequenter productis hisce in unam summam collectis,

$$NM^2 = \frac{4a^6b^2dx^2}{(2abx^2 - 2a^3b)(4a^2x^2 + 2abx^2 - 2a^3b)}$$

$$NM = \frac{2a^3bdx}{\sqrt{(2abx^2 - 2a^3b)}\sqrt{(4a^2x^2 + 2abx^2 - 2a^3b)}}$$

$$\text{Jam } \tfrac{1}{2}CM = \frac{1}{4a}\sqrt{(4a^2x^2 + 2abx^2 - 2a^3b)}$$

$\frac{1}{2}$ CM. NM. $= \frac{2a^2bdx}{4\sqrt{(2abx^2 - 2a^3b)}}$

$$= \frac{adx\sqrt{2ab}}{4\sqrt{(x^2 - a^2)}}$$

Est vero $\sqrt{2ab}$ axis conjugatus (§. 461. *part.* I. qui si dicatur $2c$; erit sectoris hyperbolici elementum

$$= \frac{acdx}{2\sqrt{(x^2 - a^2)}}$$

Jam in hyperbola æquilatera $a = c$ (§. 505. *part.* I.) Ergo elementum sectoris $= \frac{a^2dx}{2\sqrt{(x^2 - a^2)}}$.

Resolvatur $1 : \sqrt{(x^2 - a^2)} = (x^2 - a^2)^{-1:2}$ in seriem (§. 99. *part.* I.) erit

$$m = -1, n = 2, P = x^2 Q = -\frac{a^2}{x^2} = -a^2x^{-2}$$

$$P^{m:n} = x^{-1} = A$$

$$\frac{m}{n}AQ = -\tfrac{1}{2}x^{-1} . -a^2x^{-2} = +\tfrac{1}{2}a^2x^{-3} = B$$

$$\frac{m-n}{2n}BQ = -\tfrac{3}{4}.\tfrac{1}{2}a^2x^{-3}. -a^2x^{-2} = + \frac{1.3}{2.4}a^4x^{-5} = C$$

$$\frac{m-2n}{3n}CQ = -\tfrac{5}{6}.\frac{1.3}{2.4}a^4x^{-5}. -a^2x^{-2} = + \frac{1.3.5}{2.4.6}a^6x^{-7} = D$$

$$\frac{m-3n}{4n}DQ = \tfrac{7}{8}.\frac{1.3.5}{2.4.6}a^6x^{-7}. -a^2x^{-2} = + \frac{1.3.5.7}{2.4.6.8}a^2x^{-9}$$

Habemus itaque

$$\frac{dx}{\sqrt{(x^2 - a^2)}} = x^{-1}dx + \tfrac{1}{2}a^2x^{-3}dx + \frac{1.3}{2.4}a^4x^{-5}dx + \frac{1.3.5}{2.4.6}a^6x^{-7}dx + \frac{1.3.5.7}{2.4.6.8}a^8x^{-9}dx$$ &c. in infinitum.

Quare $\frac{acdx}{2\sqrt{(x^2 - a^2)}} = \tfrac{1}{2}acx^{-1}dx + a^3cx^{-3}dx + \frac{1.3}{4.4}a^5cx^{-5}dx + \frac{1.3.5}{4.4.6}a^7cx^{-7}dx + \frac{1.3.5.7}{4.4.6.8}a^9cx^{-9}dx$ &c.

Habemus itaque sectorem CAM $= \tfrac{1}{2}a\int cx^{-1}dx - \frac{1}{2.4}a^3cx^{-2} - \frac{1.3}{4.4.4}a^5cx^{-4} - \frac{1.3.5}{4.4.6.6}a^7cx^{-6} - \frac{1.3.5.7}{4.4.6.8.8}a^9cx^{-8}$ &c. $= \tfrac{1}{2}ac\int x^{-1}dx - \frac{a^3c}{2.4x^2} - \frac{1.3}{4.4.4x^2}a^5c - \frac{1.3.5\,a^7c}{4.4.6.6x^6} - \frac{1.3.5.7\,a^9c}{4.4.6.8.8x^8}$ &c. in inf.

Quoniam $\tfrac{1}{2}ac\int x^{-1}dx$ pendet a quadratura hyperbolæ intra asymptotos (§. 120); evidens est quadraturam sectoris hyperbolici in hoc casu supponere quadraturam hyperbolæ intra asymptotos.

Quodsi hyperbola ad axem secundum referenda, fiat dimidius axis secundus CD$=c$, CA$=$CB$=a$, CQ$=$PM$=x$, CP$=$QM$=y$, erit PM$^2 = x^2$, AP. PB$= y^2 - a^2$ & (§. 469 *part.* I.)

$$AC^2 : CD^2 = AP. PB : PM^2$$
$$a^2 : c^2 = y^2 - a^2 : x^2$$

$$\frac{c^2y^2}{a^2} - c^2 = x^2$$

$$\frac{c^2y^2}{a^2} = x^2 + c^2$$

Quoniam linea, quæ est tertia proportionalis ad axem secundum 2CD & primarium AB dicitur parameter respectu axis secundi, quemadmodum parameter

rameter respectu axis primarii AB est tertia proportionalis ad AB & 2CD (§. 461 *part.* I); si parameter respectu axis 2CD dicatur p, erit $c : a = 2a : p$, adeoque $2a^2 : c = p$, consequenter $2a^2 : c^2 = p : c$ & $c^2 : a^2 = 2c : p$. Hoc valore ipsius $c^2 : a^2$ in æquatione substituto, prodit

$$\frac{2cy^2}{p} = x^2 + c^2$$

$$y^2 = \frac{px^2 + pc^2}{2c}$$

Jam $PM^2 = x^2$

Ergo $CM^2 = x^2 + \frac{px^2 + pc^2}{2c}$

$$= \frac{2cx^2 + px^2 + pc^2}{2c}$$

$$= \frac{4cx^2 + 2pcx^2 + 2pc^3}{4c^2}$$

$$CM = \frac{1}{2c}\sqrt{(4c^2x^2 + 2pcx^2 + 2pc^3)}$$

$$Nm = \frac{2cxdx + pxdx}{\sqrt{(4c^2x^2 + 2pcx^2 + 2pc^3)}}$$

Porro $y^2 = \frac{px^2 + pc^2}{2c}$

adeoque $2ydy = \frac{2pxdx}{2c}$

$$dy^2 = \frac{p^2x^2dx^2}{4c^2y^2}$$

$$= \frac{p^2x^2dx^2}{2pcx^2 + 2pc^3}$$

$$Mm^2 = \frac{p^2x^2dx^2}{2pcx^2 + 2pc^3} + dx^2$$

$$= \frac{p^2x^2dx^2 + 2pcx^2dx^2 + 2pc^3dx^2}{2pcx^2 + 2pc^3}$$

$$Nm^2 = \frac{(4c^2x^2 + 4pcx^2 + p^2x^2)\,dx^2}{4c^2x^2 + 2pcx^2 + 2pc^3}$$

$$NM^2 = \frac{(px^2 + 2pcx^2 + 2pc^3)\,dx^2}{2pcx^2 + 2pc^3} +$$

$$\frac{dx^2\,(-4c^2x^2 - 4pcx^2 - p^2x^2)}{4c^2x^2 + 2pcx^2 + 2pc^3} =$$

$$\frac{4p^2c^6dx^2}{(2pcx^2 + 2pc^3).(4c^2x^2 + 2pcx^2 + 2pc^3)}$$

$$NM = \frac{2pc^3dx}{\sqrt{(2pcx^2 + 2pc^3)}.\sqrt{(4c^2x^2 + 2pcx^2 + 2pc^2)}}$$

$$\tfrac{1}{2}CM = \frac{1}{4c}\sqrt{(4c^2x^2 + 2pcx^2 + 2pc^3)}$$

$$CMN = \frac{2pc^2dx}{4\sqrt{2pc}.\sqrt{(x^2 + c^2)}} = \frac{cdx\sqrt{2pc}}{4\sqrt{(c^2 + x^2)}}$$

$$= \frac{acdx}{2\sqrt{(c^2 + x^2)}} \text{ ob } \sqrt{2pc} = 2a.$$

$$= \tfrac{1}{2}acdx(c^2 + x^2)^{-1:2}$$

Resolvatur $1 : \sqrt{(c^2 + x^2)}$ in seriem: erit in theoremate generali (§. 99 *part.* I.)

$$m = -1,\; n = 2,\; P = c^2,\; Q = \frac{x^2}{c^2}$$

$$P^{m:n} = c^{-1} = \frac{1}{c} = A$$

$$\frac{m}{n}AQ = -\tfrac{1}{2}.\frac{1}{c}.\frac{x^2}{c^2} = -\frac{x^2}{2c^3} = B$$

$$\frac{m-n}{2n}BQ = -\tfrac{3}{4}. -\frac{x^2}{2c^3}.\frac{x^2}{c^2} = +\frac{1.3x^4}{2.4c^5} = C$$

$$\frac{m-2n}{3n}CQ = -\tfrac{5}{6}.\frac{1.3x^4}{2.4c^5}.\frac{x^2}{c^2} = -\frac{1.3.5x^6}{2.4.6c^7} = D$$

$$\frac{m-3n}{4n}DQ = -\tfrac{7}{8}. -\frac{1.3.5x^6}{2.4.6c^7}.\frac{x^2}{c^2} = \frac{1.3.5.7x^8}{2.4.6.8c^9} \text{ \&c.}$$

Est itaque $\frac{acdx}{2\sqrt{(c^2+x^2)}} = \frac{1}{2}adx - \frac{ax^2dx}{4c^2} + \frac{1.3ax^4dx}{4.4c^4} - \frac{1.3.5ax^6dx}{4.4.6c^6} + \frac{1.3.5.7ax^8dx}{4.4.6.8c^8}$ &c. consequenter $CMA = \frac{1}{2}ax - \frac{ax^3}{3.4c^2} + \frac{1.3ax^5}{4.4.5c^4} - \frac{1.3.5.ax^7}{4.4.6.7c^6} + \frac{1.3.5.7ax^9}{4.4.6.8.9c^8}$ &c.

Patet igitur, quadraturam sectoris hyperbolici CAM hoc in casu non pendere a Quadratura hyperbolæ intra asymptotos. Quoniam tamen x ultra a in infinitum excrescit; ubi procul a vertice discesseris, series posterior minus convergit priori; sed quandiu $x < a$, eadem magis convergit.

COROLLARIUM I.

190. Quoniam in hyperbola $y^2 = (bx^2 + bc^2) : 2c$; erit $2c : b = x^2 + c^2 : y^2$, hoc est, axis secundus seu conjugatus est ad ipsius parametrum ut Quadratum semiordinatæ PM & dimidii axis conjugati CD ad Quadratum distantiæ semiordinatæ a centro CP.

COROLLARIUM II.

191. Cum in hyperbola æquilatera sit $c = a$. sector hyperbolicus est $\int a^2 dx : 2\sqrt{(a^2+x^2)} = \frac{1}{2}ax - \frac{x^3}{3.4a} + \frac{1.3x^5}{4.4.5a^3} - \frac{1.3.5x^7}{4.4.6.7a^5} + \frac{1.3.5.7x^9}{4.4.6.8.9a^7}$ &c.

PROBLEMA LXXI.

Tab. IV. Fig. 52. 192. *Data tangente* AE *arcus elliptici* AM *invenire sectorem* AMC.

Quoniam tangens AE axi conjugato DC est parallela (§. 448. 444. *part.* I), DC vero ad AB perpendicularis; erit etiam EA perpendicularis ad AB (§. 230. *Geom.*), adeoque angulus ad A rectus (§. 78. *Geom.*). Sit jam $AC = a$, $CD = 1$. $AE = x$, $PM = y$. Ducatur Ce ipsi CE infinite propinqua, & ex centro C radio CE arcus EN atque radio CM arcus MO. Erit $\triangle EeN \backsim \triangle AEC$, quemadmodum supra in casu simili (§. 124.) demonstratum est, $Ee = dx$ & ob $EC^2 = AE^2 + AC^2$ (§. 417 *Geom.*) $EC = \sqrt{(x^2 + a^2)}$. Jam cum sit (§. 267 *Geom.*)

$$EC : AC = Ee : EN$$

$$\sqrt{(x^2 + a^2)} : a = dx : EN$$

erit $EN = \frac{adx}{\sqrt{(x^2+a^2)}}$

Porro ob parallelismum rectarum AE & PM (§. 256. *Geom.*), erit (§. 268 *Geom.*)

$$EA : AC = PM : PC$$

$$x : a = y : PC$$

adeoque $PC = \frac{ay}{x}$.

$$PC^2 = \frac{a^2y^2}{x^2}$$

Porro (§. 430 *part.* I.)

$$CD^2 : AC^2 = PM^2 : AC^2 - PC^2$$

$$1 : a^2 = y^2 : a^2 - \frac{a^2y^2}{x^2}$$

Quare (§. 297. *Arithm.*)

$$a^2y^2 = \frac{a^2x^2 - a^2y^2}{x^2}$$

$$x^2y^2 = x^2 - y^2$$

$$x^2y^2 + y^2 = x^2$$

$$PM^2 = y^2 = \frac{x^2}{x^2+1}$$

PC²

$$PC^2 = \frac{a^2y^2}{x^2} = \frac{a^2}{x^2+1}$$

$$CM^2 = \frac{x^2+a^2}{x^2+1}$$

$$CM = \frac{\sqrt{(x^2+a^2)}}{\sqrt{(x^2+1)}}$$

Denique ob ſectores ſimiles CEN & CMO (§. 137. 412. *Geom.*)

$$CE : EN = CM : OM$$

$$\sqrt{(x^2+a^2)} : \frac{adx}{\sqrt{(x^2+a^2)}} = \frac{\sqrt{(x^2+a^2)}}{\sqrt{(x^2+1)}} :$$

adeoque $OM = \frac{adx}{\sqrt{(x^2+a^2)}\sqrt{(x^2+1)}}$

Jam $\frac{1}{2}CM = \frac{\sqrt{(x^2+a^2)}}{2\sqrt{(x^2+1)}}$

Ergo $CMO = \frac{\frac{1}{2}adx}{1+x^2}$

Eſt igitur elementum ſectoris elliptici ACE idem cum ſectore circuli (§. 124), ſi $CD = 1$.

Quare ſector $AMC = \frac{1}{2}a(x - \frac{1}{3}x^3 + \frac{1}{5}x^5 - \frac{1}{7}x^7 + \frac{1}{9}x^9$ &c. in infinit.).

PROBLEMA LXXII.

193. *Dato ſectore* KFB *recta* KF *ex foco Ellipſis ducta, invenire ſemiordinatam* KQ. Tab. IV. *Fig.* 52.

Sit $AC = CB = a$, $QK = y$

$FB = b$ ſector $KFB = \frac{1}{2}v$

$CD = c$ erit Differentiale ejus $\frac{1}{2}dv$ & ob $QB.QA = BC^2 - QC^2$ (§. 431 *part.* 1.) ex natura ellipſis (§. 430 *part.* 1)

$$CD^2 : CB^2 = QK^2 : CB^2 - QC^2$$

adeoque $CD^2 : QK^2 = CB^2 : CB^2 - QC^2$ (§. 124 *part.* 1.)

$$CD^2 : CD^2 - QK^2 = CB^2 : QC^2$$

$$c^2 : c^2 - y^2 = a^2 :$$

conſequenter $CQ^2 = a^2(c^2-y^2) : c^2$

$$CQ = a\sqrt{(c^2-y^2)} : c$$
$$CB = a$$

$$QB = a - a\sqrt{(c^2-y^2)} : c$$
$$FB = b$$

$$FQ = b - a + a\sqrt{(c^2-y^2)} : c$$

Differentiale ipſius $FQ = \frac{aydy}{c\sqrt{(c^2-y^2)}}$

$$KQ = y$$

Elementum ſegmenti $KQB = \frac{ay^2dy}{c\sqrt{(c^2-y^2)}}$

Porro

$$FQ = b - a + a\sqrt{(c^2-y^2)} : c$$
$$\tfrac{1}{2}QK = \tfrac{1}{2}y$$

$$\triangle FQK = \tfrac{1}{2}by - \tfrac{1}{2}ay + \frac{ay\sqrt{(c^2-y^2)}}{2c}$$

Differentiale $\triangle FQK = \frac{1}{2}bdy - \frac{1}{2}ady - \frac{ay^2dy}{2c\sqrt{(c^2-y^2)}} + ady\sqrt{(c^2-y^2)} : 2c$ hoc eſt, reductione ad eandem denominationem facta.

$$d\triangle FQK = \frac{(bc-ac)\sqrt{(c^2-y^2)}dy + (ac^2-2ay^2)dy}{2c\sqrt{(c^2-y^2)}}$$

$$dKQB = \frac{2ay^2dy}{2c\sqrt{(c^2-y^2)}}$$

$$dFKB = \frac{(bc-ac)\sqrt{(c^2-y^2)}dy + ac^2dy}{2c\sqrt{(c^2-y^2)}}$$

$$= \frac{acdy + (b-a)\sqrt{(c^2-y^2)}dy}{2\sqrt{(c^2-y^2)}}$$

Habemus itaque

$$\frac{acdy + (b-a)\sqrt{(c^2-y^2)}dy}{2\sqrt{(c^2-y^2)}} = \tfrac{1}{2}dv$$

$$[ac + (b-a)\sqrt{(c^2-y^2)}]cdy = dv\sqrt{(c^2-y^2)}$$

$$\frac{dy}{dv}[ac + (b-a)\sqrt{(c^2-y^2)}] = \sqrt{(c^2-y^2)}$$

dy

$\frac{dy}{dv}[ac+(b-a)\sqrt{(c^2-y^2)}]-\sqrt{(c^2-y^2)}=0$

Jam ut valor ipsius y per v exprimatur, quod est quod quæritur, fiat

$y=hv+iv^3+lv^5+mv^7$ &c.

erit $dy=hdv+3iv^2dv+5lv^4dv+7mv^6dv$

$$\frac{dy}{dv}=h+3iv^2+5lv^4+7mv^6$$

$$\begin{array}{ll} y^2= & h^2v^2+2hiv^4+i^2v^6 \\ & \qquad\qquad\quad +2hlv^6 \text{ \&c.} \\ y^4= & \qquad\quad h^4v^4+4h^3iv^6 \text{ \&c.} \\ y^6= & \qquad\qquad\quad h^6v^6 \text{ \&c.} \end{array}$$

Porro (§. 99 *part.* I)

$$\begin{array}{rl} \sqrt{(c^2-y^2)}= & y^2c-\frac{y^2}{2c}-\frac{y^4}{8c^3}-\frac{y^9}{16c^5} \text{ \&c} \\ = & c-\frac{h^2v^2}{2c}-\frac{2hiv^4}{2c}-\frac{i^2v^6}{2c} \text{ \&c} \\ & \qquad\qquad\qquad\quad -\frac{2hlv^6}{2c} \text{ \&c} \\ & \qquad\quad -\frac{h^4v^4}{8c^3}-\frac{4h^3iv^6}{8c^3} \text{ \&c} \\ & \qquad\qquad\qquad\quad -\frac{h^6v^6}{16c^5} \text{ \&c} \end{array}$$

$$\frac{bdy}{dv}=bh+3biv^2+5blv^4+7bmv^6 \text{ \&c.}$$

$$\begin{array}{lllll} \frac{bdy}{dv}\sqrt{(c^2-y^2)}= & bch & +3bciv^2 & +5bclv^4 & +7bcmv^6 \\ & & -\frac{bh^3}{2c} & -\frac{2bhi^2}{2c} & -\frac{bhi^2}{2c} \\ & & & & -\frac{2bh^2l}{2c} \\ & & & -\frac{bh^5}{8c^3} & -\frac{4bh^4i}{8c^3} \\ & & & -\frac{3bh^2i}{2c} & -\frac{bh^6}{16c^5} \\ & & & & -\frac{6bhi^2}{2c} \\ & & & & -\frac{5bh^2l}{2c} \\ & & & & -\frac{3bh^4i}{8c^3} \end{array}$$

Quodsi pro b substituatur a, prodibit valor ipsius $\frac{ady}{dv}\sqrt{(c^2-y^2)}$.

Quamobrem si hi valores in æquatione $\frac{dy}{dv}[ac+(b-a)\sqrt{(c^2-y^2)}]-\sqrt{(c^2-y^2)}$ $=0$ substituatur prodibit

$\frac{acdy}{dv}$

$$\frac{acdy}{dv} = ach + 3aciv^2 + 5aclv^4 + 7acmv^6 \text{ \&c.}$$

$$\frac{bdy}{dv}\sqrt{(c^2-y^2)} = bch + 3bciv^2 + 5bclv^4 + 7bcmv^6 \text{ \&c.}$$

$$- \frac{bh^3}{2c}v^2 - \frac{2bh^2i}{2c}v^4 - \frac{bhi^2}{2c}v^6$$

$$- \frac{7bh^2l}{2c}v^6$$

$$- \frac{bh^5}{8c^3}v^4 - \frac{7bh^4i}{8c^3}v^6$$

$$- \frac{3bh^2i}{2c}v^4 - \frac{bh^3}{16c^5}v^6$$

$$- \frac{6bhi^2}{2c}v^6$$

$$- \frac{ady}{dv}\sqrt{(c^2-y^2)} = -ach - 3aciv^2 - 5aclv^4 - 7acmv^6 \text{ \&c.}$$

$$+ \frac{ah^3}{2}v^2 + \frac{2ah^2i}{2c}v^4 + \frac{ahi^2}{2c}v^6$$

$$+ \frac{7ah^2l}{2c}v^6$$

$$+ \frac{ah^5}{8c^3}v^4 + \frac{7ah^4i}{8c^3}v^6$$

$$+ \frac{3ah^2i}{2c}v^4 + \frac{ah^7}{16c^5}v^6$$

$$+ \frac{6ahi^2}{2c}v^6$$

$$- \sqrt{(c^2-y^2)} = -c + \frac{h^2}{2c}v^2 + \frac{2hi}{2c}v^4 + \frac{i^2}{2c}v^6 \text{ \&c.}$$

$$+ \frac{2hl}{2c}v^6$$

$$+ \frac{h^4}{8c^3}v^4 + \frac{4h^3i}{8c^3}v^5$$

$$+ \frac{h^6}{16c^5}v^6$$

$$= 0$$

Habemus itaque

$$ach + bch - ach - c = 0$$

$$bch - c = 0$$

$$bh - 1 = 0$$

$$bh = 1$$

$$h = \frac{1}{b}$$

$$3aci + 3bci - \frac{bh^3}{2c} - 3aci + \frac{ah^3}{2c} + \frac{h^2}{2c} = 0$$

$$6ac^2i + 6bc^2i - bh^3 - 6ac^2i + ah^3 + h^2 = 0$$

$$6bc^2i = bh^3 - ah^3 - h^2$$

$$= \frac{1}{b^2} - \frac{a}{b^3} - \frac{1}{b^2}$$

$$= - \frac{a}{b^3}$$

$$i = - \frac{a}{6b^3c^2}$$

$$5acl + 5bcl - \frac{2bh^2i}{2c} - \frac{bh^5}{8c^3} - \frac{3bh^2i}{2c} - 5acl + \frac{2ah^2i}{2c} + \frac{ah^3}{8c^3} + \frac{3ah^2i}{2c} + \frac{2hi}{2c} + \frac{h^4}{8c^3} = 0$$

$$40ac^4l + 40bc^4l - 8bc^2h^2i - bh^5 - 12bc^2h^2i - 40ac^4l + 8ac^2h^2i + ah^5 + 12ac^2h^2i + 8c^2hi + h^4 = 0$$

h. e. $40bc^4l - 20bc^2h^2i - bh^5 + 20ac^2h^2i - ah^5 + 8c^2hi + h^4 = 0$

$$40bc^4l = 20bc^2h^2i + bh^5 - 20ac^2h^2i - ah^5 - 8c^2hi - h^4$$

$h^2 = \frac{1}{b^2}$ $\qquad$ $bh^5 = \frac{1}{b^4}$

$i = -\frac{a}{6b^4c^2}$ $\qquad$ $-ah^5 = -\frac{a}{b^5}$

$h^2i = -\frac{a}{6b^6c^2}$ $\qquad$ $hi = -\frac{a}{6b^5c^2}$

$20bc^2h^2i = -\frac{10a}{3b^5}$ $\qquad$ $-8c^2hi = +\frac{4a}{3b^5}$

$-20ac^2h^2i = +\frac{10a^2}{3b^6}$

Ergo $40bc^4l =$

$$-\frac{10a}{3b^5} + \frac{1}{b^4} + \frac{10a^2}{3b^6} - \frac{3a}{3b^5} + \frac{4a}{3b^5} - \frac{1}{b^4} = \frac{10a^2}{3b^6} - \frac{9a}{3b^5} = \frac{10a^2 - 9ab}{3b^6}$$

$$l = \frac{10a^2 - 9ab}{120b^7c^4}$$

Reperitur eodem modo $m = -\frac{280a^3 + 504a^2b - 225ab^2}{5040b^{10}c^6}$, adeoque

tandem $y = \frac{1}{b}v - \frac{a}{6b^4c^2}v^3 + \frac{10a^2 - 9ab}{120b^7c^4}v^5 - \frac{280a^3 + 504a^2b - 225ab^2}{5040b^{10}c^6}v^6$ &c.

PROBLEMA LXXIII.

194. *Quadrare sectorem hyperbolicum* CAM, *data tangente ad verticem* AE. Tab. IV. *Fig.* 53.

Calculus prorsus idem, qui supra pro ellipsi in casu simili (§. 192). Si enim AC = CB = a PM = y AE = x CD = 1 erit $Ee = dx$ EC = $\sqrt{(x^2 + a^2)}$ & ob △△ AEC & EeN similitudinem EN $= adx : \sqrt{(x^2 + a^2)}$, ob similitudinem vero △△CPM & CAE ut in Ellipsi PC $= ay : x$, atque ob analogiam CD² : AC² = PM² : AC² − PC² ex natura hyperbolæ (§. 469 *part.* 1.) $a^2y^2 = (a^2x^2 - a^2y^2) : x^2$. Hinc ut supra reperitur CM $= \sqrt{(a^2 + x^2)} : \sqrt{(1 + x^2)}$ & ob CE : EN = CM : OM porro OM $= adx : \sqrt{(a^2 + x^2)}\sqrt{(1 + x^2)}$, tandemque elementum MOC sectoris CMP $= \frac{\frac{1}{2}adx}{1 + x^2}$: quod idem prorsus est, quod pro ellipsi & circulo reperimus.

COROLLARIUM.

195. Eadem ergo series sectoribus circuli, ellipsis atque hyperbolæ ex data tangente inveniendis inservit.

CAPUT

CAPUT IV.

De usu Calculi integralis in cubandis solidis & dimetiendis superficiebus eorundem.

DEFINITIO VIII.

196. *Solidum cubare* idem est ac spatium solido comprehensum dimetiri.

PROBLEMA LXXIV.

Tab. II. Fig. 19. 197. *Cubare solidum ex rotatione figuræ planæ* ANQ *circa rectam* AQ *tanquam axem facta genitum.*

RESOLUTIO.

Sit semiordinata pm alteri PM infinite propinqua: parallelogrammulum PMRp haud differet a trapeziolo PMmp (§. 99). Cylindrulus ergo, quem in rotatione figuræ ANQ circa axem AQ describit parallelogrammulum PMRp (§. 456 *Geom.*) est elementum solidi per illam rotationem producti: cujus adeo summa dat integrum solidum, quia ex innumeris cylindrulis eodem modo formatis constare concipitur.

Sit jam AP$=x$, PM$=y$, erit P$p=dx$. Sit porro ratio radii ad peripheriam $=r:p$, erit peripheria circuli radio PM descripti$=py:r$, consequenter area $py^2:2r$ (§. 429 *Geom.*), quæ ducta in Pp sive dx dat soliditatem cylindruli seu elementi solidi$=py^2dx:2r$ (§. 541 *Geom.*).

Quodsi jam ex æquatione ad curvam speciali substituatur valor ipsius y^2; habebitur, si elementum integrari possit, soliditas segmenti, cujus altitudo AP, radius basis PM, hoc est revolutione ipsius AMP circa AP geniti.

PROBLEMA LXXV.

198. *Cubare Conum.* Tab. II. Fig. 17.

Conus describitur, si triangulum ADC circa axem DC rotatur (§. 467. *Geom.*). Sit DC$=a$, AC$=r$, PM$=y$, DP$=x$; erit (§. 268 *Geom.*)

$$DP:PM=DC:CA$$
$$x:y=a:r$$

Hinc $rx:a=y$

& $r^2x^2:a^2=y^2$

$$py^2dx:2r=pr^2x^2dx:2a^2r=prx^2dx:2a^2 \quad (\text{§. } 189).$$

$$\int py^2dx:2r=prx^3:6a^2.$$

Quodsi pro x substituatur a; habebitur soliditas totius Coni $pra^3:6a^2=\frac{1}{6}apr$ $=\frac{1}{2}pr.\frac{1}{3}a$. Basis nempe $\frac{1}{2}pr$ ducenda est in tertiam altitudinis partem $\frac{1}{3}a$, ut ex elementis Geometriæ constat (§. 548. *Geom.*).

PROBLEMA LXXVI.

199. *Cubare sphæram.*

Sphæra cum describatur per rotationem semicirculi circa diametrum ejus (§. 470. *Geom.*); erit, si diameter sit $2r$,

$$yy=2rx-x^2 \quad (\text{§. } 376. \textit{part. } 1.)$$

Unde $py^2dx:2r=pxdx-px^2dx:2r$

$$\int py^2dx:2r=\tfrac{1}{2}px^2-px^3:6r$$

Habemus adeo indefinitam cubationem segmenti sphærici, cujus diameter $2r$, altitudo x.

Quodsi ergo pro x substituatur diameter $2r$; prodibit soliditas sphæræ integræ $2pr^2 - 8pr^3 : 6r = 2pr^2 - \frac{4}{3}pr^2 = \frac{2}{3}pr^2 = 2rp.\frac{1}{3}r$. Nimirum rectangulum ex diametro $2r$ in peripheriam p multiplicandum est per tertiam radii aut sextam diametri partem $\frac{1}{3}r$. Denique si diameter $2r$ sit 1; erit soliditas sphæræ $\frac{1}{6}p$.

COROLLARIUM I.

200. Sphæra igitur æquatur pyramidi quadrangulari, cujus basis est rectangulum ex diametro sphæræ $2r$ in peripheriam eadem descriptam, altitudo semidiameter sphæræ (§. 548. *Geom.*).

COROLLARIUM II.

201. Cylindri sphæræ circumscripti soliditas est pr^2 (§. 541 *Geom.*). Est itaque ad sphæram ut pr^2 ad $\frac{2}{3}pr^2$, hoc est, ut 1 ad $\frac{2}{3}$, seu ut 3 ad 2 (§. 124 *part* I.).

PROBLEMA LXXVII.

202. *Cubare Conoides parabolicum ex rotatione parabolæ cujuscunque generis circa axem suum genitum.*

Sit parameter $= 1$, erit æquatio ad infinita parabolarum genera (§. 519.)

$$y^m = x$$

$$y = x^{1:m}$$

$$y^2 = x^{2:m}$$

$$py^2dx : 2r = px^{2:m}dx : 2r$$

$$\int py^2dx : 2r = mpx^{2+m\ :m} : (4+2m)r$$

$$= mpy^2x : (4+2m)r$$

Sit altitudo totius Conoidis $= a$, diameter baseos $2r$: erit a pro x & r pro y substituto soliditas totius Conoidis $mpr^2a : (4+2m)r = \frac{m}{4+m2}apr = \frac{1}{2}pr.\frac{m}{2+m}a$.

E. gr. Si parabola genitrix fuerit Apolloniana, erit $m = 2$, adeoque $m : (2+m) = 2 : (2+2) = \frac{1}{2}$. Basis ergo ducenda est in dimidiam altitudinem: consequenter Conoides cylindri super eadem basi & ejusdem altitudinis subduplum (§. 541 *Geom.*).

PROBLEMA LXXVIII.

103. *Cubare sphæroides ellipticum ex rotatione ellipsis Apollonianæ circa axem genitum.*

Quoniam ad ellipsin Apollonianam (§. 420 *part.* I)

$$y^2 = bx - bx^2 : a$$

erit $py^2dx : 2r = pbxdx : 2r - pbx^2dx : 2ar$

$$\int py^2dx : 2r = px^2 : 4r - pbx^3 : 6ar$$

Quodsi pro abscissa x substituatur axis a, prodibit soliditas integri sphæroidis $pba^2 : 4r - pba^3 : 6ar = pba^2 : 4r - pba^2 : 6r = (6pba^2 - 4pba^2) : 24r = pba^2 : 12r$.

COROLLARIUM I.

204. Quodsi $2r$ ponatur axi conjugato æqualis; erit $4r^2 = ab$ (§. 432 *part.* I.). Unde soliditas sphæroidis habetur $4par_2 : 12r = \frac{1}{3}apr$; hoc est, sphæroides ellipticum æquatur Cono, cujus altitudo axi majori a, diameter baseos axi minoris ellipsis genitricis quadruplo $4r$ æqualis (§. 548 *Geom.*).

COROLLARIUM II.

205. Quoniam cylindri circumscripti altitudo $= a$, diameter $= 2r$, adeoque soliditas $= \frac{1}{2}apr$ (541 *Geom.*); erit sphæroides ellipti cum ad cylindrum circumscriptum ut $\frac{1}{3}apr$ ad $\frac{1}{2}apr$, hoc est, ut $\frac{1}{3}$ ad $\frac{1}{2}$, seu ut 2 ad 3 (§. 124. *part.* I.).

COROLLARIUM III.

206. Si diameter sphæræ $= a$, erit peripheria circuli maximi (posita ratione radii ad peripheriam $= r : p$) $= ap : 2r$, consequenter sphæra $= a^3p : 12r$. Est adeo sphæroides ellipticum ad sphæram axe majore a descriptam ut $\frac{1}{3}apr$ ad $a^3p : 12r$, hoc est, (dividendo per $\frac{1}{3}ap$)

$\frac{1}{3}ap$) ut r ad $a^2 : 4r$, seu ut $4r^2$ ad a^2, (nempe ut quadratum axis minoris ad quadratum majoris.

COROLLARIUM IV.

207. Si diameter sphæræ $= 2r$, erit soliditas $= \frac{2}{3}pr^2$. (§. 199). Est itaque sphæroides ellipticum ad sphæram axe minori $2r$ descriptam ut $\frac{1}{3}par$ ad $\frac{2}{3}pr^2$, hoc est, ut a ad $2r$ (§. 124 *part.* 1.), seu ut axis major ad minorem.

PROBLEMA LXXIX.

208. *Cubare Conoides hyperbolicum ex rotatione hyperbolæ Apollonianæ circa axem genitum.*

Quoniam ad hyperbolam scalenam (§. 459. *part.* 1)

$$y^2 = bx + bx^2 : a$$

erit $\int py^2dx : 2r = pbx^2 : 4r + pbx^3 : 6ar$

Et quia ad hyperbolam æquilateram (§. 507 *part.* 1.)

$$y^2 = ax + x^2$$

erit $py^2 dx : 2r = (apxdx + px^2dx) : 2r$

$\int py^2dx : 2r = apx^2 : 4r + px^3 : 6r$

COROLLARIUM.

209. Si altitudo Conoidis fuerit axi transverso æqualis, hoc est, si $x = a$; erit soliditas Conoidis in casu priore $pba^2 : 4r + pba^3 : 6ar = (6pba^2 + 4pba^2) : 24r = 10pba^2 : 24r = 5pba^2 : 12r$.

PROBLEMA LXXX.

Tab. II. Fig. 22. 210. *Cubare solidum ex rotatione Cissoidis circa axem* AB *genitum.*

Sit AB $= 1$, AP $= x$, PM $= y$; erit (§. 548 *part.* 1.)

$$y^2 = x^3 : (1 - x)$$

$$py^2 dx : 2r = px^3 dx : 2r(1 - x)$$

hoc est, quia $2r = AB = 1$,

$$py^2 dx : 2r = px^3 dx : (1 - x).$$

Est vero $x^3 : (1 - x) = x^3 + x^4 + x^5 + x^6 + x^7 + x^8$ &c. in infinitum (§. 45. *part*: 1.). Ergo $py^2 dx : 2r = px^3 dx + px^4 dx + px^5 dx + px^6 dx + px^7 dx + px^8 dx$ &c. in infinitum.

Et hinc $\int py^2 dx : 2r = \frac{1}{4}px^4 + \frac{1}{5}px^5 + \frac{1}{6}px^6 + \frac{1}{7}px^7 + \frac{1}{8}px^8 + \frac{1}{9}px^9$ &c. definit solidum portione APM descriptum. Quodsi pro x substituatur AB $= 1$; prodit solidum integrum $\frac{1}{4}p + \frac{1}{5}p + \frac{1}{6}p + \frac{1}{7}p + \frac{1}{8}p + \frac{1}{9}p$ &c. seu $p(\frac{1}{4} + \frac{1}{5} + \frac{1}{6} + \frac{1}{7} + \frac{1}{8} + \frac{1}{9}$ &c. in infinitum.).

PROBLEMA LXXXI.

211. *Cubare solidum ex rotatione Logisticæ circa asymptotum* AH *genitum.*

In Logistica, cujus subtangens $= a$, est (§. 54)

$$ydx = ady$$

$$dx = ady : y$$

$$py^2dx : 2r = paydy : 2r$$

$$\int py^2dx : 2r = pay^2 : 4r$$

Quodsi pro y substituatur AB $= r$, erit integrum solidum $par^2 : 4r = \frac{1}{4}apr$.

COROLLARIUM.

212. Cylindrus, cujus altitudo $= a$, radius basis $= r$, est $\frac{1}{2}apr$ (§. 541. *Geom.*), adeoque ad solidum logisticum ut $\frac{1}{2}apr$ ad $\frac{1}{4}apr$, hoc est, ut 2. ad 1. (§. 124. *part.* 1).

SCHOLION.

213. *Facile hinc apparet, quod inventis methodo hactenus exposita expressionibus solidorum, ea inter se facile comparentur unumque in alterum transformetur.*

PROBLEMA LXXXII.

214. *Cubare solidum ex rotatione parabolæ circa semiordinatam* QN *genitum.* Tab. II. Fig. 25.

Ex resolutione problematis 74. (§. 197) manifestum est, elementum solidi esse circulum radio MR descriptum & in differentiale Rr ipsius RN ductum. Sit itaque ratio radii ad peripheriam $= r : p$, AQ $= r$, AP $= x$, QN $= b$, PM $= y$, erit $Rr = dy$, MR $=$ PQ $=$ AQ $-$ AP $= r - x$.

peripheria radio MR descripta $= p - \frac{px}{r}$ consequenter area circuli $\frac{1}{2}pr - px + \frac{px^2}{2r}$ (§. 429 *Geom.*) & hinc elementum solidi $\frac{1}{2}prdy - pxdy + px^2dy : 2r$.

Si jam parameter parabolæ 1; erit $y^2 = x$ (§. 388. *part.* 1) & $y^4 = x^2$: quibus valoribus in expressione elementi generali substitutis, erit id $\frac{1}{2}prdy - py^2dy + py^4dy : 2r$. Hujus integrale $\frac{1}{2}pry - \frac{1}{3}py^3 + py^5 : 10r$ indefinite exprimit solidum ex rotatione portionis MNR circa NR genitum.

Quodsi pro y^2 ponatur x; habebimus pro eodem solido $\frac{1}{2}pry - \frac{1}{3}pxy + px^2y : 10r = p(\frac{1}{2}ry - \frac{1}{3}xy + x^2y : 10r)$.

Denique si pro y substituatur b pro x vero r; prodibit solidum integrum $p(\frac{1}{2}br - \frac{1}{3}br + \frac{1}{10}br) = (30 - 20 + 6)$ $pbr : 60 = \frac{8}{30}pbr = \frac{1}{2}pr . \frac{8}{15}b$, hoc est, basis seu circulus radio AQ descriptus ducitur in $\frac{8}{15}$ altitudinis QN.

COROLLARIUM.

215. Cylindrus super eadem basi & ejusdem altitudinis est $\frac{1}{2}pbr$ (§ 541. *Geom.*) adeoque ad solidum hoc parabolicum ut $\frac{1}{2}pbr$ ad $\frac{1}{2}pbr . \frac{8}{15}$, hoc est, ut 1 ad $\frac{8}{15}$, seu ut 15 ad 8 (§. 124. *part.* 1.).

PROBLEMA LXXXIII.

Tab. II. Fig. 26. 216. *Cubare solidum ex rotatione spatii interminati hyperbolici juxta asymptotum* CD *tanquam axem genitum.*

Sit AB$=a$, AC$=b$, CP$=x$, PM$=y$; erit P$p = dx$, & posita peripheria radio AB descripta $= p$, peripheria radio PC descripta $px : a$, quæ ducta in PM $= y$ dat superficiem cylindri parallelogrammo CPMR descripti $= pxy : a$ (§. 541. *Geom.*). Hæc vero si ulterius ducatur in P$p = dx$, prodibit cylindrulus cavus, parallelogrammulo PqQM descriptus seu elementum solidi $= pxydx : a$.

Est vero ex natura hyperbolæ intra asymptotos

$$xy = ab \quad (\text{§. 502 } part. 1).$$

Quare $y = ab : x$

$$pxydx : a = pabxdx : ax = pbdx$$

$$\int pxydx : a = pbx.$$

Quodsi pro x substituâtur b; prodibit solidum integrum pbb.

COROLLARIUM.

217. Cylindrus ex rotatione parallelogrammi ACSB circa axem CS geniti est $\frac{1}{2}pba$ (141. *Geom.*), adeoque ad solidum hyperbolicum ut $\frac{1}{2}pba$ ad pbb, hoc est ut $\frac{1}{2}a$ ad b, seu ut 1 a ad 2 b (§. 124 *part.* 1).

SCHOLION.

218. *Possunt etiam figuræ planæ rotari circa tangentes, vel alias lineas quascunque: Sed cum nihil in his difficultatis sit, plura non addimus.*

PROBLEMA LXXXIV.

219. *Metiri superficiem corporis rotatione figuræ* ANQ *circa axem* AQ *geniti.* Tab. II. Fig. 19.

RESOLUTIO.

Sit ratio radii ad peripheriam $= r : p$, AP$=x$, PM$=y$, erit Pp = MR $= dx$, mR $= dy$; M$m = \sqrt{(dx^2 + dy^2)}$, peripheria radio PM descripta $= py : r$, quæ ducta in Mm dat elementum superficiei solidi ex rotatione circa axem AQ geniti $py\sqrt{(dx^2 + dy^2)} : r$.

Quodsi jam ex natura figuræ ANQ valor ipsius dx^2 substituatur & elementum integrabile fiat; superficies desiderata per summationem habetur.

PRO-

Tab.II. *Fig.* 17.

PROBLEMA LXXXV.

220. *Invenire superficiem Coni.*

Cum Conus gignatur ex rotatione trianguli ACD circa axem DC; ex æquatione ad triangulum in expressione generali ante (§. 198.) inventa substituendus est valor ipsius dx^2. Sit nempe $CD = a$, $AC = r$, $DP = x$, $PM = y$; erit (§. 268 *Geom.*)

$$x : y = a : r$$
$$x = ay : r$$
$$dx = ady : r$$
$$dx^2 = a^2dy^2 : r^2$$

$$py\sqrt{(dx^2 + dy^2)} : r$$
$$= py\sqrt{(a^2dy^2 + r^2dy^2)} : r^2$$
$$= pydy\sqrt{(a^2 + r^2)} : r^2$$

$$\int py\sqrt{(dx^2+dy^2)} : r = py^2\sqrt{(a^2+r^2)} : 2r^2$$

Quodsi pro y ponatur r, prodibit superficies coni integri $= \frac{1}{2}p\sqrt{(a^2+r^2)} = \frac{1}{2}p.AD$: est nempe æqualis facto ex semiperipheria basis Coni in latus AD, prorsus ut in elementis Geometriæ demonstratum (§. 548. *Geom.*).

PROBLEMA LXXXVI.

Tab. I. *Fig.* 3.

221. *Invenire superficiem sphæræ.*

Sit diameter circuli genitoris $= 1$, $AP = x$, erit elementum arcus Mm (§. 157.) $= dx : 2\sqrt{(x - xx)}$, quod ductum in peripheriam radio PM descriptam $= 2p\sqrt{(x - x^2)}$ producit elementum superficiei sphæricæ (§. 219) pdx. Hujus integrale px indefinite metitur superficiem segmenti sphærici, cujus altitudo x.

Quodsi pro x substituatur diameter 1; erit superficies sphæræ integræ $= p$ seu, si $1 = a$, ap.

COROLLARIUM.

222. Est ergo quodlibet segmentum superficiei sphæricæ ad superficiem sphæræ integram ut px ad p, seu ut x ad 1 (§. 124. *part.* 1.), hoc est ut altitudo segmenti ad diametrum sphæræ.

PROBLEMA LXXXVII.

223. *Invenire superficiem conoidis parabolici.*

Ad parabolam est $adx = 2ydy$ (§. 21).

$$dx^2 = 4y^2dy^2 : a^2$$

$$py\sqrt{(dx^2 + dy^2)} : r$$
$$= py\sqrt{(4y^2dy^2 + a^2dy^2)} : ar$$
$$= pydy\sqrt{(4y^2 + a^2)} : ar$$

Fiat $\sqrt{(4y^2 + a^2)} = v$

erit $4y^2 + a^2 = v^2$

$$8ydy = 2vdv$$
$$ydy = \tfrac{1}{4}vdv$$
$$pydy\sqrt{(4y^2 + a^2)} : ar = pv^2dv : 4ar$$

$\int pydy\sqrt{(4y^2 + a^2)} : ar = pv^3 : 12ar$
$= (4py^2 + pa^2)\sqrt{(4y^2 + a^2)} : 12ar.$
Fiat $y = 0$, relinquetur $pa^2\sqrt{a^2} : 12ar = pa^2 : 12r$. Unde superficies segmenti conoidis parabolici $=$

$$(4py^2 + pa^2)\sqrt{(4y^2 + a^2)} : 12ar - pa^2 : 12r$$

CAPUT V.

De usu Calculi integralis in Methodo tangentium inversa.

DEFINITIO IX.

224. METhodus Tangentium inversa est, qua ex data tangente aut linea quacunque alia, cujus determinatio a tangente pendet, invenitur æquatio ad curvam aut constructio curvæ.

COROLLARIUM.

225. Cum expressiones differentiales tangentis, subtangentis, subnormalis, normalis & arcus, itemque areæ curvæ superius traditæ fuerint (§. 20. 34. 35. 44. 98. 144); si valor datus expressioni differentiali æquetur & æquatio differentialis vel summetur, vel si id fieri nequeat, construatur, curva desiderata innotescit.

PROBLEMA LXXXVIII.

226. *Invenire lineam curvam, cujus subtangens* $= 2yy : a$.

Quoniam subtangens lineæ algebraicæ $= ydx : dy$ (§. 20); erit

$$ydx : dy = 2yy : a$$
$$aydx = 2y^2 dy$$
$$adx = 2ydy$$
$$ax = y^2$$

Est adeo curva quæsita parabola (§. 388. *part.* I.), cujus constructio ex superioribus manifesta (§. 392. *part.* I).

PROBLEMA LXXXIX.

227. *Curvam invenire, cujus subnormalis est constans*, e. gr. $= a$.

Quoniam subnormalis lineæ algebraicæ (§. 35) $ydy : dx$; erit

$$ydy = adx$$
$$\tfrac{1}{2}y^2 = ax$$
$$y^2 = 2ax$$

Est adeo curva quæsita parabola, cujus parameter $= 2a$.

PROBLEMA XC.

228. *Invenire curvam, cujus subnormalis* $= r - x$.

Quoniam $ydy : dx = r - x$ (§. 35.);

$$ydy = rdx - xdx$$
$$\tfrac{1}{2}y^2 = rx - \tfrac{1}{2}xx$$
$$y^2 = 2rx - xx$$

Est adeo curva quæsita circulus, cujus radius r seu diameter $2r$ (§. 377. *part.* I.).

PROBLEMA XCI.

229. *Invenire curvam, cujus subtangens est tertia proportionalis ad* $r - x$ *&* y.

Quoniam (§. 20)

$$r - x : y = y : \frac{ydx}{dy}$$

erit $r - x : y = dy : dx$ (§. 124. *part.* I)

$$rdx - xdx = ydy$$
$$rx - \tfrac{1}{2}x^2 = \tfrac{1}{2}y^2$$
$$2rx - xx = y^2$$

Est adeo curva quæsita denuo circulus.

PROBLEMA XCII.

230. *Invenire curvam, cujus subtangens est tertia proportionalis ad* $r + x$ *&* y

Quoniam (§. 20)

$$r + x : y = y : \frac{ydx}{dy}$$

erit

erit $\overline{r + x : y = dy : dx}$ (§. 124. *part.* I)

$$rdx + xdx = ydy$$

$$rx + \tfrac{1}{2}x^2 = \tfrac{1}{2}y^2$$

$$2rx + x^2 = y^2$$

Est adeo curva quæsita hyperbola æquilatera, cujus axes conjugati & parameter $= 2r$ (507 *part.* I).

PROBLEMA XCIII.

231. *Invenire curvam in qua subtangens multiplo abscissæ æqualis.*

Quoniam (§. 20)

$$mx = ydx : dy$$

erit $mxdy = ydx$

$$mxdx - ydy = 0$$

Ut hæc æquatio integrari possit, multiplicetur per $y^{m-1} : x^2$ (§. 95).

erit $(my^{m-1}xdy - y^m dx) : x^2 = 0$

$$y^m : x = a^{m-1}$$

$$y^m = a^{m-1}x$$

Satisfaciunt ergo proposito infinita parabolarum genera.

PROBLEMA XCIV.

232. *Invenire lineam, in qua subtangens semiordinatæ æqualis.*

Quoniam (§. 20)

$$ydx : dy = y$$

$$ydx = ydy$$

$$dx = dy$$

$$x = y$$

Patet adeo, lineam quæsitam esse rectam ad cathetum trianguli rectanguli æquicruri tanquam axem relatam, seu hypothenusam trianguli rectanguli æquicruri (§. 89 *Geom.*). Quodsi vero x sumatur pro arcu circuli; erit linea quæsita cyclois (§. 572. *part.* I. & §. 52. *part.* I.).

PROBLEMA XCV.

233. *Invenire curvam, cujus subnormalis* $= \sqrt{ax}$.

Quoniam $ydy : dx = \sqrt{ax}$ (§. 34)

erit $ydy = a^{1:2}x^{1:2}dx$

$$\tfrac{1}{2}y^2 = \tfrac{2}{3}a^{1:2}x^{3:2}$$

$$y^2 = \tfrac{4}{3}\sqrt{ax^3} = \tfrac{2}{3}\sqrt{4ax^3}$$

Patet adeo, quadrata semiordinatarum hujus curvæ exprimere spatia parabolæ, cujus parameter $4a$ (§. 103). Sunt igitur semiordinatæ ipsæ mediæ proportionales inter abscissas & $\tfrac{2}{3}$ semiordinatarum parabolæ circa communem axem descriptæ (§. *cit.*)

SCHOLION.

234. *Curva hæc dici potest Quadratrix parabolæ: Solent enim Geometræ* Quadratricem *alicujus curvæ appellare curvam circa eundem axem descriptam, cujus semiordinatis datis datur quadratura partium respondentium in altera curva. E. gr. si fuerit ut in nostro casu* APMA $=$ PN^2, *vel* APMA $=$ AP. PN, *vel* APMA $=$ PN. *a &c. erit* AND Quadratrix *ipsius* AMC. Tab. II. *Fig.* 27.

PROBLEMA XCVI.

235. *Invenire curvam, cujus normalis constans est.*

Sit constans linea $= a$, abscissa $= x$, semiordinata $= y$; erit (§. 44)

$$y\sqrt{(dy^2 + dx^2)} : dx = a$$

$$y\sqrt{(dy^2 + dx^2)} = adx$$

$$y^2dy^2 + y^2dx^2 = a^2dx^2$$

$$y^2dy^2 = a^2dx^2 - y^2dx^2$$

$$ydy = dx\sqrt{(a^2 - y^2)}$$

$$-\frac{ydy}{\sqrt{(a^2 - y^2)}} = -dx$$

$$\sqrt{(a^2 - y^2)} = a - x \quad (§. 95)$$

Est itaque curva quæsita circulus.

PROBLEMA XCVII.

236. *Invenire curvam, cujus area indefinite exprimitur per $a\sqrt{x}$.*

Quoniam differentiale areæ $= ydx$ (§. 98.);

$$\text{erit } \tfrac{1}{2}ax^{-1:2}dx = ydx$$

$$\tfrac{1}{2}ax^{-1:2} = y$$

$$\tfrac{1}{4}a^2x^{-1} = \tfrac{1}{4}a^2 : x = y^2$$

$$\tfrac{1}{4}a^2 = xy^2$$

Est adeo curva hyperbola secundi generis intra asymptotos.

CORОLLARIUM.

237. Cum $\sqrt{ax}$ sit semiordinata parabolæ, cujus parameter $= a$; evidens est parabolam Apollonianam esse quadratricem hyperbolæ intra asymptotos, ad quam $\frac{1}{4}aa = xy^2$

PROBLEMA XCVIII.

238. *Invenire curvam, cujus quadratura indefinita $= x^3 : a$*

Quoniam $x^3 : a = \int ydx$

$$\text{erit } 3x^2dx : a = ydx$$

$$x^2 = \tfrac{1}{3}ay$$

Tab.II. Fig.28. Est adeo curva quæsita parabola exterior, cujus parameter $\frac{1}{3}a$. Sit enim $AQ = PM = x$, $PQ = AM = y$, erit $\frac{1}{3}ay = x^2$ (§. 288. *part.* 1)

PROBLEMA XCIX.

239. *Invenire curvam, cujus area $= a\sqrt{(aa + xx)}$.*

Quoniam $axdx : \sqrt{(aa + xx)} = ydy$

$$ax : \sqrt{(aa + xx)} = y$$

$$a^2x^2 : (aa + xx) = y^2$$

hoc est, $y^2 : x^2 = a^2 : aa + xx$

Quæ analogia naturam curvæ definit, cujus quadratrix est hyperbola æquilatera, axibus conjugatis & parametro existentibus a (§. 507. *part.* 1. & §. 234 *part.* 2).

PROBLEMA C.

240. *Invenire curvam, cujus area $= x\sqrt{(aa + xx)}$.*

$$\text{Quon. } \frac{x^2dx}{\sqrt{(aa + xx)}} + dx\sqrt{(aa + xx)} = ydx$$

$$\text{erit } \frac{2x^2 + aa}{\sqrt{(aa + xx)}} = y$$

$$(2x^2 + aa)^2 = y^2(aa + xx)$$

$$y^2 : aa + 2xx = aa + 2xx : aa + xx$$

Quæ analogia definit itidem naturam curvæ, cujus quadratrix est hyperbola æquilatera.

SCHOLION.

241 *Ex problematis his apparet, quod data quadratrice semper inveniatur quadranda facili negotio. Et hac quidem methodo inveniri possunt curvæ innumeræ quadrabiles, construique curvarum quadrabilium, seu, quod perinde est, formularum summabilium canones.*

PROBLEMA CI.

242. *Invenire curvam cujus subtangens est linea constans a.*

Quoniam $ydx : dy = a$ (§. 20)

$$\text{erit } dx = ay^{-1}dy$$

$$\int dx = x = \int ay^{-1}dy$$

Quosi $ay^{-1}dy$ multiplicetur per a; erit $a^2y^{-1}dy$ elementum hyperbolæ intra asymptotos (§. 118) & quidem æquilateræ, in qua asymptoti junguntur ad angulos rectos (§. 510. *part.* 1). Quodsi ergo y sumatur pro abscissa, erit respondens semiordinata $x = a\int y^{-1}dy$ æqualis spatio hyperbolico asymptotico per constantem a, quæ latus est potentiæ in hyperbola æquilatera (§. 477 *part.* 1.) diviso. Unde constructio

curvæ

curvæ quæsitæ a Quadratura hyperbolæ pendet.

COROLLARIUM VII.

243. Quoniam linea, ad quam $x = \int ay^{-1}dy$, est logarithmica ad asymptotum relata (§. 54) atque x in asymptoto sumta logarithmus semiordinatæ ipsi respondentis (§. 555. *part.* 1); erit quoque $\int ay^{-1}dy$ logarithmus ejusdem semiordinatæ y, consequenter $\int ay^{-1}dy = a\int dy : y = ly$: ($ly$ denotat logarithmum ipsius y in logistica sumtum, cujus subtangens $= a$). Unde liquet, quomodo differentiale logarithmi aut quantitatis, quam logarithmus ingreditur, sit inveniendum. Quoniam enim $ady : y = dly$ erit etiam $dl^ny = nl^{n-1}y\,ady : y$ ubi a notat subtangentem logisticæ.

COROLLARIUM II.

244. Et quia $a\int\frac{dy}{y}$ est spatium hyperbolicum per latus potentiæ hyperbolæ divisum; spatia hyperbolica per idem latus divisa exprimunt logarithmos, quorum numeri sunt ut semiordinatæ ad asymptotum relatæ.

PROBLEMA CII.

245. *Invenire curvam, in qua est ut a ad y ita* $\sqrt{(aa - yy)}$ *ad subtangentem.*

Quoniam *per hypoth. &* §. 20

$$a : y = \sqrt{(aa - yy)} : \frac{ydx}{dy}$$

hoc est, $a : 1 = dy\sqrt{(aa - yy)} : dx$

erit $dy\sqrt{(aa - yy)} : a = dx$

$$\int dy\sqrt{(aa - yy)} : a = x$$

Tab. I. Fig. 3. Quoniam $\int dy\sqrt{(aa - yy)}$ est portio circuli CDPM, cujus radius AC $= a$, abscissa PC $= y$ (§. 124): constructio curvæ a quadratura circuli pendet, hoc est, circulus est quadratrix curvæ quæsitæ (§. 234). Retentis nempe abscissis PC, semiordinatæ x erunt æquales spatio PMDC per constantem a diviso.

PROBLEMA CIII.

246. *Invenire curvam, in qua est, ut a ad y ita* $\sqrt{(aa + yy)}$ *ad subtangentem.*

Quoniam *per hypoth. &* §. 20

$$a : y = \sqrt{(aa + yy)} : \frac{ydx}{dy}$$

hoc est, $a : 1 = dy\sqrt{(aa + yy)} : dx$

erit $dy\sqrt{(aa + yy)} : a = dx$

$$\int dy\sqrt{(aa + yy)} : a = dx$$

Quoniam $\int dy\sqrt{(aa + yy)} : a$ est arcus parabolæ AM, cujus parameter $2a$ (§. 146.); si semiordinata parabolæ PM sumatur pro abscissa curvæ quæsitæ, erit semiordinata ejusdem arcui parabolico AM æqualis. Tab. II. Fig. 19.

SCHOLION.

247. *Apparet adeo, interdum constructionem pendere a rectificatione curvarum. Præstat autem eam ad curvarum potius rectificationem, quam quadraturam reducere, quia in priori casu praxis est facilior, ubi arcum filo metiri datur. In posteriori autem spatiorum quadratura ope seriecrum infinitarum definienda est in numeris prope veris & inde similiter in istiusmodi numeris semiordinatæ curvarum quæsitarum sunt computandæ.*

PROBLEMA CIV.

248. *Invenire curvam, in qua est subtangens ad y ut quantitas constans r ad* $\sqrt{(r^2 - y^2)}$.

Quoniam *per hypoth. &* §. 20

$$\frac{ydx}{dy} : y = r : \sqrt{(r^2 - y^2)}$$

hoc est, $dx : dy = r : \sqrt{(r^2 - y^2)}$

erit $dx = rdy : \sqrt{(r^2 - y^2)}$

$$x = \int rdy : \sqrt{(r^2 - y^2)}$$

Quia $\int rdy : \sqrt{(r^2 - y^2)}$ est arcus circuli AM, cujus radius AC $= r$, PM $= y$ (§. 153); constructio curvæ pendet a rectificatione peripheriæ circuli. Nempe Tab. I. Fig. 3.

si

si semiordinatæ in circulo PM sumantur pro abscissis curvæ quæsitæ; erunt ejusdem semiordinatæ arcubus AM æquales.

PROBLEMA CV.

249. *Invenire curvam, in qua subtangens est ad y ut r^2 ad $r^2 + y^2$.*

Quoniam *per hypoth.* & §. 20

$$\frac{ydx}{dy} : y = r^2 : r^2 + y^2$$

Tab.II. Fig.20. hoc est, $dx : dy = r^2 : r^2 + y^2$

erit $dx = r^2 dy : (r^2 + y^2)$

Quoniam $\int r^2 dy : (r^2 + y^2)$ aut, si $r = 1$, $\int dy : (1 + y^2 :)$ est elementum arcus BM, cujus tangens BK $= y$ (§.158; evidens est, constructionem curvæ quæsitæ denuo pendere a rectificatione arcuum circuli indefinita. Sumtis nempe tangentibus arcuum BK pro abscissis curvæ quæsitæ; semiordinatæ ejusdem erunt arcubus BM æquales, radio circuli existente r.

PROBLEMA CVI.

250. *Invenire curvam, in qua tangens est constans.*

Sit constans illa $= a$, abscissa $= x$, semiordinata y; erit (§. 34)

$$y\sqrt{(dx^2 + dy^2)} : dy = a$$

$$\sqrt{(dx^2 + dy^2)} = \frac{ady}{y}$$

$$dx^2 + dy^2 = \frac{a^2dy^2}{y^2}$$

$$dx = \frac{a^2dy^2 - y^2dy^2}{y^2}$$

$$x = \int\frac{dy}{y}\sqrt{(a^2 - y^2)}$$

Tab. I. Fig. 8. Curva, in qua tangens constans est, describitur puncto M, si alterum extremum rectæ TM in recta AH incedit, diciturque *Tractoria.* Ad ejus adeo descriptionem non opus est, nisi bacillo, in cujus utroque extremo cuspis infixa, ita ut cuspis in M prematur in planum e latere, vel pondere. Est itaque æquatio inventa ad Tractoriam.

Eadem æquatio sic eruitur. Quoniam TM $= a$, PM $= y$; erit PT $= \sqrt{(a^2 - y^2)}$. Sed PT $= ydx : dy$ (§.20). Ergo $ydx : dy = \sqrt{(a^2 - y^2)}$, consequenter $dx = dy\sqrt{(a^2 - y_2)} : y$, aut, quia semiordinatæ continuo decrescentis differentiale negativum, $dx = -dy\sqrt{(a^2 - y^2)} : y$.

COROLLARIUM I.

251. Si fuerit $x = 0$, erit etiam $dx = 0$, adeoque

$$-dy\sqrt{(a^2 - y^2)} : y = 0$$

$$\sqrt{(a^2 - y^2)} = 0$$

$$a^2 - y^2 = 0$$

$$a = y$$

Est igitur in A, ubi origo indeterminatæ x, AB $= a$: id quod etiam ex descriptione liquet.

COROLLARIUM II.

252. Quoniam $dx = dy\sqrt{(a^2 - y^2)} : y$ erit $ydx = dy\sqrt{(a^2 - y^2)}$ adeoque spatium indeterminatum HPMI $= \int dy\sqrt{(a^2 - y^2)}$. Quadratura igitur tractoriæ pendet a Quadratura circuli (§. 124), cujus radius est a, abscissæ a centro computatæ sunt y.

COROLLARIUM III.

253. Similiter quia $dx^2 = \frac{a^2dy^2 - y^2dy^2}{y^2}$ erit

$$dx^2 + dy^2 = \frac{a^2dy^2 - y^2dy^2}{y^2} + dy^2$$

$$= a^2dy^2 : y^2$$

$$\sqrt{(dx^2 + d^2y^2)} = \frac{ady}{y}$$

$$\int\sqrt{(dx^2 + dy^2)} = \int\frac{ady}{y}$$

Quare

Quare cum $\int \frac{ady}{y}$ sit logarithmus ipsius y; arcus tractoriæ sunt ut logarithmi, semiordinatæ ut numeri.

Et quia $\int ady : y$ est abscissa Logarithmicæ, cujus subtangens $= a$; arcus tractoriæ rectificantur per abscissas Logarithmicæ.

COROLLARIUM IV.

254. Si $BO = v$, erit $OA = PM = a - v$, adeoque $a - v = y$ & $- dv = dy$, consequenter $dx = - dy \sqrt{(a^2 - y^2)} : y = dv \sqrt{(2av - v^2)} : (a - v)$. Habemus adeo æquationem, quæ Tractoriam definit respectu axis BA.

CAPUT VI.

De usu Calculi integralis in Logarithmorum doctrina.

PROBLEMA CVII.

255. *Dato numero, invenire logarithmum.*

Tab. III. *Fig* 30. Sit Logarithmicæ ordinata $AB = 1$, eademque subtangenti, quæ constans est (§. 54.) æqualis, erit PM numerus unitate major, QN numerus unitate minor, AP logarithmus numeri unitate majoris, AQ logarithmus numeri unitate minoris.

Quodsi jam differentia inter AB & PM sit y; erit $PM = 1 + y$, consequenter AP seu logarithmus unitate majoris numeri $\int dy : (1 + y)$ (§. 243). Est vero $1 : (1 + y) = 1 - y + y^2 - y^3 + y^4$ &c. in infinitum (§. 45. *part.* 1). Ergo $dy : (1 + y) = dy - ydy + y^2 dy - y^3 dy + y^4 dy$ &c. in infinitum, consequenter $\int dy : (1 + y)$, seu logarithmus numeri $1 + y$ unitate majoris, $= y - \frac{1}{2}y^2 + \frac{1}{3}y^3 - \frac{1}{4}y^4 + \frac{1}{5}y^5$ &c. in infinitum.

Quodsi differentia inter AB & QN sit y, erit $QN = 1 - y$, consequenter AQ seu logarithmus numeri unitate minoris $= \int - dy : (1 - y)$. Est vero $-1 : (1 - y) = -1 - y - y^2 - y^3 - y^4 -$ &c. in infinitum (§. 45 *part.* 1). Ergo $- dy : (1 - y) = - dy - ydy - y^2 dy - y^3 dy - y^4 dy$ &c. in infinitum, consequenter $\int - dy : (1 - y)$, seu logarithmus numeri unitate minoris, $= - y - \frac{1}{2}y^2 - \frac{1}{3}y^3 - \frac{1}{4}y^4 - \frac{1}{5}y^5$ &c. in infinitum.

COROLLARIUM I.

256. Si latus potentiæ hyperbolæ AB vel BC fuerit 1, $BP = y$; erit $AP = 1 + y$ & spatium hyperbolicum asymptoticum $= y - \frac{1}{2}y^2 + \frac{1}{3}y^3 - \frac{1}{4}y^4 + \frac{1}{5}y^5$ &c. in infinitum (§. 120). Tab. II. *Fig.* 29. Et ubi $BQ = y$, erit $AQ = 1 - y$, adeoque (si $QN = v$) ob $1 = v - vy$ (§. 490 *part.* 1), elementum spatii hyperbolici asymptotici $- 1ydy : (1 - y)$, consequenter spatium $= - y - \frac{1}{2}y^2 - \frac{1}{3}y^3 - \frac{1}{4}y^4 - \frac{1}{5}y^5$ &c. in infinitum (§. 120). Possunt ergo etiam logarithmi per hyperbolam exhiberi: : nimirum si latus potentiæ $AB = 1$, abscissa AP est numerus unitate major, spatium asymptoticum BCMP logarithmus numeri unitate majoris; similiter abscissa AQ est numerus unitate minor & spatium hyperbolicum asymptoticum QNCB logarithmus numeri unitate minoris.

COROLLARIUM II.

257. Quodsi $y = 1$, erit $1 + y = 2$; adeoque logarithmus hyperbolicus binarii $= \frac{1}{1} - \frac{1}{2} + \frac{1}{3} - \frac{1}{4} + \frac{1}{5}$ &c. in infinitum.

COROLLARIUM III.

258. Quoniam logarithmus ipsius $1 : (1 + x)$ & numeri integri $1 + x$ idem est (§. 351. *Arithm.*

Arithm.), fractio vero $1:(1+x)$ numerus unitate minor; si pro $1-y$ ponatur $1:(1+x)$, formula posterior inveniendis logarithmis tam numerorum unitate majorum, quam minorum satisfacit. Nempe cum sit ex hypothesi

$$1-y=1:(1+x)$$

erit $1-1:(1+x)=y$

hoc est, $\frac{1+x-1}{1+x}=\frac{x}{1+x}=y$

adeoque in formula $y+\frac{1}{2}y^2+\frac{1}{3}y^3+\frac{1}{4}y^4+\frac{1}{5}y^5$ &c. pro y substitui debet $x:(1+x)$ si numeri unitate majoris logarithmus desideretur.

SCHOLION.

259. *Formula posterior si in casu quoque priore, ubi numerus cujus logarithmus quaeritur, unitate major, adhibetur, inventio logarithmi faciliori opera absolvitur; quia series citius convergit, quam si priori formula utamur. Enimvero probe notandum, logarithmos hyperbolicos coincidere cum Neperianis adeoque diversos esse a Briggianis, quibus communiter utimur. Cum autem hyperbolici sint ad Briggianos ut logarithmus denarii hyperbolicus ad logarithmum denarii Briggianum, sitque logarithmus binarii hyperbolicus 2. 302585092994 &c. Briggianus 1. 000000000000; hyperbolici ad Briggianos, quibus vulgo utimur, facile reducuntur.*

PROBLEMA CVIII.

260. *Dato logarithmo invenire numerum.*

Sit logarithmus l, numerus $1+y$ erit $l=y-\frac{1}{2}y^2+\frac{1}{3}y^3-\frac{1}{4}y^4+\frac{1}{5}y^5$ &c. Quare cum $y=l+bl^2+(2b^2-c)l^3+(5bc-5b^3+d)l^4+(14b^4+6bd-21b^2c+3c^2-e)l^5$ &c. (§. 366. *part.* 1) ob $a=1$, & $b=-\frac{1}{2}$, $c=+\frac{1}{3}$, $d=-\frac{1}{4}$, $e=+\frac{1}{5}$ &c. erit

$$2b^2-c=\frac{2}{4}-\frac{1}{3}=\frac{1}{2}-\frac{1}{3}=\frac{3-2}{6}=\frac{1}{6}$$

$$5bc-5b^3-d=-\frac{5}{6}+\frac{5}{8}+\frac{1}{4}=\frac{-40+30+12}{48}=\frac{2}{48}=+\frac{1}{24}$$

$$14b^4+6bd-21b^2c+3c^2-e$$

$$=\frac{14}{16}+\frac{6}{8}-\frac{21}{12}+\frac{3}{9}-\frac{1}{5}$$

$$=\frac{7}{8}+\frac{6}{8}-\frac{14}{8}+\frac{1}{3}-\frac{1}{5}$$

$$=-\frac{1}{8}+\frac{1}{3}-\frac{1}{5}=\frac{40-15-24}{120}=+\frac{1}{120}$$

adeoque

$$y=l+\frac{1}{2}l^2+\frac{1}{6}l^3+\frac{1}{24}l^4+\frac{1}{120}l^5 \text{ \&c.}$$

in infinit. $=\frac{l}{1}+\frac{l^2}{1.2}+\frac{l^3}{1.2.3}+\frac{l^4}{1.2.3.4}+\frac{l^5}{1.2.3.4.5}$ &c. in infinit.

Quodsi terminus primus dicatur A, secundus B, tertius C, quartus D &c, erit $y=l+\frac{1}{2}Al+\frac{1}{3}Bl+\frac{1}{4}Cl+\frac{1}{5}Dl$ &c. in infinitum.

Quoniam vero l est logarithmus numeri $1+y$; erit numerus $1+y=1+l+\frac{1}{2}Al+\frac{1}{3}Bl+\frac{1}{4}Cl+\frac{1}{5}Dl$ &c. in infinitum.

Si l fuerit logarithmus numeri unitate minoris $1-y$; erit $l=y+\frac{1}{2}y^2+\frac{1}{3}y^3+\frac{1}{4}y^4+\frac{1}{5}y^5$ &c. & eodem ut ante modo reperietur $y=l-\frac{1}{1.2}l^2+\frac{1}{1.2.3}l^3-\frac{1}{1.2.3.4}l^4+\frac{1}{1.2.3.4.5}l^5$ &c. in infinitum, consequenter $1-y=1-\frac{l}{1}+\frac{1}{1.2}l^2-\frac{1}{1.2.3}l^3+\frac{1}{1.2.3.4}l^4-\frac{1}{1.2.3.4.5}l^5$ &c. in infinitum.

Quodsi terminus primus dicatur A, secundus B, tertius C &c. erit $y=l-\frac{1}{2}Al+\frac{1}{3}Bl-\frac{1}{4}Cl+\frac{1}{5}Dl$ &c. in infinitum, consequenter $1-y=1-l+\frac{1}{2}Al-\frac{1}{3}Bl+\frac{1}{4}Cl-\frac{1}{5}Dl$ &c. in infinitum.

PRO-

PROBLEMA CIX.

261. *Dato sinu, invenire logarithmum.*

Sit radius $=1$, cosinus $=x$, erit sinus $=\sqrt{(1-xx)}$ (§. 377 *part.* 1) $=\sqrt{[(1+x)(1-x)]}$. Sed $l(1+x) = x-\frac{1}{2}x^2+\frac{1}{3}x^3-\frac{1}{4}x^4+\frac{1}{5}x^5-\frac{1}{6}x^6$ & $l(1-x) = -x-\frac{1}{2}x^2-\frac{1}{3}x^3-\frac{1}{4}x^4-\frac{1}{5}x^5-\frac{1}{6}x^6$ Ergo $l(1-xx) = -\frac{2}{2}x^2-\frac{2}{4}x^4-\frac{2}{6}x^6$ (*§.* 337 *Arith.*) & $l\sqrt{(1-xx)} = -\frac{1}{2}x^2-\frac{1}{4}x^4-\frac{1}{6}x^6$ &c. (§. 338 *Ar.*).

PROBLEMA CX.

262. *Data tangente, invenire logarithmum.*

Sit radius, seu sinus totus, hoc est, tangens 45° (*§.* 32 *Trigon.*) $=1$; tangens arcus 45° majoris $=1+x$; tangens arcus 45° minoris $=1-x$; erit logarithmus tangentis in casu priore $x-\frac{1}{2}x^2+\frac{1}{3}x^3-\frac{1}{4}x^4+\frac{1}{5}x^5$ &c. in infinitum; in casu posteriore $-x-\frac{1}{2}x^2-\frac{1}{3}x-\frac{1}{4}x^4-\frac{1}{5}x^5$ &c. in infinitum (§. 255.)

SECTIO TERTIA.

DE CALCULO EXPONENTIALI.

CAPUT I.

De natura Calculi exponentialis.

DEFINITIO X.

263. *Calculus exponentialis* est methodus differentiandi quantitates exponentiales & differentialia exponentialium summandi.

DEFINITIO XI.

264. *Quantitas exponentialis* est dignitas, cujus exponens variabilis, e. gr. x^x, a^x.

PROBLEMA CXI.

265. *Quantitatem exponentialem differentiare.*

RESOLUTIO.

Non alia re opus est, quam ut quantitates exponentiales ad logarithmicas revocentur: quo facto, differentiatio succedit per *§* 243.

E. gr. Quæritur differentiale quantitatis exponentialis x^y. Fiat

$$x^y = z$$

erit $\quad ylx = lz$ (*§.* 139 *Arithm.*)

$$lxdy + ydx : x = dz : z \text{ (§. 243)}$$

$$zlxdy + zydx : x = dz$$

hoc est, $x^y lxdy + yx^{y-1}dx = dz$

Sit quantitas exponentialis differentianda secundi gradus v^{x^y}. Fiat, ut ante,

$$v^{x^y} = z$$

erit $\quad x^y lv = lz$ (§. 339 *Arithm.*)

$$(x^y lxdy + yx^{y-1}dx)\,lv + x^y dv : v = dz : z \text{ (§. 243)}$$

$$z(x^y lxdy + yx^{y-1}dx)\,lv + zx^y dv : v = dz$$

hoc est,

$$v^{x^y}(x^y lxdy + yx^{y-1}dx)\,lv + v^{x^y} v^{-1} x^y dv = dz$$

seu

$$v^{x^y} x^y lxlvdy + v^{x^y} yx^{y-1} lvdx + v^{x^y} v^{-1} x^y dv = dz$$

Eadem

Eadem ratione inveniri poteſt differentiale quantitatis exponentialis cujuſcunque alterius.

PROBLEMA CXII.

266. *Differentiale logarithmicum integrare.*

Sit differentiale integrandum $xlxdx$.

Fiat

$$x = 1 + y$$

$$\text{erit} \quad lx = l(1+y)$$

$$\& \quad dx = dy$$

$$xlxdx = l(1+y)(1+y)dy.$$

Eſt vero $l(1+y) = y - \frac{1}{2}y^2 + \frac{1}{3}y^3 - \frac{1}{4}y^4 + \frac{1}{5}y^5$ &c. in infinitum (§. 255). Ergo $l(1+y)(1+y)dy = (1+y)dy\,(y - \frac{1}{2}y^2 + \frac{1}{3}y^3 - \frac{1}{4}y^4 + \frac{1}{5}y^5$ &c. in infinitum) = (multiplicatione actu facta)

$$ydy - \tfrac{1}{2}y^2dy + \tfrac{1}{3}y^3dy - \tfrac{1}{4}y^4dy + \tfrac{1}{5}y^5dy \text{ \&c.}$$
$$+ y^2dy - \tfrac{1}{2}y^3dy + \tfrac{1}{3}y^4dy - \tfrac{1}{4}y^5dy \text{ \&c.}$$

h. e. $ydy + \frac{1}{2}y^2dy - \frac{1}{6}y^3dy + \frac{1}{12}y^4dy - \frac{1}{20}y^5dy$ &c.

Unde tandem habetur $\int xlxdx = \frac{1}{2}y^2 + \frac{1}{6}y^3 - \frac{1}{24}y^4 + \frac{1}{60}y^5 - \frac{1}{120}y^6$ &c. $= \frac{1}{1.2}y^2 + \frac{1}{1.2.3}y^3 - \frac{1}{1.2.3.4}y^4 + \frac{1}{1.3.4.5}y^5 - \frac{1}{1.4.5.6}y^6$ &c. in infinitum: in qua ſerie $y = x - 1$.

PROBLEMA CXIII.

267. *Differentiale exponentialem quantitatem involvens integrare.*

Sit differentiale integrandum $x^x dx$. Fiat $x = 1 + y$, erit $x^x = (1+y)^{1+y}$, adeoque $x^x dx = (1+y)^{1+y}dy$. Fiat

$$(1+y)^{1+y} = 1 + v$$

$$\text{erit } (1+y)\,l(1+y) = l(1+v)$$

hoc eſt, $(1+y)\,(y - \frac{1}{2}y^2 + \frac{1}{3}y^3 - \frac{1}{4}y^4 + \frac{1}{5}y^5$ &c. in infinitum$) = v - \frac{1}{2}v^2 + \frac{1}{3}v^3 - \frac{1}{4}v^4 + \frac{1}{5}v^5$ &c. in infinitum (§. 255), ſeu per calculum præcedentem $y + \frac{1}{2}y^2 - \frac{1}{6}y^3 + \frac{1}{12}y^4 - \frac{1}{20}y^5$ &c in infinitum $= v - \frac{1}{2}v^2 + \frac{1}{3}v^3 - \frac{1}{4}v^4 + \frac{1}{5}v^5$ &c. in infinitum (§. 266).

Fiat porro

$$v = y + ky^2 + my^3 + ny^4 + py^5 \text{ \&c.}$$

$$\begin{array}{rlllll}
\text{erit } v^2 = & +y^2 & +2ky^3 & +k^2y^4 & +2kmy^5 \\
 & & & +2my^4 & +2ny^5 \\
v^3 = & & +y^3 & +3ky^4 & +3k^2y^5 \\
 & & & & +3my^5 \\
v^4 = & & & +y^4 & +4ky^5 \\
v^5 = & & & & +y^5
\end{array}$$

(§. 95. *part.* 1). Unde

$$\begin{array}{rlllll}
v = & y & +ky^2 & +my^3 & +ny^4 & +py^5 \text{ \&c.} \\
-\frac{1}{2}v^2 = & & -\frac{1}{2}y^2 & -ky^3 & -\frac{1}{2}k^2y^4 & -kmy \\
 & & & & -my^4 & -ny^5 \\
+\frac{1}{3}v^3 = & & & +\frac{1}{3}y^3 & +ky^4 & +k^2y^5 \\
 & & & & & +my^5 \\
-\frac{1}{4}v^4 = & & & & -\frac{1}{4}y & -ky^5 \\
+\frac{1}{5}v^5 = & & & & & +\frac{1}{5}y^5
\end{array}$$

$$= y - \tfrac{1}{2}y^2 + \tfrac{1}{6}y^3 - \tfrac{1}{12}y^4 + \tfrac{1}{20}y^5 = 0$$

Habemus ergo

$$\frac{1 - 1 = 0}{1 = 1} \quad \frac{k - \frac{2}{2} = 0}{k = 1} \quad \frac{m - k + \frac{1}{3} + \frac{1}{6} = 0}{m = 1 - \frac{3}{6} = \frac{1}{2}}$$

$$\frac{n - \frac{1}{2}k^2 - m + k - \frac{1}{4} - \frac{1}{12} = 0}{n = \frac{1}{2} + \frac{1}{2} - 1 + \frac{4}{12} = \frac{1}{2}}$$

$$\frac{p - km - n + k^2 + m - k + \frac{1}{5} + \frac{1}{20} = 0}{p = \frac{1}{2} + \frac{1}{3} - 1 - \frac{1}{2} + 1 - \frac{5}{20} = \frac{1}{3} - \frac{1}{4} = \frac{4}{12} - \frac{3}{12} = \frac{1}{12}}$$

Conſequenter

$(1+y)^{1+y} = 1 + v = 1 + y + y^2 + \frac{1}{2}y^3 + \frac{1}{3}y^4 + \frac{1}{12}y^5$ &c. in infinitum.

Quare differentiale ad integrandum propoſitum $(1+y)^{1+y}dy = dy + ydy + y^2dy + \frac{1}{2}y^3dy + \frac{1}{3}y^4dy + \frac{1}{12}y^5dy$ &c. in infinitum, adeoque $\int(1+y)^{1+y}dy = y + \frac{1}{2}y^2 + \frac{1}{3}y^3 + \frac{1}{8}y^4 + \frac{1}{15}y^5 + \frac{1}{72}y^6$ &c.

PRO-

PROBLEMA CXIV.

268. *Quantitatem exponentialem, consequenter curvam exponentialem, cujus æquatio datur, construere.*

RESOLUTIO.

Tab. III. Fig. 30. Quantitates exponentiales reducendæ sunt ad logarithmicas, quæ per abscissas Logarithmicæ exhiberi possunt.

E. gr. Sit construenda curva exponentialis, ad quam $x^x = y$, erit (§. 339 *Arithm.*) $xlx = ly$. Supponamus Logarithmicam MBN descriptam & in ea semiordinatam AB $=1$. Sit PM $= x$; erit AP $= lx$. Est vero $1 : lx = x : ly$ (§. 299 *Arithm.*). Ergo ly reperiri potest (§. 271 *Geom*): cui si æqualis in axe Logisticæ sumatur AH, erit HI $= y$ (§. 506. *part.* 1). Quodlibet adeo curvæ exponentialis punctum G reperitur sequentem in modum:

Fiat AC $= x$ & ducatur MC ipsi AP parallela, quæ Logisticam in M secabit; erit MC $=$ AP $= lx$. Fiat CD $=$ AB $= 1$ & DE $=$ AC, ducaturque LE ipsi MC parallela; erit LE $= ly$. Ducatur LH ipsi EA parallela; erit HI $= y$. Quodsi ergo AC sumatur pro axe curvæ exponentialis fiatque CG $=$ HI; erit G punctum in curva quæsita.

Porro cum $x = 0$, erit $ly = 0$. Sed 0 est logarithmus unitatis. Ergo y est unitas, consequenter $=$ AB. Quare si fiat AF $=$ AB; erit F punctum curvæ exponentialis.

Similiter quando AB $= 1 = x$, erit $lx = 0$, adeoque ad AB applicata y est 1 seu ipsi AB æqualis. Quamobrem si fiat BK $=$ BA; erit K punctum curvæ exponentialis.

CAPUT II.

De usu Calculi exponentialis in Curvarum exponentialium symptomatis investigandis.

DEFINITIO XII.

269. *Curva exponentialis* est quæ definitur per æquationem exponentialem.

DEFINITIO XIII.

270. *Æquatio exponentialis* est, quam ingreditur quantitas exponentialis.

PROBLEMA CXV.

271. *Invenire subtangentem curvæ, in qua $a^x = y$.*

Quoniam $a^x = y$

erit $xla = ly$

$ladx = dy : y$ (§. 243)

$dx = dy : yla$

Ergo subtangens $ydx : dy$ (§. 20) $= ydy : ylady = 1 : la$.

Constructio. Sit descripta Logistica quæcunque MBN & in ea AB $= 1$. Fiat AC $= a$ ducaturque CM ipsi AP & MP ipsi AC parallela: erit PM $=$ AC $= a$ & AP $= la$ (§. 554. *part.* 1). Fiat porro PQ $=$ AB $= 1$, itemque QT ipsi AB parallela; erit TQ $= 1 : la$ (§. 302. *Arithm.* & §. 268. *Geom.*). Tab. III. Fig. 31.

COROLLARIUM.

272. Quoniam curvæ subtangens $1 : la$ constans: æquatio proposita ad Logarithmicam est.

SCHOLION.

273. *Nempe si subtangens Logisticæ fuerit $1 : la$; ea definitur per $a^x = y$.*

PROBLEMA CXVI.

Tab. I. Fig. 8. 274. *Quadrare spatium Logisticum interminatum* HPMI.

Sit Logisticæ subtangens $PT = 1 : la$: $PM = y$, $Pp = dx$; erit

$$a^x = y \quad (\S. 271).$$
$$xla = ly$$
$$ladx = dy : y. \quad (\S. 243)$$
$$dx = dy : yla$$
$$ydx = ydy : yla = dx : la$$
$$\int ydx = y : la = y(1 : la) = PM.\ PT$$

COROLLARIUM I.

275. Spatium Logisticum interminatum HPMI est trianguli subtangente PT, tangente TM, & semiordinata PM contenti duplum (§. 385 *Geom.*).

COROLLARIUM II.

276. Quoniam Spatium HPMI = PM. PT & ISQH = SQ. PT (§. 274); erit QPMS (PM − SQ) PT, hoc est, spatium inter duas semiordinatas interceptum æquale rectangulo ex subtangente in differentiam semiordinatarum.

PROBLEMA CVXII.

277. *Cubare solidum Logisticum ex rotatione spatii interminati* HPMI *circa asymptotum* PH *geniti.*

Quoniam (§. 274)

$$dx = dy : yla \quad \text{erit } (\S. 197)$$
$$py^2 dx : 2r = py^2 y d : 2ryla = pydy : 2rla$$
$$\int py^2 dx : 2r = py^2 : 4rla.$$

COROLLARIUM I.

278. Quoniam $py^2 : 2r$ est circulus radio $PM = y$ descriptus (§. 197), $py^2 : 4rla$ est cylindrus, cujus basis eadem est cum basi solidi logistici, altitudo vero $1 : 2la$ seu $\frac{1}{2}$PT (§. 441. *Geom.*).

COROLLARIUM II.

279. Est ergo solidum istud logisticum ad conum, cujus altitudo subtangens $PT = 1 : la$, semidiameter basis $PM = y$, ut $py^2 : 4rla$ ad $py^2 : 6rla$, hoc est, ut $\frac{1}{4}$ ad $\frac{1}{6}$ seu ut 6 ad 4., aut ut 3 ad 2 (§. 124 *part* 1).

PROBLEMA CXVIII.

280. *Determinare subnormalem Logisticæ.*

Quoniam $ladx = dy : y$ (§. 274),

$$\text{erit} \quad dy = yladx$$
$$ydy : dx = y^2 ladx : dx \quad (\S. 35).$$
$$= y^2 la = y^2 : \frac{1}{la}$$

Est adeo subnormalis tertia proportionalis ad tangentem $PT = 1 : la$ & semiordinatam $PM = y$.

COROLLARIUM.

281. Quodsi ergo parabola describatur, cujus parameter subtangenti logisticæ æqualis; semiordinatæ parabolæ eædem sunt cum semiordinatis logisticæ, illius autem abscissis hujus subnormales æquantur.

PROBLEMA CXIX.

282. *Determinare subtangentem curvæ exponentialis, ad quam $x^x = y$.*

Quoniam $xlx = ly$

$$\text{erit} \quad lxdx + xdx : x = dy : y$$
$$ylxdx + ydx = dy$$

Ergo subtangens $ydx : dy = ydx : (ylxdx + ydx) = 1 : (lx + 1)$.

Est itaque PT tertia proportionalis ad $AB + AP = 1 + lx$ & $AB = 1$ (§. 208). Tab. III. Fig. 30.

PROBLEMA CXX.

283. *Determinare subnormalem curvæ, ad quam $x^x = y$.*

Quia $ylxdx + ydx = dy$ (§. 221); erit subnormalis $ydy : dx = (y^2 lxdx + y^2 dx) : dx$ (§. 34) $= y^2 lx + y^2 = y^2 (lx + 1)$

Quærenda igitur est ad $AB = 1$ & $PM = y$ tertia proportionalis y^2 & hinc porro ad $AB = 1$, $AB + AP = 1 + lx$ atque lineam

lineam inventam y^2 quarta proportionalis.

PROBLEMA CXXI.

Tab. III. Fig. 30. 284. *Determinare minimam applicatam* SR *in curva exponentiali, ad quam* $x^x = y$.

Quoniam $ylxdx + ydx = dy$ (§. 282); fiat

$$ylxdx + ydx = 0 \text{ (§. 61).}$$

erit
$$lx + 1 = 0$$
$$1 = -lx$$

Fiat ergo AT = AB = 1; erit TV = AR = x (§. 554 *part.* 1.).

Quodsi pro lx in æquatione curvæ $xlx = ly$ substituatur valor modo inventus -1; prodibit $x = -ly$. Fiat igitur AQ = VT = $-x$; erit NQ = y (§. *cit. part.* 1).

PROBLEMA CXXII.

285. *Quadrare curvam exponentialem, ad quam* $x^x = y$.

Quoniam elementum areæ ydx (§. 98.); erit area curvæ $= \int x^x dx =$ (si pro x ponatur $1 + v$) $v + \frac{1}{2}v^2 + \frac{1}{3}v^3 + \frac{1}{8}v^4 + \frac{1}{15}v^5 + \frac{1}{72}v^6$ &c. in infinitum (§. 267).

PROBLEMA CXXIII.

286. *Invenire æquationem ad curvam, cujus subtangens* $= 1 : (1 + lx)$.

Quoniam $1 : (1 + lx) = ydx : dy$ (§. 20)

erit
$$dy = y(1 + lx)\,dx$$
$$dy : y = dx + lxdx$$
$$\int dy : y = ly,\ \int (dx + lxdx) = xlx$$
$$ly = xlx$$
$$y = x^x \text{ (§. 337 } Arithm.)$$

PROBLEMA CXXIV.

287. *Invenire æquationem ad curvam, cujus subnormalis* $y^2(lx + 1)$.

Quoniam $y^2(lx + 1) = ydy : dx$ (§ 35)

erit
$$y^2(lx + 1)\,dx = ydy$$
$$lxdx + dx = dy : y$$
$$xlx = ly \text{ (§. 243)}$$
$$x^x = y \text{ (§. 341. } Arithm.)$$

PROBLEMA CXXV.

288. *Invenire æquationem ad curvam, cujus subnormalis* $y^2 la$.

Quoniam $y^2 la = ydy : dx$ (§. 35)

erit
$$y^2 ladx = ydy$$
$$ladx = dy : y$$
$$xla = ly \text{ (§. 243)}$$
$$a^x = y \text{ (§. 341 } Arithm.)$$

Est ergo Curva quæsita Logarithmica vulgaris seu Logistica (§. 272).

PROBLEMA CXXVI.

289. *Invenire æquationem ad curvam, cujus area* $(2x^2lx - x^2) : 4la$.

Quoniam (§. 98)

$$(4xlxdx + 2xdx - 2xdx) : 4la = ydx$$

erit
$$4xlx = 4yla$$
$$xlx = yla$$
$$x^x = a^y \text{ (§. 341. } Arithm.)$$

Curva hæc vi probl. 114. (§. 268) ita construitur ope Logarithmicæ vulgaris MBN. Sit nempe AB = 1; quæ in infinitum producatur. Fiat AD = a & AC = x, ducanturque DL & CM ipsi AP, HL & PM ipsi AC parallelæ; erit DL = AH = la & CM = AP = lx (§. 268). Fiat AF = AH & ducatur FE ipsi CG parallela, per A vero & E recta AG ipsi CM continuatæ in G occurrens, erit CG = $xlx : la = y$ (§. 268 *Geom.*), adeoque punctum G in curva quæsita, quæ definitur per $x^x = a^y$. Tab. III. Fig. 32.

COROLLARIUM I.

290. Quia $lxdx + dx = lady$ (§. 243.)

erit $dx = lady : (lx + 1)$

$ydx : dy = yla : (lx + 1)$ (§. 20).

Est ergo subtangens curvæ hujus exponentialis quarta proportionalis ad AB + AP, CG & constantem AH.

COROLLARIUM II.

Quia $(lxdx + dx) : la = dy$ (§. 290); erit $ydy : lx = y(lx + 1) : la$ adeoque subnormalis curvæ hujus exponentialis est quarta proportionalis ad constantem AH, ad AP + AB & ad CG.

COROLLARIUM III.

292. Est ergo subtangens ad subnormalem y ut $la^1 : (lx + 1)$ ad $y(lx + 1) : la$, hoc est, ut la^2 ad $(lx + 1)^2$ (§. 124. *part.* 1) Quare quadratum compositæ ex constante AB & variabili AP est ad quadratum constantis AH ut subnormalis curvæ exponentialis ad ejus subtangentem.

SECTIO QUARTA.

DE CALCULO DIFFERENTIO-DIFFERENTIALI.

CAPUT I.

De natura Calculi differentio - differentialis.

DEFINITIO XIV.

293. *Calculus differentio - differentialis* est methodus quantitates differentiales denuo differentiandi.

COROLLARIUM.

294. Quoniam signum differentialis est d (§. 8): differentiale ipsius dx erit ddx: differentiale ipsius ddx erit $dddx$ & ita porro.

HYPOTHESIS

295. *Scribantur ddx, $dddx$, $ddddx$ &c. compendiosius d^2x, d^3x, d^4x &c.*

DEFINITIO XV.

296. *Differentiale primi gradus* est infinitesima quantitatis ordinariæ, ut dx. *Differentiale secundi gradus* est infinitesima quantitatis differentialis primi gradus, veluti ddx, $dxdx$ vel dx^2, $dxdy$. *Differentiale tertii gradus* est infinitesima quantitatis differentialis secundi gradus, ut $dddx$, dx^3, $dxdydz$ & ita porro.

PROBLEMA CXXVII.

297. *Invenire regulas differentiandi differentialia quæcunque data.*

RESOLUTIO.

Eodem prorsus modo investigari possunt, quo supra invenire docuimus regulas differentiandi quantitates ordinarias (§. 17. 19): id quod uno alteroque exemplo ostendere libet.

E. gr 1. Sit investigandum differentiale ipsius xdx.

Fiat $xdx = v$

erit $dx = v : x$

$d^2x = (xdv - vdx) : x^2$ (§. 19.)

$x^2d^2x = xdv - vdx$

$vdx + x^2d^2x = xdv$

hoc

hoc eſt, ob $v = xdx$

$$xdx^2 + x^2d^2x = xdv$$

$$dx^2 + xd^2x = dv$$

Differentiatur ergo xdx eodem modo, quo duæ quantitates ordinariæ ſe mutuo multiplicantes differentiari ſolent (§ 12.)

II. Sit differentiale ipſius $x : dx$ inveſtigandum.

Fiat $x : dx = v$

$$x = vdx$$

$$dx = vd^2x + dxdv \text{ per } caſ.\ præc.$$

$$dx - vd^2x = dxdv$$

hoc eſt, ob $v = x : dx$

$$dx - xd^2x : dx = (dx^2 - xd^2x) : dx = dxdv$$

$$(dx^2 - xd^2x) : dx^2 = dv$$

Differentiatur itaque $x : dx$ eodem modo, quo quantitates ordinariæ ſe mutuo dividentes differentiari ſolent (§. 19.)

III. Sit differentiale ipſius dx^2 inveſtigandum.

Fiat $dx^2 = v$

erit $dx = v : dx$

$$d^2x = (dxdv - vd^2x) : dx^2 \text{ per } caſ.\ 2.$$

$$dx^2d^2x = dxdv - vd^2x$$

$$vd^2 + dx^2d^2x = dxdv$$

hoc eſt, ob $v = dx^2$

$$dx^2d^2x + dx^2d^2x = 2dx^2d^2x = dxdv$$

$$2dxd^2x = dv$$

Differentialium igitur potentiæ veluti dx^2, eodem modo differentiantur, quo potentiæ quantitatum ordinariarum differentiari ſolent (§. 13. ſeqq.)

Corollarium I.

298. Cum differentialia compoſita aut ſe mutuo multiplicent, aut ſe mutuo dividant, aut potentiæ ſive perfectæ, ſive imperfectæ differentialium primi gradus exiſtant; differentialia eodem modo, quo quantitates ordinariæ, differentiantur.

Corollarium II.

299. Calculus adeo differentio-differentialis non eſt diverſus a calculo differentiali (§. 293.).

Problema CXXVIII.

300. *Differentiare differentialia.*

Resolutio

Differentialia conſiderentur inſtar ordinariarum quantitatum & ex circumſtantiis caſuum ſpecialium dijudicetur quænam ſint variabiles, quænam conſtantes. Ipſa vero differentiatio abſolvatur per problemata *cap.* I. *ſect.* I. (vi §. 299.)

E gr. Sit differentiale denuo differentiandum $= 1 : dx$ & 1 quantitas conſtans, erit $d(1 : dx) = - d^2x : dx^2$ (§. 19). Similiter reperitur $d\,(ydy : dx) = (dy^2 + yd^2y) : dx$, ſi dx conſtans, vel $(dxdy^2 - ydyd^2x) : dx^2$, ſi dy conſtans.

CAPUT II.

De usu Calculi differentio-differentialis in inveniendo puncto flexus Contrarii curvarum.

DEFINITIO XVI.

Tab. III. Fig. 33. N. 1. 301. *Punctum flexus contrarii* est punctum M, in quo curva flectitur in partes contrarias, ut scilicet axi, aut puncto cuidam fixo convexitatem obvertat, cum antea concavitatem obverteret. Vocatur *Punctum regressus*, si curva AMI in contrarias partes flexa regreditur versus verticem A.

PROBLEMA CXXIX.

302. *Determinare punctum flexus contrarii in curvis, quarum ordinatæ sunt inter se parallelæ.*

RESOLUTIO.

Tab. III. Fig. 33. N. 1, 2. Sint duæ curvæ AMS, quarum una axi concavitatem, altera convexitatem obvertat. Ducatur tangens TM, sintque PM, pm & QS infinite propinquæ, & $Pp = pQ$, hoc est, dx sit constans. Demittantur ex punctis curvarum M & m perpendiculares MR & mr. Quoniam pm ipsi QS parallela, *per hypoth.* erit angulus $m = S$ (§. 233. *Geom.*). Sed $MR = Pp$ & $mr = pq$ *per hypoth.* adeoque $MR = mr$ (§. 87. *Arithm.*). Ergo $mR = rS$ (§. 251 *Geom.*). Est vero $Sr > Vr$, quando curva axi concavitatem obvertit, & $Sr < Vr$, quando convexitas curvæ axem respicit. Quamobrem in casu priore differentia semiordinatarum dy continuo decrescit, in posteriore autem crescit, sumta abscissæ differentia dx pro constante. In puncto itaque flexus contrarii differentia semiordinatarum dy est minimum aliquod, quando curva primum ad axem concava, deinde convexa; maximum vero aliquod, quando curva ad axem primum convexa, deinde concava. Invenitur adeo illud punctum, si fiat $ddy = 0$ vel $ddy = \infty$, hoc est, si sumpta dx pro constante, valor ipsius dy denuo differentietur (§. 300.) & quæ prodit differentia vel nihilo, vel infinito æqualis ponatur.

COROLLARIUM.

303. Quodsi æquatio ad curvam ignotam detur; inveniri potest, utrum convexitatem, an concavitatem axi obvertat, si ex æquatione differentiali eruatur ratio mr & MR. E. gr In parabola (§. 388. *part.* 1.)

$$ax = y^2$$

adeoque $adx = 2ydy$

$$a : 2y = dy : dx$$

hoc est, $a : 2\sqrt{ax} = dy : dx$

Crescente adeo abscissa x, decrescit ratio $a : 2\sqrt{ax}$ (205. *Arithm.*) Quare cum dx sit constans, *per hypoth.* dy decrescere debet (§. 204. *Arithm.*) Parabola igitur constanter concavitatem axi obvertit, adeoque punctum flexus contrarii habet nullum.

PROBLEMA CXXX.

304. *Determinare punctum flexus contrarii* M *in Cycloide* AMN *ejus naturæ, ut sit* $AQB : BN = AQ : QM$. Tab. III. Fig. 34.

Sit

Sit ſemiperipheria circuli genitoris $AQB = p$, $BN = a$, $AB = 1$; $PQ = v$, $AQ = z$, $AP = x$, $PM = y$. Quoniam *per hypoth.*

$$AQB : BN = AQ : QM$$
$$p : \quad a = \quad z : \frac{az}{p}$$

erit $PM = PQ + QM = v + az : p$

Eſt adeo æquatio ad curvam

$$y = v + az : p$$

unde $dy = dv + adz : p$.

Sed $dz = dx : 2\sqrt{(x - xx)}$ (§. 157.) & ob $v = \sqrt{(x - xx)}$ (§. 377. *part.* 1.), $dv = (dx - 2xdx) : 2\sqrt{(x - xx)}$.

Ergo $2\,pdy = (pdx - 2pxdx + adx) : \sqrt{(x - xx)}$.

Quodſi adeo dx ſumatur pro conſtante; erit (§. 300.

$$2pddy = \frac{2p\sqrt{(x - xx)}\,dx^2}{x - xx} - \frac{pdx^2\ 4pxdx^2 + adx^2 + 4px^2\,dx^2x^2\ 2axdx2}{(x - x^2)\ 2\sqrt{(x - xx)}}$$

$$= \frac{(-4px + 4px^2 - p + 4px - a - 4px^2 + 2ax)dx^2}{2(x - xx)\sqrt{(x - xx)}}$$

$$= \frac{(2ax - p - a)dx^2}{2(x - xx)\sqrt{(x - x^2)}}$$ Quare (§. 302.

$$\frac{(2ax - p - a)dx^2}{2(x - xx)\sqrt{(x - xx)}} = 0$$

$$2ax - p - a = 0$$

$$2ax = a + p$$

$$x = \tfrac{1}{2} + p : 2a$$

Ergo $CP = AP - AC = x - \tfrac{1}{2} = p : 2a$

Eſt adeo $a : p = \tfrac{1}{2} : CP$

$$BN : AQB = BC : CP.$$

P R O B L E M A CXXXI.

305. *Determinare punctum flexus contrarii in curva, ad quam* $axx = (xx + aa)y$.

Quoniam $axx = (xx + aa)y$

erit $axx : (xx + aa) = y$

$$\frac{2ax^3dx + 2a^3xdx - ax^3\,2dx}{(xx + aa)^2} = dy$$

hoc eſt, $\dfrac{2a^3xdx}{x^4 + 2a^2x^2 + a^4} = dy$

Quodſi adeo dx ſumatur pro conſtante, reperietur (§. 300.)

$$\frac{(2a^3x^4 + 4a^5x^2 + 2a^7)dx^2 - (8a^3x^4 + 8a^5x^2)dx^2}{(x^2 + a^2)4}$$

$$= \frac{2a^7 - 6a^3x^4 - 4a^5x^2)dx}{(x^2 + a^2)^4} = ddy$$

Quare (§. 302.)

$$2a^7 - 6a^3x^4 - 4a^5x^2 = 0$$

$$a^4 - 3x^4 - 2a^2x^2 = 0$$

$$\overline{\qquad\qquad} \; aa + xx$$

$$aa - 3xx = 0$$

$$aa = 3xx$$

$$\tfrac{1}{3}aa = xx$$

$$\sqrt{\tfrac{1}{3}aa} = x$$

Quodſi valor ipſius x^2 in æquatione data $axx = (xx + aa)y$ ſubſtituatur: prodibit

$$\tfrac{1}{3}a^3 = \tfrac{4}{3}aay$$

$$\overline{\qquad\qquad} \; \tfrac{1}{3}aa$$

$$\tfrac{1}{4}a = y$$

Quare ſi $\sqrt{\tfrac{1}{3}aa}$ & $\tfrac{1}{4}a$ jungantur ad angulos rectos, punctum flexus contrarii determinatur, utut curva nondum fuerit deſcripta.

P R O B L E M A CXXXII.

306. *Determinare punctum flexus contrarii in curva, ad quam* $4b^3x = 2b^2y^2 - y^4$

Quoniam $4b^3x = 2b^2y^2 - y^4$.

erit $4b^3dx = 4b^2ydy - 4y^3dy$

$$\frac{b^3dx}{by - y^3} = dy$$

Porro quoniam dx conſtans, reperietur (§. 300.),

ddy

$$ddy = \frac{-b^5dxdy + 3b^3y^2dxdy}{(b^2y-y^3)^2} = 0$$

$$3b^3y^2 - b^5 = 0$$

$$3y^2 = b^2$$

$$y = \sqrt{\tfrac{1}{3}b^2}$$

Substituatur hic valor in æquatione ad curvam $4b^3x = 2b^2y^2 - y^4$, erit

$$4b^3x = \tfrac{2}{3}b^4 - \tfrac{1}{9}b^4 = \tfrac{5}{9}b^4$$

$$x = \tfrac{5}{36}b$$

Quodsi sit $x = 0$, erit

$$2b^2y^2 - y^4 = 0$$

$$2b^2 = y^2$$

$$\sqrt{2b^2} = y$$

Quodsi ponamus $dy = \infty$, erit ob

$$b^3dx : (b^2y - y^3) = dy$$

$$b^2y - y^3 = 0$$

$$b^2 - y^2 = 0$$

$$b^2 = y^2$$

$$b = y$$

in casu maximi (§. 63).

Quodsi denique hic valor substituatur in æquatione ad curvam $4b^3x = 2b^2y^2 - y^4$; erit

$$4b^3x = 2b^4 - b^4 = b^4$$

adeoque $x = \frac{1}{4}b$

Curvæ igitur hujus ductus est prorsus mirabilis.

PROBLEMA CXXXIII.

307. *Determinare punctum flexus contrarii in curva, ad quam* $ay^2 = x^3 - bx^2$.

Quia $ayy = x^3 - bx^2$

erit $2aydy = 3x^2dx - 2bxdx$

$$dy = \frac{3x^2dx - 2bxdx}{2ay}$$

$$ddy = 0 = \frac{12axydx^2 - 4abydx^2 - 6ax^2dxdy + 4abxdxdy}{4a^2y^2}$$

Hinc

$$(12axy - 4aby)dx^2 = (6ax^2 - 4abx)dxdy$$

$$\frac{(6x-2b)ydx}{3x^2-2bx} = dy = \frac{(3x^2-2bx)dx}{2ay}$$

$$(12x - 4b)ayy = (3x^2 - 2bx)^2$$

$$(12x - 4b)(x^3 - bx^2) = (3x^2 - 2bx)^2$$

hoc est,

$$12x^4 - 16bx^3 + 4b^2x^2 = 9x^4 - 12bx^3 + 4b^2x^2$$

$$3x^4 - 4bx^3 = 0$$

$$3x - 4b = 0$$

$$3x = 4b$$

$$x = \frac{4}{3}b$$

Substituatur valor ipsius x in æquatione data $ayy = x^3 - bx^2$; reperietur

$$ayy = \tfrac{64}{27}b^3 - \tfrac{16}{9}b^3 = \tfrac{64}{27}b^3 - \tfrac{48}{27}b^3 = \tfrac{16}{27}b^3 = \tfrac{2}{9}b^3$$

$$y = \tfrac{1}{3}\sqrt{(2b^3 : a)}$$

PROBLEMA CXXXIV.

308. *Determinare punctum flexus contrarii in curva ad quam* $y - a = (x-a)^{3:5}$

Quoniam $y - a = (x - a)^{3:5}$

erit $dy = \frac{3}{5}(x-a)^{-2:5}dx$

Quodsi ergo dx sumatur pro constante; reperietur

$$ddy = -\tfrac{6}{25}(x-a)^{-7:5}dx^2 = 0$$

$$-\tfrac{6}{25}(x-a)^{-7:5} = 0$$

$$-6 = 0$$

Quoniam nullus valor ipsius x prodit in hypothesi $ddy = 0$; ponatur

$-6dx$

$$-6dx^2 : 25\,(x-a)^{7:5} = \infty$$

erit $25.\,(x-a)^{7:5} = 0$

$$x - a = 0$$

$$x = a$$

PROBLEMA CXXXV.

309. *Determinare punctum flexus contrarii in curvis, quarum semiordinatæ* CM, C*m*, *ex puncto fixo* C *ducuntur.*

Sit C*m* ipsi CM infinite propinqua & CM $= y$. Tangat TM curvam in puncto M & occurrat ipsi CT ad CM perpendiculari in T. Erigatur etiam C*t* perpendicularis ad C*m* & ducatur tangens *tm* ad punctum *m*, quæ ipsi C*t* in *t* occurret. Secabit autem tangens TM perpendicularem C*t* in L, eritque C*t* $<$ CL, quando curva puncto C seu polo convexitatem obvertit; ast eadem C*t* $>$ CL, quando curva est versus polum C concava. Igitur in flexus contrarii puncto L*t* $= 0$. Describatur jam ex centro C radio CM arcus MR $= dx$ & radio CT arcus TH; erit ob MCT $= m$C*t* (*§*.145. *Geom.*) MC*m* $=$ HCT (§. 91. *Arithm.*), consequenter arcus TH $\backsim$ MR (§. 141. *Geom.*). Porro TCM est rectus *per construct.* M R*m* itidem rectus (§. 38.), adeoque TCM $=$ MR*m* (§. 145. *Geom.*) Et quia TMC $=$ M*m*C $+$ MC*m* (*§*.239 *Geom.*), & MC*m* $= 0$; erit M*m*R $=$ TMC, consequenter (§ 267. *Geom.*)

Tab. III. *Fig.* 35. *n.* 1, 2.

$$mR : MR = MC : TC$$

$$dy : dx = y : \frac{ydx}{dy}$$

Et ob arcus MR & TH similes *per demonstrata*, erit (*§*. 413. *Geom.* & §. 171. *Arithm.*)

$$CM : CT = MR : TH$$

$$y : \frac{ydx}{dy} = dx : \frac{dx^2}{dy}$$

Denique cum verticales ad L sint æquales (§. 156 *Geom.*) ob infinite parvum LCT vero MLC $=$ LTC (§. 239. *Geom.*) & H rectus (§. 38.), MCT itidem rectus *per construct.* erit (*§*.267. *Geom.*)

$$CM : CT = TH : HL$$

$$y : \frac{ydx}{dy} = \frac{dx^2}{dy} : HL$$

Ergo HL $= dx^3 : dy^2$.

Est vero ob CT $= ydx : dy$, sumto arculo MR $= dx$ pro constante, t H $=$ $(dxdy^2 - ydxddy) : dy^2$ (§. 300.) Ergo tL $= t$H $+$ HL $= (dxdy^2 - ydxddy + dx^3) : dy^2$.

Fiat jam $\dfrac{dxdy^2 - ydxddy + dx^3}{dy^2} = 0$

erit $dy^2 + dx^2 = yddy$

PROBLEMA CXXXVI. Tab. I.

310. *Determinare punctum flexus contrarii in Conchoide* Nicomedis. *Fig.* 5.

Sit AB $= q$M $= a$, BC $= b$, C$q = z$, CM $= y$, M$r = dx$, erit $mr = dy$ & (§. 535. *part.* 1.)

$$z + a = y$$

$$dz = dy$$

Porro B$q = \sqrt{(zz - bb)}$ (§.417. *Geom.*) & ducto arculo qt, erit ob rectos t & B atque s & q non nisi infinite parvo angulo qCs differentes (§. 239. *Geom.*) adeoque æquales (§. 4.) $\triangle Sqt \backsim \triangle$BC$q$ (§.267. *Geom.*), consequenter:

$$Bq : BC = St : tq$$

$$\sqrt{(z^2 - b^2)} : b = dz : \frac{bdz}{\sqrt{(z^2 - b^2)}}$$

Et ob sectores Cqt & CMr similes est

$$Cq : qt = CM : Mr$$

$$2 : \frac{bdz}{\sqrt{(z^2 - b^2)}} = z + a : \frac{bzdz + abdz}{z\sqrt{(z^2 - b^2)}}$$

Unde $dx = (bzdz + abdz) : z\sqrt{(z^2 - b^2)}$

$$zdx\sqrt{(z^2 - b^2)} = bzdz + abdz$$

$$\frac{zdx\sqrt{(z^2 - b^2)}}{ab + bz} = dz = dy$$

Si itaque dx sumatur pro constante, cum sit differentiale ipsius $zdx\sqrt{(z^2 - b^2)} = dzdx\sqrt{(z^2 - b^2)} + z^2dzdx : \sqrt{(z^2 - b^2)} = (2z^2 - b^2)dzdx : \sqrt{(z^2 - b^2)}$ & differentiale denominatoris $bz + ab = bdz$, reperitur

$$ddy = \frac{2abz^2 - ab^3 + 2bz^3 - b^3dz}{(ab+bz)^2\sqrt{(z^2 - b^2)}} - \frac{bz\sqrt{(z^2 - b^2)}dzdx}{(ab+bz)^2} = \frac{(2abz^2 - ab^3 + bz^3)dzdx}{(ab+bz)^2\sqrt{(z^2 - b^2)}}$$

= substituto valore ipsius dz, $(2abz^3 - ab^3z + bz^4)dx^2 : (ab + bz)^3$.

Quoniam in puncto flexus contrarii

$$yddy = dx^2 + dy^2 \text{ (§. 308.)}$$

hinc tandem eruitur

$$b(z+a)(2az^3 - ab^2z + z^4)dx^2 : (ab+bz)^3 = dx^2 + (z^4 - b^2z^2)dx^2 : (ab + bz)^2$$

$$2az^3 - ab^2z + z^4 = (ab+bz)^2 + z^4 - b^2z^2$$

$$2az^3 - ab^2z = a^2b^2 + 2ab^2z + b^2z^2 - b^2z^2 = a^2b^2 + 2ab^2z$$

$$2az^3 - 3ab^2z = a^2b^2 \quad \text{———} \; 2a$$

$$z^3 - \tfrac{3}{2}b^2z - \tfrac{1}{2}ab^2 = 0$$

Tab. I. Fig. 14. Describatur itaque parametro b parabola & (§. 622. *part.* 1.) fiat $AL = \frac{5}{4}b$ & $LI = \frac{1}{4}a$. Ex centro I per verticem A describatur circulus: dico esse $PM = z$. Nam $AI^2 = LI^2 + AL^2 = \frac{1}{16}aa + \frac{25}{16}bb$ & $MR = z - \frac{1}{4}a$, $AP = z^2 : b$, $IR = z^2 : b - \frac{5}{4}b$. Quare ob $AI^2 = MI^2 = MR^2 + IR^2$, $\frac{1}{16}aa + \frac{25}{16}bb = \frac{z^4}{bb} - \frac{10}{4}z^2 + \frac{25}{16}b^2 + z^2 - \frac{1}{2}az + \frac{1}{16}aa$

$$\frac{z^4}{bb} - \tfrac{6}{4}z^2 - \tfrac{1}{2}az = 0 \quad \text{———} \; z : bb$$

$$z^3 - \tfrac{3}{2}b^2z - \tfrac{1}{2}ab^2 = 0$$

SCHOLION.

311. *Nisi inconsulta nobis visa fuisset figurarum multiplicatio, parobolam circa axem* Tab. I. CT *descripsissemus, statuto vertice in* C *&* *crure sursum tendente.* Fig. 5.

PROBLEMA CXXXVII.

312. *Determinare punctum flexus contrarii in spirali parabolica* AMC, *quæ generatur, si axis parabolæ in peripheriam circuli incurvatur.* Tab. III. Fig. 36.

Quoniam semordinatæ PM ad axem perpendiculares; in centro C concurrere debent (§. 38). Quare si parameter parabolæ a, abscissa $AP = v$, $PM = y$; erit æquatio ad spiralem parabolicam

$$av = y^2$$

adeoque $adv = 2ydy$

$$dv = 2ydy : a$$

Sit porro radius circuli $= r$, $MR = dx$; erit $CM = r - y$ &

$$CP : Pp = CM : MR$$

$$r : dv = r - y : dx$$

$$rdx = rdv - ydv$$

$$dx = (r - y)dv : r$$

hoc est, substituto valore ipsius dv

$$(2rydy - 2y^2dy) : ar = dx$$

$$(4r^2y^2 - 8ry^3 + 4y^4)dy^2 : a^2r^2 = dx^2$$

&, si dx sumatur pro constante,

$$\frac{2rdy^2 - 4ydy^2 + 2ryddy - 2y^2ddy}{ar} = 0$$

$$(r - 2y)dy^2 + (ry - y^2)ddy = 0$$

$$(r - y)yddy = (2y - r)dy^2$$

$$yddy = \frac{(2y - r)dy^2}{r - y}$$

Ha-

Habemus adeo

ob $dx^2 + dy^2 = yddy$ (§.309)

$$\frac{(4r^2y^2 - 8ry^3) + 4y^4 + a^2r^2)dy^2}{a^2r^2} = \frac{(2y-r)dy^2}{r-y}$$

$$4r^3y^2 - 8r^2y^3 + 4ry^4 + a^2r^3 - 4r^2y^3 + 8ry^4 - 4y^5 - a^2r^2y = 2a^2r^2y - a^2r^3$$

$$4y^5 - 12ry^4 + 12r^2y^3 - 4r^3y^2 + 3a^2r^2y - 2a^2r^3 = 0$$

Hujus æquationis radix y eſt ſemiordinata PM in puncto flexus contrarii.

CAPUT III.

De uſu Calculi differentio-differentialis in inveſtigandis evolutis curvarum & radio oſculi.

DEFINITIO XVII.

Tab. III. *Fig* 37. 313. SI curvæ BCF filum circumplicetur & ſucceſſive iterum ab ea abducatur, extremitas ejus A in rectam MC extenſi curvam aliam deſcribit, quam *Hugenius* inventor (k) *Curvam ex evolutione deſcriptam*; ſicut alteram, quæ evolvitur, *Evolutam* vocat.

DEFINITIO XVIII.

314. Portio fili MC appellatur *Radius Evolutæ*, item *Radius curvedinis*, *Radius oſculi*. Circulus enim, qui radio evolutæ MC ex centro C deſcribitur, dicitur curvam ex evolutione deſcripram in M *oſculari*.

COROLLARIUM I.

315. Evoluta igitur BCF eſt locus centrorum omnium circulorum curvam ex evolutione deſcriptam AMI oſculantium.

COROLLARIUM II.

316. Quando punctum B cadit in A, radius evolutæ MC æquatur arcui BC, alias aggregato ex AB & arcu BC.

COROLLARIUM III.

317. Quia elementum arcus M*m* in curva ex evolutione deſcripta eſt arcus circuli radio CM deſcriptus (§.313); radius evolutæ CM eſt ad curvam AI perpendicularis (§. 38).

(*k*) In Horolog.Oſcillatorio part. 3. Def.3.ſ. 60.

COROLLARIUM IV.

318. Quoniam radius evolutæ MC ipſam evolutam BCF continuo tangit, ceu ex geneſi manifeſtum (§.313); curvæ ex evolutione per innumera puncta deſcribuntur, ſi tangentes in quotlibet punctis evolutæ producantur: donec arcubus ſibi reſpondentibus æquales fiant.

SCHOLION.

319. *Meditatio de curvarum oſculis debetur illuſtri* Leibnitio, *qui primus evolutarum* Hugenianarum *in metienda curvedine curvarum uſum oſtendit.*

PROBLEMA CXXXVIII.

320. *Determinare radium oſculi vel curvedinis in curvis, quarum ſemiordinatæ* PM *&* pm *ſunt ad axem perpendiculares.* Tab. III. Fig.37.

RESOLUTIO.

Sit ſemiordinata *pm* alteri PM infinite propinqua; ſit item radius oſculi C*m* alteri CM infinite propinquus. Ducatur CE ipſi AB parallela, donec ſemiordinatæ MP continuatæ in E occurrat, & MG eidem axi AB parallela. Quoniam anguli E & R ſunt recti & ob EMG & CM*m* (§. 317) rectos adeoque æquales (§. 145 *Geom.*) utrinque angulo CMG ſublato, EMC = GM*m*; erit (§. 267 *Geom.*)

$$MR : Mm = ME : MC$$

$$dx : \sqrt{(dx^2 + dy^2)} = t : \frac{t.\sqrt{(dx^2 + dy^2)}}{dx}$$

Jam cum radius MC conſtans intelligatur, quandiu ex centro C arcus infinite parvus M*m* deſcribitur, interea vero ME augeatur quantitate differentiali R*m*; erit radii oſculi CM differentiale nullum (§. 7). Sed, ſi dx ſumatur pro conſtante, differentiale ipſius MC eſt

$$\frac{dt\sqrt{(dx^2 + dy^2)}}{dx} + \frac{tdy\,ddy}{\sqrt{(dx^2 + dy^2)}\,dx} =$$

$$\frac{dtdx^2 + dtdy^2 + tdyddy}{dx\sqrt{(dx^2 + dy^2)}}.$$

$$\text{Ergo } \frac{dtdx^2 + dtdy^2 + tdyddy}{dx\sqrt{(dx^2 + dy^2)}} = 0$$

$$dtdx^2 + dtdy^2 = -\,tdyddy$$

Quoniam *m*R differentiale ſemiordinatæ etiam differentiale ipſius ME ob PE conſtantem; erit $dt = dy$.

$$\text{Quare } dx^2 + dy^2 = -\,tddy$$

$$(dx^2 + dy^2) : -\,ddy = t$$

Quodſi itaque ex æquatione ad curvam datam ſubſtituatur valor ipſius dy^2 & $-\,ddy$; prodibit ME = t in quantitatibus ordinariis.

Si vero radius evolutæ MC ipſe deſideretur (quem interdum inveniri præſtat) fiat (§. 267 *Geom.*) ob PH = $ydy : dx$ (§. 35)

$$MP : PH = ME : EC$$

$$y : \frac{ydy}{dx} = \frac{dx^2 + dy^2}{-\,ddy} : \frac{dx^2dy + dy^3}{-\,dxddy}$$

$$\text{Unde } EC^2 = \frac{dx^4dy^2 + 2dx^2dy^4 + dy^6}{dx^2ddy^2}$$

$$ME^2 = \frac{dx^4 + 2dx^2dy^2 + dy^4}{ddy^2}$$

$$= \frac{dx^6 + 2dx^4dy^2 + dx^2dy}{dx^2ddy^2}$$

$$MC^2 = \frac{dx^6 + 3dy^2dx^4 + 3dy^4dx^2 + dy^6}{dx^2ddy^2}$$

$$= \frac{(dx^4 + 2dx^2dy^2 + dy^4)(dx^2 + dy^2)}{dx^2ddy^2}$$

$$MC = \frac{(dx^2 + dy^2)\sqrt{(dx^2 + dy^2)}}{-\,dxddy}.$$

PROBLEMA CXXXIX.

321. *Data æquatione ad curvam algebraicam, invenire æquationem ad evolutam.*

RESOLUTIO.

1. Inveſtigentur quantitates BN & CN in valore abſciſſæ AP aut ſemiordinatæ PM. Nimirum ME invenitur (§. 320): unde ſubducta PM relinquit PE = NC. Sed per analogiam PM : PH = ME : EC (§. 267 *Geom.*) reperitur EC. Si vero ex AP + EC = AN ſubtrahatur AB radius evolutæ in vertice B per probl. præc. determinandus, relinquitur BN. Tab. III. *Fig.* 37.
2. Fiat valor ipſius BN = v, CN = z & communis æquationum reductio ad evolutam in puris v & z atque conſtantibus.

PROBLEMA CXL.

322. *Invenire radium circuli parabolam oſculantis & æquationem ad ejus evolutam.*

I. Quo-

I. Quoniam $ax = y^2$

erit $adx = 2ydy$

$adx : 2y = dy$

$a^2dx^2 : 4y^2 = dy^2$

h. e. $adx^2 : 4x = dy^2$

Et, si dx sumatur pro constante, invenietur ob $adx : 2\sqrt{ax} = dy$

$-adx^2 : 4x\sqrt{ax} = ddy$

Tab. III. *Fig.* 37. Unde $\frac{dx^2 + dy^2}{-ddy} = \frac{(4xdx^2 + adx^2)\, 4x\sqrt{ax}}{4axdx^2} = \frac{(a+4x)\sqrt{ax}}{a} = \sqrt{ax} + \frac{4x\sqrt{ax}}{a} = y + \frac{4xy}{a}$ $= t = ME = PM + PE$. Est vero $PM = y$. Ergo $PE = 4xy : a$ hoc est, quia $x = y^2 : a$, $PE = 4y^3 : aa$.

Constructio. Quoniam $PM = y$, $TP = 2y^2 : a$, (§. 21); si in T excitetur ad TM perpendicularis TE ipsi MP continuatæ in E occurrens; erit $PE = 4y^4 : aay = 4y^3 : aa$ (§. 327 *Geom*). Quodsi ulterius in E & M excitentur perpendiculares EC & MC ad ME & MT; communis interfectio in C radium osculi seu evolutæ MC determinabit (§. 317).

II. Quoniam EC ipsi PH parallela; erit (§. 267 *Geom.*) ob $PH = \frac{1}{2}a$ (§. 36).

$$PM : PH = ME : EC$$

$$y : \tfrac{1}{2}a = y + \frac{4xy}{a} : \tfrac{1}{2}a + 2x$$

adeoque $EC^2 = \frac{1}{4}aa + 2ax + 4xx$

$ME^2 = ax + 8x^2 + 16x^3 : a$

$MC^2 = \frac{1}{4}aa + 3ax + 12x^2 + 16x^3 : a$

Jam cum MC coincidit in AB, hoc est, quando radius evolutæ est AB, $x = 0$. Quare $AB^2 = \frac{1}{4}aa$ & hinc $AB = \frac{1}{2}a$. Est adeo $BN = AP + PN - AB = 3x + \frac{1}{2}a - \frac{1}{2}a = 3x$. Sit jam $BN = v$, $CN = PE = z$: erit.

$v = 3x$ $\quad z = 4x\sqrt{ax} : a$

$\frac{1}{3}v = x$ $\quad z = \frac{4}{3}v\sqrt{\frac{1}{3}av} : a$

$3az = 4v\sqrt{\tfrac{1}{3}av}$

$9a^2z^2 = \frac{16}{3}av^3$

$a : 3$

$27az^2 = 16v^3$

En æquationem ad evolutam Parabolæ *Apollonianæ*: unde intelligitur evolutam parabolæ *Apollonii* esse parabolam secundi generis, cujus parameter $\frac{27}{16}$ parametri in parabola *Apolloniana.*

III. Si MC in terminis analyticis quæratur, erit, substitutis in formula generali $(dx^2 + dy^2)\sqrt{(dx^2 + dy^2)} : -dxddy$ valoribus dy^2 & $-ddy$ paulo ante inventis, $MC = (dx^2 + \frac{adx^2}{4x})\sqrt{(dx^2 + \frac{adx^2}{4x})}\, 4x\sqrt{ax} : adx^3$ $= (4x+a)dx^3\sqrt{(4x+a)}4x\sqrt{ax} : 8axdx^3\sqrt{x}$ $= (4x+a)\sqrt{(4x+a)} : 2\sqrt{a}$

Quodsi fiat $x = 0$, erit vi n. 1. $ME = 0$ & $MC = a\sqrt{a} : 2\sqrt{a} = \frac{1}{2}a$, hoc est, circuli parabolam in vertice osculantis diameter æquatur parametro & centrum ejus ob $ME = 0$ est in axe parabolæ.

Porro quia $MC = \frac{(4x+a)\sqrt{(4x+a)}}{2\sqrt{a}}$ $= \frac{(4ax+aa)\sqrt{(4ax+aa)}}{2a^2}$ & $\frac{1}{2}\sqrt{(4ax+aa)}$ $= MH$ seu normali: erit $MC = \frac{8MH^3}{2a^2}$

Est autem $8MH^3$ cubus duplæ normalis MH, sicuti $2a^2$ duplum quadrati parametri.

Constructio. Fiat $a : 2MH = 2MH : \frac{4MH^2}{a}$ & $2MH : \frac{4MH^2}{a} = \frac{4MH^2}{a} : \frac{8MH^3}{a^2}$ hoc est, quæratur ad parametrum & duplam normalem 2MH quarta continue proportionalis, crit ejus dimidium radius osculi MC.

 Quoniam

Quoniam etiam $MC = 4MH^3 : a^2$, erit etiam $a : MH = MH^2 : \frac{MH^2}{a}$: & $MH : \frac{MH^2}{a} : = \frac{MH^2}{a} : \frac{MH^3}{a^2}$, hoc est, quæratur ad parametrum & normalem MH quarta continue proportionalis, erit ejus quadrupla radius osculi seu evolutæ MC.

PROBLEMA CXLI.

323. *Determinare radium osculi seu evolutæ* MC *in infinitis parabolis aut paraboloidibus.*

Ad infinitas parabolas (§. 519 *part.* I.)

$$y^m = a^{m-1}x$$

$$my^{m-1}dy = a^{m-1}dx$$

Quodsi ergo dx sumatur pro constante, erit

$$(m^2-m)y^{m-2}dy^2 + my^{m-1}ddy = 0$$

$$(m^2-m)y^{m-2}dy^2 = -my^{m-1}ddy$$

$$(m-1)y^{-1}dy^2 = -ddy$$

Quamobrem

$(dx^2+dy^2) : -ddy = (ydx^2+ydy^2).(m-1)dy^2$ hoc est, ob $dx^2 = m^2y^{2m-2}dy^2 : a^{2m-2}$

$$ME = \frac{m^2y^{2m-1}dy^2 + a^{2m-2}ydy^2}{(m-1)a^{2m-2}dy^2} =$$

$$\frac{m^2y^{2m-1} + a^{2m-2}y}{(m-1)a^{2m-2}} = \frac{m^2y^{2m-1}}{(m-1)a^{2m-2}} + \frac{y}{m-1}$$

$$= \frac{1}{m-1}y + \frac{m^2x^2}{(m-1)y}$$

Sit jam $m = 2$, erit $x = y^2 : a$ & hinc $x^2 = ax.y^2 : a^2 = xy^2 : a$, adeoque $ME = 4xy^2 : ay + y = 4xy : a + y$, ut in problemate præcedente.

PROBLEMA CXLII.

324. *Determinare radium osculi in circulo.*

Quoniam ad circulum (§. 377 *part.* I)

$$y^2 = 2rx - xx$$

erit $2ydy = 2rdx - 2xdx$

$$ydy = rdx - xdx$$

Quare si dx sumatur pro constante, erit

$$dy^2 + yddy = -dx^2$$

$$(dx^2+dy^2) : y = -ddy$$

Quare (§. 320)

$$\frac{dx^2+dy^2}{-ddy} = \frac{y(dx^2+dy^2)}{dx^2+dy^2} = y$$

Est itaque $ME = y$, hoc est, punctum E cadit in P, adeoque C in centrum circuli H (§. 38. 320). Radius igitur circuli idem est cum radio osculi, hoc est, circulus, qui circulum osculatur, huic congruit & circuli evoluta est centrum ejus.

PROBLEMA CXLIII.

325. *Invenire radium osculi in ellipsi.*

Quoniam ad ellipsin (§. 420 *part.* I)

$$ay^2 = abx - bx^2$$

erit $2aydy = abdx - 2bxdx$

$dy = (abdx - 2bxdx) : 2\sqrt{(a^2bx - abx^2)}$ ob $a^2y^2 = a^2bx - abx^2$.

Unde, si dx sumatur pro constante,

$$ddy = -\frac{4bdx^2\sqrt{(a^2bx-abx^2)}}{4a^2bx-4abx^2}$$

$$\frac{a^3b^2dx^2 - 4a^2b^2xdx^2 + 4ab^2x^2dx^2}{(4a^2bx-4abx^2)\sqrt{(a^2bx-abx^2)}} =$$

$$\frac{(-4a^2bx^2+4ab^2x^2-a^3b^2+4a^2b^2x-4ab^2x^2)dx^2}{(4a^2bx-4abx^2)\sqrt{(a^2bx-abx^2)}}$$

$$= -\frac{a^3b^2dx^2}{(4a^2bx-4abx^2)\sqrt{(a^2bx-abx^2)}}$$

Nimirum si $D = 2\sqrt{(a^2bx-abx_2)}$ & $N = abdx - 2bxdx$; reperietur $dD =$

$(a^2bxdx - 2abxdx) : \sqrt{(a^2bx-abx^2)}$,

adeoque $\frac{dD.N}{D^2}$

$$\frac{a^3b^2dx^2 - 4a^2b^2xdx^2 + 4ab^2x^2dx^2}{(4a^2bx-4abx^2)\sqrt{(a^2bx-abx^2)}},$$

quæ est differentialis valoris ipsius dy pars negativa (§. 19).

Est

Est vero porro

$$dy^2 = \frac{(a^2b^2 - 4ab^2x + 4b^2x^2)\,dx^2}{(4a\,bx - 4abx^2)}$$

Quare $dy^2 + dx^2 = (a^2b^2 - 4ab^2x + 4b^2x^2 + 4a^2bx - 4abx^2)dx^2 : (4a^2bx - 4abx^2)$ & $(dy^2 + dx^2)\sqrt{(dx^2 + dy^2)} = (a^2b^2 - 4ab^2x + 4b^2x^2 + 4a^2bx - 4abx^2)\sqrt{(a^2b^2 - 4ab^2x + 4b^2x^2 + 4a^2bx - 4abx^2)}\,dx^3 : (4a^2bx - 4abx^2)\,2\sqrt{(a^2bx - abx^2)}$, consequenter $MC = (dx^2 + dy^2)\sqrt{(dx^2 + dy^2)} : - dxddy = (a^2b^2 - 4ab^2x + 4b^2x^2 + 4a^2bx - 4abx^2)\sqrt{(a^2b^2 - 4ab^2x + 4b^2x^2 + 4a^2bx - 4abx^2)} : 2a^3b^2 =$ (brevitatis gratia) $v\sqrt{v} : 2a^3b^2$.

Est vero (§. 44) normalis $MH = y\sqrt{(dx^2 + dy^2)} : dx$. Quare cum sit $y = \sqrt{(abx - bx^2)} : \sqrt{a}$ & $\sqrt{(dx^2 + dy^2)} = dx\sqrt{v} : 2\sqrt{(abx - bx^2)}\sqrt{a}$. Erit $MH = \sqrt{(abx - bx^2)}dx\sqrt{v} : 2a\sqrt{(abx - bx^2)}\,dx = \sqrt{v} : 2a$, consequenter $MH^3 = v\sqrt{v} : 8a$, adeoque $4MH^3 = v\sqrt{v} : 2a^3$. Est itaque $MC = v\sqrt{v} : 2a^3b^2 = 4MH^3 : b^2$

Constructio. Fiat $b.\ MH = MH : MH^2 : b$

$$\&\ MH : \frac{MH^2}{b} = \frac{MH^2}{b} : \frac{MH^3}{b^2}$$

hoc est, quæratur ad parametrum b & normalem MH quarta continue proportionalis; erit hujus quadrupla radius osculi MC.

COROLLARIUM.

326. Si AP sive $x = 0$: circuli in A ellipsin osculantis AB radius reperitur $a^2b^2\sqrt{a^2b^2} : 2a^3b^2 = a^3b^2 : 2a^3b^2 = \frac{1}{2}b$.

PROBLEMA CXLIV.

327. *Invenire radium osculi seu evolutæ in hyperbola.*

Quoniam ad hyperbolam (§. 459 *part.* I) $ay^2 = abx + bx^2$, radius osculi MC eodem prorsus, ut in probl. præced. modo invenitur $(4a\,bx^2 + 4abx^2 + a^2b^2 + 4ab^2x + 4b^2x^2)\sqrt{(4a^2bx + 4abx^2 + a^2b^2 + 4ab^2x + b^2x^2)} : 2a^3b^2 = 4MH^3 : bb$ &, si $x = 0$, hoc est in vertice,

$$= a^2b^2\sqrt{a^2b^2} : 2a^3b^2$$
$$= \tfrac{1}{2}b.$$

PROBLEMA CXLV.

328. *Invenire radium circuli* MC *cycloidem* AMB *in* M *osculantis.* Tab. III. *Fig.* 39.

Sit diameter circuli genitoris $AD = 1$, $AP = x$, $PM = y$, erit $QP = \sqrt{(x - xx)}$ (§. 377 *part.* I), arcus $AQ = \int(dx : 2\sqrt{[x - xx]})$ (§. 157), adeoque $PM = PQ + QM = \sqrt{(x - xx)} + \int(dx : 2\sqrt{[x - xx]})$ (§. 565 *part.* I). Quamobrem

$$y = \sqrt{(x - xx)} + \frac{\int dx}{2\sqrt{(x - xx)}}$$

$$dy = \frac{dx - 2xdx + dx}{2\sqrt{(x - xx)}} = \frac{2dx - 2xdx}{2\sqrt{(x - xx)}}$$

$= dx(1-x) : \sqrt{x}\sqrt{(1-x)} = dx\sqrt{(1-x)} : \sqrt{x}$

Quodsi ergo dx sumatur pro constante, reperietur

$ddy = -dx^2\sqrt{x} : 2x\sqrt{(1-x)} - dx^2\sqrt{(1-x)}\sqrt{} : 2x\sqrt{x} = (-xdx^2 - dx^2 + xdx^2) : 2x\sqrt{(x - xx)} = -dx^2 : 2x\sqrt{(x - xx)}$.

Unde ob $dx^2 + dy^2 = dx^2 + dx^2(1 - x) : x = (xdx^2 + dx^2 - xdx^2) : x = dx^2 : x$, eruitur $MC = (dx^2 + dy^2)\sqrt{(dx^2 + dy^2)} : dxddy$ (§. 320) $= 2xdx^3\sqrt{(x - x^2)} : xdx^3\sqrt{x} = 2\sqrt{(1-x)} = 2DQ$ (§. 417. *Geom.*). Nam

$PD^2 = 1 - 2x + xx$

$PQ^2 = x - xx$

$DQ^2 = 1 - x$. Ergo $DQ = \sqrt{(1-x)}$.

Constructio. Quoniam tangens TM ipsi AQ parallela (§. 132); $TMQ = AQP$ (§. 233 *Geom.*). Est vero AQD rectus (§. 317 *Geom.*): & TMC itidem rectus (§. 317): Ergo $QMC = PQD$ (§. 91 *Arithm.*), consequenter MC ipsi QD parallela. Constructio igitur talis est: ducatur MC ipsi QD parallela & fiat $EC = EM$; erit C punctum in evoluta cycloidis.

Co-

COROLLARIUM I.

329. Si $x = 0$; erit radius evolutæ $2\sqrt{1} = 2 = 2AD$, quia $AD = 1$. Quare si DG fiat $= AD$; in G terminabitur evoluta ex una parte. Si $x = AD = 1$; erit radius evolutæ $2\sqrt{(1-1)} = 2\sqrt{0} = 0$. Quare evoluta ex altera parte in B terminatur.

COROLLARIUM II.

330. Quodsi BL ipsi QD vel MC parallela ducatur, erit LBD $=$ BDQ (§. 233 *Geom.*), adeoque arcus QD & BL (§. 322 *Geom.*) chordæque cognomines (§. 289 *Geom.*), consequenter BL $=$ EC (§. 337 *Geom.*) & hinc LC ipsi BE æqualis & parallela (§. 257 *Geom.*). Est vero BE arcui QD (§. 575 *part.* 1) adeoque & alteri BL, *per demonstr.* æqualis. Quare LC æqualis arcui BL (§. 87 *Arithm.*). Est itaque evoluta cycloidis itidem cyclois æqualis & similis (§. 575 *part.* 1), hoc est, cyclois sui evolutione seipsam describit.

SCHOLION.

331. *Cum radius osculi aut evolutæ vel æqualis sit arcui evolutæ, vel eundem quantitate data excedat* (§. 316); *omnes arcus evolutarum geometrice rectificantur, quarum radii per constructiones geometricas exhiberi possunt. Unde patet, cur arcus cycloidis* BC *sit chordæ* BL *duplus* (§. 168): *est enim radius evolutæ* MC *ejusdem duplus* (§. 328) *& evoluta cycloidis ipsa quoque cyclois est* (§. 330). *Liquet etiam innumeras inveniri posse curvas, quæ saltem geometrice rectificantur; Ceterum utilis est radii osculi inventio, quia arcus circuli osculatoris substitui potest pro arcu curvæ, quam osculatur, in praxi. Ita speculum sphæricum cavum, observante* Leibnitio *in Actis Erudit. A.* 1686. *substituitur parabolico, quia parameter parabolæ est diameter circuli eam in vertice osculantis* (§. 317) *sicque perinde ac parabolicum distantiam foci habet quartæ diametri parti æqualem.*

PROBLEMA CXLVI.

332. *Determinare radium osculi seu evolutæ in Logarithmica:*

Quoniam in Logarithmica (§. 54.)

$$ydx : dy = a$$

$$ydx : a = dy$$

$$dxdy : a = ddy, \text{ quia } dx \text{ constans}$$

seu $ddy = ydx^2 : a^2$,

Est vero $dy^2 = y^2dx^2 : a^2$, adeoque

$$dy^2 + dx^2 = y^2dx^2 : a^2 + dx^2$$
$$= (y^2 + a^2)\,dx^2 : a^2$$
$$(dy^2+dx^2)\sqrt{(dx^2+dy^2)} = dx^3(y^2+a^2)\sqrt{(y^2+a^2)} : a^3$$
$$(dx^2+dy^2)\sqrt{(dx^2+dy^2)} : -dxddy = \frac{dx^3(y^2+a^2)\sqrt{(y^2+a^2)}}{a^3ydx^3 : a^2} = \frac{(y^2+a^2)\sqrt{(y^2+a^2)}}{ay}$$

Est igitur radius osculi seu evolutæ $= (y^2 + a^2)\sqrt{(y^2+a^2)} : ay$. Tab. I. Fig. 8.

Enimvero cum a sit subtangens Logisticæ PT, y semiordinata PM, erit $\sqrt{(y^2+a^2)}$ tangens TM (§. 417 *Geom.*). Porro cum sit

$$TP : PM = PM : PN$$
$$a : y = y : PN$$

erit subnormalis $PN = y^2 : a$, consequenter TN composita ex subnormali $y^2 : a$ & subtangente $a = (y^2 + a^2) : a$.

Habemus adeo

$$y : \frac{y^2+a^2}{a} = \sqrt{(y^2+a^2)} :$$

h. e. PM : TN $=$ TM :

Theorema. In Logistica radius osculi seu evolutæ est quarta proportionalis ad semiordinatam, tangentem atque compositam ex subtangente ac subnormali.

Quantitas negativa est ob valorem ipsius y in præsente casu negativum.

Porro quoniam ay est spatium logisticum interminatum HPMI (§. 134) & $(a^2+y^2)\sqrt{(a^2+y^2)} = TM^3$; erit HPMI : $TM^2 =$ TM : MC. Habemus itaque hoc

Theorema. Spatium logisticum interminatum est ad quadratum tangentis ad radium osculi seu evolutæ.

SEC-

SECTIO QUINTA.

DE ARITHMETICA INFINITORUM.

CAPUT I.

De natura Arithmeticæ infinitorum.

DEFINITIO XIX.

333. *Arithmetica infinitorum* est methodus summandi series numerorum infinitis terminis constantes, aut earum rationes investigandi.

PROBLEMA CXLVII.

334. *Invenire summam fractionum infinitarum, quarum numerator communis est unitas, denominatores vero progrediuntur in ratione numeratoris primæ ad suum denominatorem.*

Sit fractio prima $1:e$ Numerus terminorum cum sit infinitus & termini continuo decrescant, devenietur tandem ad infinitesimam (§. 2.), adeoque summa fractionis primæ & hujus, quæ tanquam ultima consideratur, ipsi fractioni primæ $1:e$ æqualis (§. 4). Divisa ergo per $e-1$ dat summam omnium terminorum $1:(ee-e)$ excepto primo (§. 119. *part.* 1). Quare summa integræ seriei $1:(ee-e)+1:e=(1+e-1):(ee-e)=e:(ee-e)=1:(e-1)$.

Sit e. gr. $e=2$; erit $\int(\frac{1}{2}+\frac{1}{4}+\frac{1}{8}+\frac{1}{16}+\frac{1}{32}$ &c. in infinit.

Sit $e=3$; erit $\int(\frac{1}{3}+\frac{1}{9}+\frac{1}{27}+\frac{1}{81}$ &c. in infinit.$)=\frac{1}{2}$.

Sit $e=4$; erit $\int(\frac{1}{4}+\frac{1}{16}+\frac{1}{64}$ &c. in infinit.$)=\frac{1}{3}$.

Sit $e=5$; erit $\int(\frac{1}{5}+\frac{1}{25}+\frac{1}{125}$ &c. in infinit.$)=\frac{1}{4}$.

Sit $e=6$; erit $\int(\frac{1}{6}+\frac{1}{36}+\frac{1}{216}$ &c. in infinit.$)=\frac{1}{5}$.

PROBLEMA CXLVIII.

335. *Invenire summam infinitarum fractionum, ubi numerator communis est unitate minor denominatore primæ & denominatores progrediuntur in ratione unitatis ad denominatorem primæ.*

Sit denominator fractionis primæ $=m$; erit numerator $=m-1$. Summa primi & ultimi termini utpote primo æqualis $=(m-1):m$, quæ per $m-1$ divisa dat summam omnium terminorum excepto maximo seu primo $1:m$. Quare summa integræ seriei $=m:m=1$.

Sit e. gr. $m=2$ erit $\int(\frac{1}{2}+\frac{1}{4}+\frac{1}{8}+\frac{1}{6}$ &c. in infinit.$)=1$, ut ante (§. 334.)

Sit $m=3$, erit $\int(\frac{2}{3}+\frac{2}{9}+\frac{2}{27}$ &c. in infinit.$)=1$.

Sit $m=4$, erit $\int(\frac{3}{4}+\frac{3}{16}+\frac{3}{64}$ &c. in infinit.$)=1$.

SCHOLION.

336. *Poterat idem per modum corollarii ex theoremate præcedente deduci. Est enim* $\int(\frac{1}{3}+\frac{1}{9}+\frac{1}{27}$ &c.$)=\frac{1}{2}$(§. 334). *Ergo duplum hujus seriei, hoc est,* $\int(\frac{2}{3}+\frac{2}{9}+\frac{2}{27}$ &c. $=\frac{2}{2}=1$. *Et in genere* $\int(\frac{1}{m}+\frac{1}{m^2}+\frac{1}{m^3}+\frac{1}{m^4}$ &c. *in infinit.*$)=1:(m-1)$ *Ergo multiplum hujus seriei, cujus denominator* $m-1$, *sit necesse est* $(m-1):(m-1)=1$.

PROBLEMA CXLIX.

337. *Invenire summam infinitarum fractionum, ubi numerator communis deficit a denominatore primæ data quantitate, denominatores vero progrediuntur in ratione unitatis ad denominatorem primi.*

Si terminus primus $= (m - n) : m$, qui utpote æqualis summæ primi & ultimi divisus per $(m - 1)$ dat summam omnium terminorum maximo excepto $(m - n) : (m^2 - m)$. Quare summa seriei integræ $= (m - n) : (m^2 - m) + (m - n) : m = (m - n + m^2 - mn - m + n) : (m^2 - m) = (m^2 - mn) : (m^2 - m) = (m - n) : (m - 1)$.

Sit e. gr. $n = 1$, erit $(m - n) : (m - 1)$
$= (m - 1) : (m - 1) = 1$.

Sit $n = 2$, $m = 4$, erit $\int(\frac{2}{4} + \frac{2}{16} + \frac{2}{64}$ &c.
$= (4 - 2) : (4 - 1) = \frac{2}{3}$.

Sit $n = 2$, $m = 5$; erit $\int(\frac{3}{5} + \frac{3}{25} + \frac{3}{125}$ &c.
$= (5 - 2) : (5 - 1) = \frac{3}{4}$.

Sit $n = 2$, $m = 6$; erit $\int(\frac{4}{6} + \frac{4}{36} + \frac{4}{216}$ &c.)
$= (6 - 2) : (6 - 1) = \frac{4}{5}$.

Sit $n = 2$, $m = 7$; erit $\int(\frac{5}{7} + \frac{5}{49} + \frac{5}{343}$ &c.)
$= (7 - 2) : (7 - 1) = \frac{5}{6}$.

Similiter

Sit $n = 3$, $m = 6$; erit $\int(\frac{3}{6} + \frac{3}{36} + \frac{3}{216}$ &c.)
$= (6 - 3) : (6 - 1) = \frac{3}{5}$.

Sit $n = 3$, $m = 7$; erit $\int(\frac{4}{7} + \frac{4}{49} + \frac{4}{343}$ &c.)
$= (7 - 3) : (7 - 1) = \frac{4}{6} = \frac{2}{3}$.

Sit $n = 3$, $m = 8$; erit $\int(\frac{5}{8} + \frac{5}{64} + \frac{5}{512}$ &c.)
$= (8 - 3) : (8 - 1) = \frac{5}{7}$.

Porro

Sit $n = 4$, $m = 8$; erit $\int(\frac{4}{8} + \frac{4}{64} + \frac{4}{512}$ &c.)
$= (8 - 4) : (8 - 1) = \frac{4}{7}$.

Sit $n = 4$, $m = 9$; erit $\int(\frac{5}{9} + \frac{5}{81} + \frac{5}{729}$ &c.)
$= (9 - 4) : (9 - 1) = \frac{5}{8}$.

Sit $n = 4$, $m = 10$, erit $\int(\frac{6}{10} + \frac{6}{100} + \frac{6}{1000}$ &c.) $= (10 - 4) : (10 - 1) = \frac{6}{9} = \frac{2}{3}$.

&c. &c.

PROBLEMA CL.

338. *Invenire summam fractionum infinitarum, quarum communis est numerator, denominatores vero in ratione quacunque progrediuntur.*

Sit numerator communis $= m$ denominator fractionis primæ $= a$, denominator rationis $= n$; erit series summanda $\frac{m}{a} + \frac{m}{na} + \frac{m}{n^2 a} + \frac{m}{n^3 a}$ &c. in infinit. Unde eodem, quo in problematibus præcedentibus, modo reperitur summa $m : (na - a) + m : a = (m + mn - m) : (na - a) = mn : (na - a) = mn : a(n - 1)$.

Sit e. gr. $m = 5$, $a = 6$, $n = 2$; erit $\int(\frac{5}{6} + \frac{5}{12} + \frac{5}{24}$ &c.) $= 10 : 6(2 - 1) = \frac{10}{6} = \frac{5}{3} = 1\frac{2}{3}$.

Sit $m = 3$, $a = 5$, $n = 4$; erit $\int(\frac{3}{5} + \frac{3}{20} + \frac{3}{80} + \frac{3}{320}$ &c.) $= 12 : 5(4 - 1) = \frac{12}{15} = \frac{4}{5}$.

Sit $m = 1$, $a = 7$, $n = 2$; erit $\int(\frac{1}{7} + \frac{1}{14} + \frac{1}{28} + \frac{1}{56}$ &c.) $= 2 : 7(2 - 1) = \frac{2}{7}$.

SCHOLION.

339. *Hoc problema universalitate sua antecedentia omnia complectitur. Sit enim* $n = a$ *&* $m = n - l$, *qui est casus problematis præcedentis: substitutis hisce valoribus in formula præsente, prodit* $(n^2 - ln) : (n - 1)n = (n - l) : (n - 1)$, *quæ est formula problematis præcedentis. Similiter sit* $n = a$, $m = n - 1$, *erit summa* $= (n^2 - n) : (n^2 - n) = 1$, *ut supra* (§. 335). *Denique si* $m = 1$, $n = a$; *erit summa* $= n : (n - 1)n = 1 : (n - 1)$, *ut supra* (§. 334).

PROBLEMA. CLI.

340. *Invenire rationem summæ progressionis arithmeticæ simplicis ab* 1 *in infinitum continuatæ* (1 + 2 + 3 + 4 + 5 + 6

$+ 6$ &c.) *ad summam totidem maximo æqualium.*

Terminus primus $= 1$, numerus terminorum $= m$, differentia $= 1$. Ergo ultimus $= n$ & hinc $\int(1 + 2 + 3 + 4 + 5$ &c.) $= \frac{1}{2}n^2 + \frac{1}{2}n$ (§. 106 *part.* 1) & $\int n = n^2$. Cum n sit infinitus numerus, atque (§. 66 *Arith.*) $1 : n = n : n^2$; erit n^2 ipso n infinities majus, adeoque n respectu n^2 pro nihilo habendum (§. 3), consequenter $\frac{1}{2}n^2 + \frac{1}{2}n = \frac{1}{2}n^2$. Est itaque $\int(1 + 2 + 3 + 4 + 5$ &c. in infinit.) $: \int n = \frac{1}{2}n^2 : n^2 = 1 : 2$ (§. 124. *part.* 1).

Theorema Summa seriei numerorum naturalium in infinitum continuatæ est ad summam totidem maximo æqualium ut 1 ad 2.

PROBLEMA CLII.

341. *Invenire rationem summæ progressionis arithmeticæ sive finitæ, sive infinitæ, cujus terminus primus est* 0, *ad summam totidem maximo æqualium.*

Terminus primus $= 0$, ultimus $= v$, numerus terminorum $= n$; erit summa progressionis $= \frac{1}{2}nv$ (§. 106. *part.* 1), summa vero totidem maximo æqualium nv. Est ergo illa ad hanc ut $\frac{1}{2}nv$ ad nv, hoc est, ut 1 ad 2 (§. 124 *part.* 1).

PROBLEMA CLIII.

342. *Invenire rationem, quam habet summa omnium quadratorum ab* 0 *in infinitum continuatorum ad summam totidem maximo æqualium.*

Sit terminus maximus n; erit summa quadratorum $\frac{1}{3}n^3 + \frac{1}{2}n^2 + \frac{1}{6}n$ (§. 205 *part.* 1.). Est vero $1 : n = n^2 : n^3$ (§. 66. *Arithm.*) ergo quia 1 infinitesima ipsius n; *per hypoth.* erit etiam n^2 infinitesima ipsius n^3, consequenter $\frac{1}{2}n^2$, adeoque multo magis $\frac{1}{6}n$, respectu ipsius $\frac{1}{3}n^3$ pro nihilo habendum (§. 3.). Est ergo summa infinitorum quadratorum $\frac{1}{3}n^3$. Quadratorum vero totidem maximo æqualium summa est n^3. Quare illa ad hanc ut $\frac{1}{3}n^3$ *ad* n^3, hoc est, ut 1 ad 3 (§. 124 *part.* 1).

PROBLEMA CLIV.

343. *Invenire rationem, quam habet summa omnium cuborum ab* 0 *in infinitum continuatorum ad summam totidem maximo æqualium.*

Sit terminus maximus n; erit summa cuborum $\frac{1}{4}n^4 + \frac{1}{2}n^3 + \frac{1}{4}n^2$ (§. 205 *part.* 1). Sed eodem modo, quo in problemate præcedente, ostenditur, $\frac{1}{2}n^3$, adeoque multo magis $\frac{1}{4}n^2$, respectu ipsius $\frac{1}{4}n^4$ tandem evanescere. Erit ergo summa infinitorum cuborum $\frac{1}{4}n^4$. Sed summa totidem cuborum maximo æqualium est n^4. Quare illa ad hanc ut $\frac{1}{4}n^4$ ad n^4, hoc est, ut 1 ad 4. (§. 124. *part.* 1).

PROBLEMA CLV.

344. *Invenire rationem, quam habet summa omnium potentiarum cujuscunque gradus ab* 0 *in infinitum continuatarum ad summam totidem maximæ æqualium.*

Quoniam omnes potentiæ inferiores numeri infiniti respectu superioris evanescunt (id quod eodem modo, quo in probl. 153 ostenditur), summa omnium potentiarum ab 0 in infinitum continuatarum est $\frac{1}{m+1}(n+1)^{m+1}$ (§. 203 *part.* 1) $= \frac{1}{m+1}n^{m+1}$ in casu infiniti, ob $1 = 0$ respectu n. Sed potentia maxima est n^m adeoque summa totidem maximæ æqualium n^{m+1}.

 Ergo

Ergo summa illa ad hanc ut $\frac{1}{m+1} \times n^{m+1}$ ad n^{m+1}, consequenter ut 1 ad $m+1$ (§. 124. *part.* 1).

E. gr. Sit $m=2$; erit summa quadratorum infinitorum ad totidem maximo æqualium ut 1 ad 3.

Sit $m=3$; erit summa cuborum infinitorum ad totidem maximo æqualium ut 1 ad 4.

Sit $m=7$; erit summa potentiarum septimi gradus ad totidem maximæ æqualium ut 1 ad 8.

SCHOLION I.

345. *In infinitum continuari revera non aliud significat, quam eo usque continuari, donec quantitates quædam respectu aliarum evanescant* (*l*). *Nam* e. gr. (§. 342.) *in summa quadratorum* $\frac{1}{3}n^3 + \frac{1}{2}n^2 + \frac{1}{6}n$ *ratio termini primi* $\frac{1}{3}n^3$ *ad reliquos* $\frac{1}{2}n^2$ & $\frac{1}{6}n$ *continuo crescit. Unde non mirum, si ratio posteriorum tandem adeo exigua evadat, ut assignari amplius nequeat. Est enim primus ad secundum* $= \frac{1}{3}n^3 : \frac{1}{2}n^2 = 2n : 3$ (§. 124. *part.* 1). *Quare crescente n ratio ipsius* $2n$ *ad* 3 *continuo crescit* (§. 203. *Arithm.*) *Similiter terminus primus est ad tertium ut* $\frac{1}{3}n^3$ *ad* $\frac{1}{6}n$ *hoc est, ut* $2n^2$ *ad* 1 (§. 124. *part.* 1). *Quare crescente n ratio ipsius* $2n^2$ *ad* 1 *multo magis crescit, quam in casu priore* (§. 203. *Arithm.*). *In eo igitur casu, in quo terminus secundus respectu primi fit inassignabilis, tertius multo magis inassignabilis esse debet.*

SCHOLION II.

346. *Eodem modo plurima alia Arithmeticæ infinitorum theoremata inveniri possunt, si utamur iis, quæ in Analysi finitorum* (§. 173 & seqq.) *de numeris figuratis demonstrata sunt.*

SCHOLION III.

347. *Usum Arithmeticæ infinitorum in Geometria ostenderunt* (*m*) Wallisius *inventor, & qui eam magis excoluit,* Ismael Bulialdus (*n*). *Enimvero cum per calculum* Leibnitii *summatorium non modo ea, quæ per Arithmeticam infinitorum eruuntur, longe facilius; sed & plurima huic insuperabilia inveniri possint; e re nostra non esse judico, ut de ejus usu multa proferamus. Suffecerit igitur pauca eam in rem attulisse.*

(*l*) Vid. Ontologia nostra §. 823. & seqq.

CAPUT II.

De usu Arithmeticæ infinitorum in Geometria.

PROBLEMA CLVI.

Tab. III. Fig. 40. 348. *Invenire rationem trianguli* ACB *ad parallelogrammum* AEFB *super eadem vel æquali basi* AB *& ejusdem altitudinis.*

Concipiatur altitudo CD in partes infinite parvas & inter se æquales divisa; triangulum ACD resolvetur in parallelogrammula, quorum bases sunt ordinatæ trianguli M*m*, N*n*, O*o* &c. altitudines infinitesimæ ipsius CD; parallelogrammum vero EABF in totidem parallelogrammula & inter se & maximo in triangulo æqualia, quorum nempe bases basi trianguli.

(*m*) In Arithmetica infinitorum, quæ extat in Vol. I. Oper. Mathem.

(*n*) In Opere Novo ad Arithmeticam infinitorum.

li AB ſigillatim æquales ſunt. Parallelogrammula itaque ſeu elementa trianguli progrediuntur in ratione ordinatarum Mm, Nn, Oo &c. (§.380 *Geom.*). Ordinatæ vero ſunt ut abſciſſæ CP, CQ, CR (§. 396 *Geom.*) &, quoniam altitudo in partes æquales diviſa, abſciſſæ creſcunt in progreſſione arithmetica 0. 1. 2. 3. 4. 5 &c. Ergo elementa trianguli conſtituunt progreſſionem arithmeticam a cyphra inchoatam & in infinitum continuatam. Eſt adeo triangulum ACB ad parallelogrammum EABF ut 1 ad 2. (§. 341).

PROBLEMA CLVII.

Tab.II. Fig.28. 349. *Invenire rationem ſpatii parabolici externi* AKLPA *ad rectangulum* AKLN *ſuper eadem baſi* KL *& ejusdem altitudinis* AK.

Si ſpatium parabolicum APLKA & rectangulum KN in parallelogrammula reſolvantur, ut in probl. præc. (§. 348), altitudine communi AK in partes infinite parvas æquales diviſa; elementa parabolici progrediuntur ut ſemiordinatæ HI, QP, KL &c. iisdem vero in rectangulo totidem reſpondent maximo, cujus baſis KL, æqualia. Quodſi parameter parabolæ fuerit a, AH$=$1, AQ$=$2, AK$=$3 &c. erit HI $= 1 : a$, QP $= 4 : a$, KL $= 9 : a$ &c. (§. 391 *part.* 1.), hoc eſt baſes elementorum, adeoque elementa ipſa (§. 389 *Geom.*), progrediuntur in ratione duplicata abſciſſarum, hoc eſt, ut 0, 1, 4, 9 &c. Eſt ergo ſpatium parabolicum AKLPA ad rectangulum ANLK ut 1 ad 3 (§. 342), adeoque ANLPA ad idem rectangulum ANLK ut 2 ad 3.

PROBLEMA CLVIII.

350. *Invenire rationem ſpatii paraboloidici cujuſcunque* AKLPA *ad rectangulum* AKLN. Tab.II. Fig.28.

Si abſciſſæ AH, AQ, AK fuerint ut 1, 2, 3 &c. in paraboloidibus quibuſcunque erunt ſemiordinatæ HI, QP, LK ut 0, 1, 2^m, 3^m &c. (§. 519 *part.* 1). Quare cum etiam ſpatii paraboloidici AKLPA elementa progrediantur ut 1, 2^m, 3^m &c. (§.349), iisdem vero in rectangulo reſpondeant totidem maximo æqualia, erit illud ad hoc ut 1 ad $1+m$ (§. 344), conſequenter ANLPA ad idem rectangulum NK ut $1 - \frac{1}{1+m}$ ad 1, hoc eſt, ut $\frac{m}{1+m}$ ad 1, ſeu ut m ad $1+m$ (§. 124 *part.* 1).

PROBLEMA CLIX.

351. *Invenire rationem pyramidis & coni ad priſma & cylindrum ſuper eadem baſi & ejuſdem altitudinis.* Tab. III. Fig.41.

Si pyramidis ADBC altitudo concipiatur in partes infinite parvas æquales diviſa, in priſmata reſolvitur, quæ inter ſe ſunt ut baſes (§. 573 *Geom.*), hoc eſt, ut plana ſimilia a, b, c, d (§. 474 *Geom.*), Quoniam vero altitudines illorum priſmatum ſunt ut 1, 2, 3 &c. planorum latera homologa erunt itidem ut 0, 1, 2, 3 &c. (§. 566 *Geom.*) adeoque ipſa plana ut 0, 1, 4, 9 &c. (§. 406 *Geom.*) Quare cum elementis pyramidis reſpondeant in priſmate ſuper eadem baſi & ejus-

 dem

dem altitudinis totidem maximo æqualia; pyramis ad prisma est ut 1 ad 3 (§. 342).

Quodsi ACBD fuerit conus, plana *a*, *b*, *c*, *d* erunt circuli: qui cum progrediantur ut 0, 1, 4, 9 &c. (§. 387 *Geom.*), in cylindro vero ipsis respondeant totidem maximo *d* æquales; conus quoque ad cylindrum super eadem basi & ejusdem altitudinis est ut 1 ad 3 (§. 342)

PROBLEMA CLX.

Tab. III. Fig. 42. 352. *Invenire rationem conoidis parabolici ex rotatione parabolæ* AMSR *circa axem* AR *geniti ad cylindrum super eadem basi & ejusdem altitudinis.*

Constat ex superioribus (§. 197), altitudine AR in particulas infinite parvas & æquales divisa conoides resolvi in cylindrulos, quorum bases sunt circuli radiis PM, QN, SR descripti, quique adeo sunt ut isti circuli (§. 573 *Geom.*). Quodsi $AP = 1$, $AQ = 2$, $AR = 3$; erit $PM = 1$, $QN = \sqrt{2}$, $SR = \sqrt{3}$ (§. 392 *part.* 1) adeoque circuli sunt ut 0, 1, 2, 3 &c. (§. 408. *Geom.*). Quare cum iisdem respondeant in cylindro totidem maximo æquales; omnia elementa conoidis ad omnia elementa cylindri sunt ut 1 ad 2 (§. 341).

FINIS Analyseos infinitorum, & Tomi Primi.

ERRATA.

ERRATA.

Ante quam legas corrigenda.

In ELEMENTIS ARITHMETICÆ.

pag. 15. *lin. penult.* concedı *lege* concedi
p. 31. *col.* 2. §. 106. *lin.* 11. fubtractione *lege* subtractione
p. 71. *col.* 1. *lin. ult.* $\frac{164}{729}$ *lege* $\frac{64}{729}$
p. 72. *col.* 2. *lin.* 2. $1\frac{144}{100}$ *lege* $1\frac{44}{100}$
p. 73. *in Titulo Cap. VI.* lege *Cap. V.*
p. 75. *in Titulo pag. Cap. VI.* lege *Cap. V.*
ibid. col. 2. §. 308. *lin.* 3. & 4. *tripium* lege *triplum.*
p. 78. *col.* 1. *lin.* 18. $333\frac{6}{81}$ *lege* $333\frac{6}{18}$
ibid. col. 2. *lin.* 15. $58\frac{2}{111}$ *lege* $58\frac{2}{11}$
p. 79. *in titulo pag. Cap. V.* lege *Cap. VI.*
p. 82. *col.* 2. §. 337. *lin.* 6. unum ita, factor *lege* unum, ita factor
p. 83. *col.* 1. *lin.* 28. 243 *lege* 343.
p. 89. *col.* 1. *lin. ult.* 5'. *lege* 5'''
p. 91. *col.* 2. *lin.* 13. 0, 34°: *lege* 0. 34
ibid. lin. 20. imultiplicatione *lege* multiplicatione.
ibid. lin. 33. 378 *lege* 379.

In ELEMENTIS GEOMETRIÆ.

p. 96. *lin.* 24. empyricas *lege* empiricas
p. 101. *in margine. col.* 1. *Descendatur* Tab. I. *Fig.* 2. *juxta Definit.* XXII.
ibid. lin. 24. *tri angulorum* lege *triangulorum.*
ibid. col. 2. §. 55. *lin.* 1. *littera* lege *litera*
p. 109. *col.* 2. §. 142. *lin.* 5. anglorum *lege* angulorum.
p. 111. *lin.* 14. per C & C *lege* per C & D
p. 115. *col.* 2. §. 183. *lin.* 2. ABAC *lege* AB: AC.
p. 117. *col.* 1. §. 192. *lig.* 1. puncta *lege* puncto
p. 118. *col.* 1. *in margine*, Tab. II. *Fig.* 24. *lege* Tab. II. *Fig.* 42.
p. 119. *col.* 2. §. 204. *lin.* 3. BA *lege* BC
p. 122. *lin.* 7. KIH *lege* K & H
p. 126. *col.* 1. *lin.* 3. AC *lege* BC.
p. 127. *col.* 2. *lin. antepenult.* 156. *lege* 256
p. 128. *col.* 2. *lin. antepen.* EH *lege* FH.
p. 130. *col.* 2. §. 264. *lin.* 2. *junctum* lege *junctim*
p. 131. *col.* 1. §. 268. *lin.* 6. BDE *lege* △ BDE
p. 132. *col.* 2. *lin.* 33. $\frac{1}{01}$CA *lege* $\frac{1}{10}$CA
p. 134. *col.* 2. *lin. antepenult. cd* AB *lege* *cd* = AB
p. 135. *col.* 1. §. 283. *lin.* 4. *perpendiculi*.Q lege *perpendiculi* Q.
ibid. col. 2. *lin. antepen.* AB *lege* HB.
p. 138. *col.* 2. *lin. antepen.* vro *lege* vero
p. 139. *col.* 2. §. 293. *lin.* 5. E *lege* D
p. 149. *col.* 2. *lin.* 23. PROBLEMA XLIX. *lege* PROBLEMA XL.
p. 153. *col.* 2. *lin. antepenult.* f *lege* *f*
p. 154. *col.* 1. & 2. *in margine.* Tab. VI. *Fig.* III. *lege* Tab. VI. *Fig.* 111.
p. 162. *col.* 1. *lin.* 4. *à fine paginæ.* 480 *lege* 380
p. 164. *col.* 1. *lin.* 9. GB *lege* GD
ibid. lin. 13. ACB *lege* △ACB
p. 165. *col.* 2. *lin.* 6. *à fine paginæ.* $\frac{2}{1}$AD *lege* $\frac{1}{2}$AD
p. 167. *lin.* 9. △ *bad* ∽ △BAD, *lege*, △ *cad* ∽ △CAD
ibid. lin. 3. *à fine paginæ* DEA *lege* DCA
p. 170. *col.* 2. §. 417. *lin.* 20. ALFG *lege* ALKG
p. 171. *col.* 1. *lin.* 2. CD¹ *lege* CD²
ibid. §. 423. *lin.* 7. A *lege* E
p. 178. *col.* 1. *in margine* Tab. VIII. *Fig.* 410. *lege* Tab. VIII. *Fig.* 140.

p. 181.

p. 181. *col*. 1. §. 479. *lin*. 3. CAB *lege* AB
ibid. col. 2. §. 506. *lin*. 1. *uno* lege *una*
p. 190. *col. lin*. 22. *t* lege *i*
p. 191. *col*. 1. *ante* §. 531. *lege* PROBLEMA XV.
p. 199. *col*. 1. PROBLEMA XXV. *lege* PROBLEMA XXII.
p. 199. *col*. 2. in fine addantur ſequentia *aliis adhuc modis fieri poteſt, uti ſuo loco oſtendetur*.
p. 200. *col*. 1. *lin*. 2. 565. *lege* 563.
p. 201. *col*. 2. §. 573. *lin*. 1. aquales, *lege* æquales

In ELEMENTIS TRIGONOMETRIÆ.

p. 218. *col*. 2. PROBLEMA XII. *lege* PROBLEMA XI.
p. 215. *col*. 1. §. 19. *lin*. 9. AD ſinui dato majori, *lege* AF ſinui dato minori
p. 228. *col*. 2. §. *notatus* 63. *eſt* 61, *&* § *notatus* 61. *eſt* 62.
p. 229. *col*. 2. §. 67. *lin*. 7. ub *lege* ubi
p. 231. *col*. 2. §. 79. *lin*. 5. DE *lege* BE

In ELEMENTIS ANALYSEOS FINITOR.

p. 236. *col*. 2. §. 10. *lin*. 6. modum : *lege* modum effertur :
p. 240. *col*. 1. *lin*. 3. $+6b$ *lege* $-6b$
ibid. *lin*. 5. $-8f$ *lege* $-2f$
p. 241. *col*. 1. *lin*. 15. guærimus *lege* quærimus.
p. 243. *col*. 2. *lin*. *antepenult*. quorum *lege* quotum
p. 244. *col*. 1. *lin*. 7. ſecunda eſt potentia, *lege* ſecunda eſt, potentia
ibid. col. 2. §. 49. *lin*. 21. $c^3 - + \frac{c^4}{1+c}$ *lege* $c^3 + \frac{c^4}{1+c}$
ibid. $-cc^2$ *lege* $-c^2$
p. 247. *col*. 1. *lin*. 3. $a^{n:m}x^{m:n}$ *lege* $a^{n:m}x^{m:m}$

ibid. col. 2. *lin*. 7. *à fine paginæ* $2\sqrt[3]{23}$ *lege* $2\sqrt[4]{23}$
p. 229. *col*. 2. *lin*. 11. *à fine paginæ* $\sqrt{-8}+\sqrt{-2}$ *lege* $\sqrt{-8}-\sqrt{-2}$
p. 253. *col*. 1. *lin*. 2. $(a+b^2)$ *lege* $(a+b)^2$
ibid. lin. 16. $^2 2Qq$ *lege* $2Qq$
p. 254. *lin. ultima Tab*. $10ab^6$ *lege* $10ab^9$
p. 256. *col*. 2. *l*. 7. *à fine pag*. Pm *lege* P^m
p. 257. *col*. 1. §. 98. *lin*. 9. a^{22} *lege* $a^{2:2}$
p. 260. *col*. 1. *lin*. 11. $\frac{m}{1}a^{n-1}g$ *lege* $\frac{m}{1}a^{m-1}g$
p. 263. *col*. 1. *lin. ult.* $-m^n\,3$ *lege* $-m^{n-3}$
p. 264. *col*. 2. *lin*. 12. *&* 13.
$\left.\begin{matrix} \text{IV}.\ a\ ma \\ b\ mb \end{matrix}\right\}$ lege $\left\{\begin{matrix} \text{IV}.\ a:ma \\ b:mb \end{matrix}\right.$
p. 268. *col*. 2. *lin*. 11. 43. *lege* 4. 3.
p. 273. *col*. 1. *lin*. 21. $y^2 = b^2$ *lege* $y^2 - b^2$
ibid. col. 2. *lin*. 1. inter itra *lege* iter intra
p. 275. *col*. 1. §. 158. *lin*. 13. $\frac{1}{2}a$ *lege* $\frac{1}{2}a^2$
p. 276. *col*. 1. *lin*. 10. $(a+y_2)$ *lege* $(a+y^2)$
p. 277. *col*. 1. *lin*. 14. $x^2 \frac{x^2}{x^2 - 2x + 1}$ *lege* $x^2 - \frac{x^2}{x^2-2x+1}$
ibid. lin. 22. 23. $-\sqrt{\frac{5}{4}}$ *lege* $=\sqrt{\frac{5}{4}}$
p. 279. *col*. 1. *lin*. 8. *à fine pag*. $\frac{1}{2}d + \sqrt{}($ *lege* $\frac{1}{2}d \pm \sqrt{}($
ibid. lin. penult. $-2cd$. lege $-2cd)$.
ibid. col. 2. *lin*. 5. &. 6 *à fine paginæ* $9\frac{1}{2} + \frac{15}{2} = 17$ & $y = 9\frac{1}{2} - 7\frac{1}{2} = 2$ *lege* $9\frac{1}{2} - \frac{15}{2} = 2$ & $y = 9\frac{1}{2} + 7\frac{1}{2} = 17$
p. 282. *col*. 1. *lin*. 5. *à fine pag*. $-1-x$: *lege* $-1=x$
p. 284. *col*. 1. *lin*. 8. $l(c-v)$ lege $l(c-a)$
p. 285. *col*. 1. §. 188. *lin*. 2. 1. 0 *lege* 1:0
p. 288. *col*. 1. §. 201. *lin*. 10. $\int(n+1)^2$ *lege* $\int(n+1)^2$
ibid. col. 2. *lin*. 7. $\int n^{m\ 2}$ lege $\int n^{m-2}$
ibid. $=\frac{1}{m+1}$ lege $-\frac{1}{m+1}$

*p.*290. *col.*1. *lin.* 19. *n* 212. lege 212.
*ib.col.*2. *l.*3. heptegonis *lege* heptagonis
ibid. §.213. *lin.*12. $\frac{1}{2}ax2$ lege $\frac{1}{2}ax^2$
ibid. *lin.* 15. $-2x$ lege $-2x^2$
*p.*297. *col.*2. PROBL. CXVI. *lege* XCVI.
p. 299. *col.*2. PROBLEMA CI. *lege* CII.
ibid. col. 2. *lin.* 11. *à fine paginæ* $-\frac{16}{8}$ *lege* $-\frac{16}{9}$
ibid. $\frac{36-26}{9}$ lege $\frac{36-16}{9}$
*p.*300. *col.* 1. *lin.*7. t^3 *lege* t^2
*ibid. col.*2. *lin. ult.* yv^3z^3 *lege* $yv^3 : z^3$
*p.*301. *col.*1. §.247. *lin.*12. y^2x^2 lege y^3x^2
ibid. lin. 16. $\frac{ax^3}{8}$ lege $\frac{a^3x^3}{8}$
*p.*303. *col.* 2. *lin.*16. $f+\frac{cg}{a}=h$ lege $\frac{cg}{a}=h$
p. 306. *col.* 1. *ante lin.* 3. *scribatur* CL.
ibid. *lin.* 5. $\sqrt{(a^2\sqrt{})(2+5)}$ *lege* $\sqrt{(a^2\sqrt{(2+\sqrt{5})})}$
*p.*308. *col.*1. *lin.*9. *à fine pag.* sec *lege* sed
p. 311. *col.* 1. *lin.* 7. *à fine paginæ* $-2a\sqrt{(a^2-\frac{1}{4}x)}$ *lege* $-2a\sqrt{(a^2-\frac{1}{4}x^2)}$
p. 312. *col.* 1. §.283. *lin.* 4. DC*f* *lege* DC$=f$
*ibid. lin.*9. $x=$ *lege* $x^2=$
*ibid. col.*2. *lin.*10. HN$=x$. *lege* HN$=y$.
ibid. col. 2. §. 285. *lin.*8. y^4-bbcc lege $y^4=bbcc$
ibid. lin. 10. $\sqrt{(\frac{1}{4}d^4=bbcc)}$ lege $\sqrt{(\frac{1}{4}d^4-bbcc)}$
*p.*313. *c.*2. *l.*4. *à fine pag.* $=$ *er* lege $e:r$
*p.*314. *col.*2. *in margine* Tab. II. *Fig.*23. *lege* Tab. I. *Fig.* 23.
*p.*315. *col.*1. *lin.*12. $x^3\frac{\frac{1}{2}x}{\sqrt{3}}$ lege $x:\frac{\frac{1}{2}x}{\sqrt{3}}$
*p.*316. *col.* 2. §.299. *lin.*11. $+$CD *lege* $+CD^2$

*ibid. lin.*12. $+\frac{1}{3}x$ lege $+\frac{1}{3}x^2$
p. 317. *col.* 2. *in margine juxta Corol.* II. *scribatur* Tab. II. *Fig.*27.
*p.*318. *col.*2. *lin.*17. $\sqrt{\frac{1}{3}b}$ lege $\sqrt{\frac{1}{3}b^2}$
p. 320. *col.* 2. *lin.* 24. Producarur *lege* Producatur
p. 323. *In Titulo* GEOMETRIA *lege* TRIGONOMETRIA
*ibid. col.*2. §.327. *lin.*11. $Prba^{m-}-$ lege $Prba^{m-1}-$
*p.*325. *col.*1. *lin.*4. *à fine pag.* dimcnsiones *lege* dimensiones
*ibid. col.*2. §.330. *lin.*1. & 2. *æquationem* lege *æquationum*
p. 328. *col.* 1. *lin.* 11. *à fine paginæ.* $-mt-p=0$ lege $-mt+p=0$
*ibid. lin.*7. *à fine paginæ* $-mt+p=0$ lege $-mt-p=0$
ibid. lin. 6. *à fine pag.* $-mt=-p$ lege $-mt=p$
*p.*329. *col.* 2. *lin.* 10. $=\frac{3}{y}$ lege $=-\frac{3}{y}$
ibid. lin. 13. $+\frac{1}{y}$ lege $+\frac{1}{y^3}$
p. 341. *col.* 2. *lin.* 4. *à fine paginæ* $+\frac{2b^2-ac}{a^5}$ lege $+\frac{2b^2-ac}{a^5}v^4$
ibid. lin. antep. $+a^2d$ lege $-a^2d$
ibid. lin. penult. $-a^3$ lege $-a^3e$
*p.*342. *col.*1. §.371. *lin.* 2. curvæ *lege* curva
p. 344. *col.* 1. §. 386. *lin.* 2. fectione *lege* sectione
*p.*345. *col.* 2. *in marg.* Tab. III. *Fig.*41. *scribatur juxta Cor.* I.
*p.*347. *col.*1. *Deleatur in margine* Tab. III. *Fig.* 40.
ibid. col. 2. §.413. *lin.* 1. AQ. *lege* AR.
p. 348. *col.*1. *in marg. lin. ult.* *Fig.* 191. lege *Fig.* 119.

ibid. col. 2. *lin.* 6. *à fine paginæ* $x = \frac{1}{4}a$ lege $x - \frac{1}{4}a$

p. 349. *col.* 1. *lin.* 4. ductum *lege* ductam

ibid. col. 2. §. 425. *lin.* 1. $abx = bx^2$ lege $abx - bx^2$

p. 350. *col.* 1. §. 427. *lin.* 9. $+\frac{1}{4}a^2 - \frac{1}{4}a^2$ *lege* $+\frac{1}{4}a^2 = \frac{1}{4}a^2$

ibid. in marg. juxta lin. 18. §. 427. *scribe* Tab. IV. *Fig.* 46.

p. 353. *col.* 1, *lin.* 2. ed *lege* ad

ibid. col. 2. *lin.* 5. *à fine paginæ* $2r^2cz^2$ lege $2r^2cz$

p. 355. *col.* 1. §. 454. *lin.* 11. TSA *lege* TSI

col. 2. *lin. ult.* MG = MG *lege* MG = MC

p. 356. *col.* 2. *lin.* 11. TMP *lege* TMR

p. 357. *col.* 1. *lin.* 10. $+ 2ox$ lege $+ 2cx$

p. 358. *col.* 1. *lin.* 8. bv lege av

ibid. lin. 9. $(b+v)$ lege $(a+v)$

p. 359. *col.* 2. *lin.* 20. 378. *lege* 478

p. 360. *col.* 1. §. 483. *lin.* 1. *quantitatem* lege *quantitatem*

p. 361. *col.* 1. *lin.* 2. AIE *lege* IAE

ibid. col. 2. *lin.* 12.

$+\frac{at^2 - az^2}{b+a} \frac{ab^2 - az^2}{b+a} = 0$ lege $+\frac{at^2 - az^2}{b+a} = 0$

p. 362. *col.* 2. *lin.* 12. *à fine paginæ* $\frac{\frac{1}{4}ap^2bq + p^2qv^2 - p^4v^2}{p^2 - p^2q}$ lege $\frac{\frac{1}{4}ap^2bq + p^2qv^2 - p^4v^2}{q^2 - p^2q}$

p. 365. *col.* 2. *lin.* 21. 508. *lege* 507.

ibid. lin. 25. 507. *lege* 508.

ibid. §. 509. *lin.* 2. & 3. $r^2 - x$ lege $x^2 - r^2$

p. 368. *col.* 1. *lin.* 8. *à fine paginæ* $a^{n-1}x$ lege $a^{m-1}x$

ibid. lin. ult. $ax^{m-1} : a^{zm-1}$ lege $ax^{m-1} : az^{m-1}$

ibid. col. 2. *lin.* 7. *à fine pag.* 425. lege 525

p. 369. *col.* 2. *lin.* 9. EB_n. *lege* EB^n

p. 370. *col.* 1. *l.* 2. $f_m(x-a)^m$ lege $f^m(a-x)^m$

ibid. lin. 5. z_n lege z^n

ibid. lin. 8. $t_n f^m(a-x)^m$ lege $t^n f^m(a-x)^m$

ibid. lin. ult. $\frac{t^m f^n v^m (a+v)^n}{x^m(a+x)^n}$ lege $\frac{t^n f^m v^m (a+v)^n}{x^m(a+x)^n}$

ibid. col. 2. *lin.* 3. $\frac{v^m(a+v)^n}{xm(a+x)^n}$ lege $\frac{v^m(a+v)^n}{x^m(a+x)^n}$

ibid. in margine Tab. XII. *Fig.* 114. *lege* Tab. XIII. *Fig.* 124.

p. 372. *col.* 1. *lin.* 4. $a^m b^m = x^n y^n$ lege $a^n b^m = x^m y^n$

p. 374. *col.* 1. *lin.* 4. DN *lege* BN

p. 379. *col.* 1. *lin.* 7. *à fine paginæ* $p = \frac{-c^2 -}{b} \frac{1}{4}aa$ lege $p = \frac{-c^2 - \frac{1}{4}aa}{b}$

p. 380. *col.* 1. *lin.* 5. *à fine paginæ* $y^2 \frac{-rxy}{q} + \frac{r^2x^2}{q^2} -$ lege $y^2 - \frac{2rxy}{q} + \frac{r^2x^2}{q^2} -$

ib. col. 2. *l.* 13. *à fine pag.* $+ tf^2$ lege $+ tf^2$

ibid. lin. 12. *à fine pag.* $- cf)$ lege $- cd^2)$

p. 381. *col.* 1. *lin.* 4. $\frac{dxy^2}{f}$ lege $\frac{dxy}{f}$

ibid. col. 1. *lin.* 11. $cd^2f^2x^2)4cf^2f^2$ lege $cd^2f^2x^2) : 4cf^2f^2$

ibid. lin. 13. y^3 lege y^2

ibid. lin. 9. *à fine pag.* $\left.\begin{matrix}-\frac{m^2}{+p}\end{matrix}\right\}$ lege $\left\}\begin{matrix}-m^2\\+p^2\end{matrix}\right.$

col. 2. *l.* 18. $- bx + + \frac{1}{4}b^2$ lege $- bx + \frac{1}{4}b^2$

p. 383. *in titulo Cap. VI.* GEOMETRIA SUBLIMIOR. lege *Cap. VII.* DE LOCIS GEOMETRICIS.

p. 385. *col.* 2. *lin. antep.* $\frac{2n}{q} = 0$ lege $\frac{2r}{q} = 0$

p. 386.

*p.*386.*col.*1. *lin.*8. $\frac{a^2c^2}{(b-c)_2}$ lege $\frac{a^2c^2}{(b-c)^2}$
*p.*390. *col.*1. *lin.*4. *à fine pag.* y^3 lege y^2
*ibid. col.*2. *lin.*5. $\frac{2n}{q}=0$ lege $\frac{2r}{q}=0$
*p.*391. *col.*1. *lin.*2. $+ac$ lege $+\frac{1}{4}aa$
*ib. col.*2. *lin.*22. $-\frac{acy}{4b}$ lege $-\frac{acy}{b}$
*p.*392. *col.*2, *lin.* 4. $= x$ NM $=$, TM *lege* $= x =$ NM, TM
*p.*393. *col.*2. *lin.*14. V. $y^3 -$ lege V. y^2-
p. 396. *col.* 2. *lin.* 14. DP^{2}CN^2 *lege* DP^2 = CN^2
*ibid. lin.*18. $+\frac{1}{4}ab$ lege $+ab$
*ibid. lin.*19. $-2ax = bx$ lege $-2ax-bx$
*p.*397. *col.*1. *lin.*4. $— y_2$ lege $— y^2$
*p.*400. *col.*2. *lin.*9. *à fine paginæ* $+\frac{1}{2}cc$ lege $+\frac{1}{4}cc$
*p.*401. *col.*1. *lin. penult.* y_2 lege y^2
p. 402. *col.* 2. *lin.* 4. $\frac{b^3y^2}{aa}$ lege $\frac{b^2y^2}{aa}$
p. 403. *col.* 1. *lin.* 4. $\frac{v^3bz}{a}=\frac{v^2c}{a}$ lege $\frac{v^2bz}{a}=\frac{v^3c}{a}$
*p.*404. *col.* 1. *lin.* 8. x_2 lege x^2
ibid. lin. 10. $y^2+\frac{x^2}{a}—$ lege $y^2+\frac{vx^2}{a}-$
ibid. col. 2. *lin.* 8. datas *lege* data.
ibid. lin. 14. $\surd(r_2$ lege $\surd(r^2$
p. 405. *col.* 2. *lin.* 12. $\frac{x_4}{a^2}$ lege $\frac{x^4}{a^2}$
p. 410. *col.* 1. *lin.* 16. ^{2}AD *lege* AD
*ibid. col.*2. *lin.*13. PC$^2 = x$ *lege* PC$^2 = x^2$
p. 411. *col.* 1. *lin.* 1. $\surd(\frac{1}{4}a_2$ lege $\surd(\frac{1}{4}a^2$
*ibid. col.*2. *lin.*18. $—y^2\, ax$ lege $y^2—ax$
p. 412. *col.* 1. *lin.* 5. x in . *lege* in A.
ibid. lin. penult. $+x_2$ lege x^2
ibid. col. 2. *lin.* 3. $+\frac{1}{2}x_2$ lege $+\frac{1}{2}x^2$
ibid. lin. 7. $\frac{2p}{2}=n$ lege $\frac{2p}{2}=a$
ibid. lin. 9. $\frac{tp}{2m}$ lege $\frac{tp^2}{2m}$
ibid. lin. 11. $+p^4$ lege $+p^2$
p. 415. *col.* 2. *lin.* 5. y lege y^3

In Elementis Analyseos Infinit.

*p.*420. *c.*1. §. 14. *l.*11. $x^2 : x^m$ lege $x^0 : x^m$
ibid. lin. penult. mperfectarum lege *imperfectarum*
p. 421. *col.* 1. *lin.* 2. $—nx\,\frac{(n-m):m}{mx^{n:m}}\,dx$ lege $—\frac{nx^{(n-m):m}dx}{mx^{n:m}}$
ibid. lin. 3. $—nx\frac{(n-m):n}{mx^{2n:m}}dx$ lege $—\frac{nx^{(n-m):m}dx}{mx^{2n:m}}$
p. 422. *col.* 1. *lin.* 10. &RM *lege* &Rm
p. 423. *col.* 1. *lin.* 8- 226. *lege* 26.
ibid. lin. 12 & 13. *lege*
$$dx=\frac{(m+n)\,ay^{m+n-1}\,dy}{mbx^{m-1}(a-x)^n-nbx^m(a-x)^{n-1}}$$
p. 424. *col.* 1. *lin.* 5. $+nbx^{n-1}dy$ lege $+nbx^{n-1}dx$
ibid. lin. 8. $\frac{ydx}{dy}=\frac{may^m}{nbx^{n-1}}$ lege $\frac{ydx}{dy}=\frac{-may^m}{nbx^{n-1}}$
ibid. lin. 8. *à fine paginæ* $r=s0=0$ lege $r=0$ $s=0$
*ibid. lin.*7. *à fine paginæ* $=\frac{2y^2}{a-2}$ lege $\frac{2y^2}{a-2x}$
p. 424. *col.* 2. *lin.* 6. bx^u lege bx^n
ibid. lin. 10. Corollarium. *lege* Corollarium XIII.
ibid. ante §. 35. Problema. *lege* Problema V.
p. 425. *col.* 1. §. 39. *lin.* 3. PH$ydy:=$ *lege* PH$=ydy:dx=$
ibid. lin. 5. $—(m-1)$ lege $—(m+1)$

ibid. col. 2. *post lin.* 1. *adde sequentia, quæ in* 2^a. *Edit. omissa, visa sunt repetenda ex primâ.*

41. Eodem modo (§. 28) pro infinitis hyperbolis reperitur $PH = (my^2(a+x) + nxy^2) : (m+n)(ax+xx)$. Et itaque $ax+xx : yy = \frac{m}{m+n} a + x : PH$.

COROLLARIUM VII.

p. 426. *col.* 1. *lin.* 4. prod bit *lege* prodibit

ibid. col. 2. §. 48. *lin.* 13. ca *lege* CA

p. 428. *col.* 2. *lin.* 12. $: ma^{m+1}x^{n-1}$ lege $na^{m+1}x^{n-1}$

p. 433. *col.* 1. *lin.* 11. 76. *lege* 66

ibid. col. 2. *lin.* 5. $:3(a-x)^{2:3}$ lege $3(a-x)^{1:3}$

p. 436. *col.* 1. *lin.* 11. *à fine pag.* $MR_2 = y$: lege $MR^1 = y^4$:

ibid. lin. 10. *à fine pag.* $+\frac{1}{4}p^2y^2 + -\frac{1}{2}qy$ lege $+\frac{1}{4}p^2 + y^2 - \frac{1}{2}qy$

ibid. col. 2. *lin.* 12. PR *lege* Pr

p. 437. *col.* 1. *lin.* 2. feu *lege* seu

p. 438. *col.* 2. *lin.* 7. *à fine pag.* $(a-z)$ lege $(a-x)$

ibid lin. 2. *à fine pag.* $(a^2 - 4ax^2$ lege $(a^2x - 4ax^2$

p. 439. *col.* 1. *lin.* 2. $-12x$ lege $-12x^3$

p. 441. *col.* 1. *lin.* 16. vel x *a lege* vel $x-a$

p. 443. *col.* 1. §. 108. *lin.* 2. $(b+d)$ lege $(b+x)$

ibid. lin. antepen. AQ QN *lege* AQ.QN

p. 444. PROBLEMA XV. *lege* PROBLEMA XXXIII.

p. 445. *col.* 1. *lin.* 7. *à fine p.* $\frac{m}{m-n} - \sqrt[m]{x^m} y_m$ lege $\frac{m}{m-n} \sqrt[m]{x^m y^m}$

p. 446. *col.* 2. *interlineas* 15. & 16. *interseratur* $P^{m:n} = a^{1:2}x^{1:2} = A$

ibid. lin. 16. $-a^{-1}x$ *dele* —

p. 447. *col.* 1. *lin.* 14. $(x\frac{2}{3}$ lege $(\frac{2}{3}x$

ibid. lin. antepen. $\frac{1.3.x^{7:2}}{2.q.6}$ lege $\frac{1.3.x^{7:2}}{2.4.6,}$

ibid. col. 2. *lin.* 9. $-\frac{1}{4.7}-$ lege $-\frac{1}{4.7}x^3-$

ibid. lin. 23. $-x\frac{1}{8}^4 dx - \frac{11}{16}$ *lege* $-\frac{1}{8}x^4dx - \frac{1}{16}$

ibid. lin. 4. *à fine* $\frac{15}{1152}$ *lege* $\frac{5}{1152}$

p. 448. *col.* 1. *lin.* 17. Ax *lege* Ax^2

ibid. lin. 18. Bx *lege* Bx^2

ibid. col. 2. *lin.* 5. $\frac{tx}{1+x^2}$ lege $\frac{2x}{1+x^2}$

ibid. lin. 7. $\frac{1+x^2}{1-x^2}$ 1: = lege $\frac{1+x^2}{1-x^2}:1=$

ibid. lin. 11. $x4dx$ *lege* $4xdx$

ibid. lin, 26. $+x^4$ lege $+x^4dx$

ibid. lin. penult. $-\frac{1}{21}$ *lege* $-\frac{1}{11}$

p. 450. *col.* 2. *lin.* 8. *à fine pag.* $\frac{}{20}x$ *lege* $\frac{1}{20}x$

p. 451. *col.* 1. §. 183. *lin.* $-\frac{4}{3}$ lege $-\frac{3}{4}$

p. 452. *col.* 2. *lin.* 22. $(a-{}^2y$ *lege* $(a-y)$

ibid. lin. 24. $-y^4 : {}^4ar$ lege $-y^4 : 4ar$

p. 453. *col.* 1. *lin.* 5. $(a-)x^2$ lege $(a-x)^2$.

ibid. col. 2. *lin.* 8. $\frac{1}{2}c^{-1}x^{3:2} - B$ lege $\frac{1}{2}c^{-1:2}x^{3:2} = B$

ibid. lin. 13. $x^{7:2}c^{-1}x$ lege $x^{7:2}. - c^{-1}x$

ibid. lin. 15. $c\frac{1}{2}x^{1:2}$ lege $c^{1:2}x^{1:2}$

ibid. lin. 25. $-\frac{1}{16}c^{-1:2}x^{7:2}$ lege $-\frac{1}{16}c^{-3:2}x^{7:2}$

p. 459. *col.* 1. *lin.* 19. $\frac{1}{2}a^2bv_5$ lege $\frac{1}{2}a^2bv^5$

ibid. col. 2. *lin.* 14. *ante* &c. *scribe* v^5

p. 460. *col.* 1. *lin.* 4. *dele* $+\frac{1}{3}$

ibid. col. 2. *lin. antepen.* $\frac{4:3x_2}{2.80}$ lege $\frac{4.3x^2}{2.80}$

p. 464. *col.* 1. *lin.* 8. $\frac{b^6x}{16a^{10}}$ lege $\frac{b^6x^6}{16a^{10}}$

ibid. lin. ult. $\frac{x^4}{2a^2}$ lege $\frac{x^4}{4a^2}$

ibid. $\frac{x^{86}}{132^6}$ lege $\frac{x^8}{32a^6}$

ibid.

ibid.col.2.lin.5.à fine pag. $\frac{b^2x^{24}}{2a^4}$ lege $\frac{b^2x^2}{2a^4}$

ibid.lin.3. à fine $\frac{3b^4x^8}{64a^{12}}$ lege $\frac{3b^4x^8}{64a^{12}}$

p.465.lin.7. $\frac{5b^8x}{128a^{14}}$ lege $\frac{5b^8x^8}{128a^{14}}$

NB. *pagg.*466.467.468.469.470.471.472. *male notatæ sunt* 464. 465. 466.467.468.469.470.

p.466.col.2. lin.4. $-\frac{5c^2x^8}{32a^{10}}$ lege $+\frac{5c^3x^8}{32a^{10}}$

ibid. lin.6. $+\frac{3c^6x^8}{6a^{14}}$ lege $+\frac{3c^6x^8}{16a^{14}}$

p.467.col.1.lin.15. $\frac{c^4x^3}{6a^4}$ lege $\frac{c^2x^3}{6a^4}$

lin. antep. $m^{16}c^{18}$ lege $m^{16}c^8$

ibid.col.2. $\frac{3419}{75497412}x^9$ lege $\frac{3419}{75497472c^8}x^9$

p.469.col.1.lin.1. $n =, 2P$ lege $n = 2, P$

ib.lin.antep. $\frac{5y^5 - 5z^8}{1024a^7}$ lege $\frac{5y^8 - 5z^8}{1024a^7}$

p. 471. *col.* 1. *lin.* 4. legatur *sic.*

$+\frac{1.3}{2.4.6.11z^{11}} + \frac{1.3.5}{2.4.6.8.15x^{15}} -$

ib.§.180.lin.11. $+3a^2b^2t^4$ lege $+3a^2bt^4$

ibid.col.2. lin.6. $\frac{}{24}$ *lege* $\frac{1}{24}$

p.472 col.1.§.484. lin.9. $\frac{1.3}{2.4.5a^{14}}a^5$ lege $\frac{1.3}{2.4.5d^4}a^5$

ibid.col.2.lin.12. la^3 lege la^7

ibid.lin.6. à fine h^2a^3 lege h^3a^3

ibid.lin.4. à fine h^2a^5 lege h^5a^5

p.473.col.1. lin. antep. m lege *n*

ibid.col.2.lin.2. ſuhtenſa lege *ſubtenſa*

ib.lin.penult. $-2ab^2)$ lege $-2abx^2)$

p.475. col.2. lin.2. bx^2dx^2 lege $b^2x^2dx^2$

ibid.lin.6. à fine $2ab^3x^2$ lege $2ab^3x^4$

ib.lin.penult. in Denom. $2d^3b$ lege $2a^3b$

p.476.col.1. l.5. à fine a^2x^{-9} lege a^8x^{-9}

ibid.col.2.lin.2. ${}^1a^3c$ lege $\frac{1}{2}a^3c$

ibid.lin.8. $-\frac{1.3}{4.4.4x^2}a^5c$ lege $\frac{1.3}{4.4.4x^4}-a^5c$

p.478.c.1.§.190.l.2. $+c^2:y^-$ lege $+c^2:y^2$

ib.§.191. lin. $\frac{1.3x^5}{4.4.5.a^5}$ lege $\frac{1.3x^5}{4.4.5a^3}$

p.479.col.1.lin.penult. c^2-y lege c^2-y^2

ibid. col. 2. lin. 14. $ady\sqrt{(c-y^2)}$ lege $ady\sqrt{(c^2-y^2)}$

ibid.lin.penult. cdy lege dy

p.480. col. 2. lin.2. $y^2c -$ lege $c -$

ib. lin.10. à fine pag. $\frac{2bhi^2}{2c}$ lege $\frac{2bh^2i}{2c}$

p.481.lin.6. $\frac{bh^3}{16c^5}v^6$ lege $\frac{bh^6}{16c^5}v^6$

ibid. lin.9. $\frac{ah^3}{2}v^3$ lege $\frac{ah^3}{2c}v^2$

ibid. lin. 12. $\frac{ah^7}{16c^5}v^6$ lege $\frac{ah^6}{16c^5}v^6$

p.482.col.1. lin.2. $\frac{ah^3}{8c^3}$ lege $\frac{ah^5}{8c^3}$

ibid.lin.7. $-ah^5$ lege $+ah^5$

p.484.col.1.lin.antep. $\frac{m}{4+m2}$ lege $\frac{m}{4+2m}$

ibid. col.2. lin.7. 103. *lege* 203.

ibid.lin.14. $px^2:4r$ lege $pbx^2:4r$

ibid. lin.18. $4pha^2$ lege $4pba^2$

ibid.§.204.lin.3. $4par_2$ lege $4par^2$

ib.§.205.l.4. ellipti cum *lege* ellipticum

p. 489. col. 1. §. 231. lin. 6. lege $mxdy - ydx = 0$

p.490. col.1. §.239. lin.3. ydy lege ydx

p.492.col.2.lin. 5. e latere *lege* elatere

ibid. lin. penult. d^2y^2 lege dy^2

p.495.col.2. lin.2. tungens *lege* tangens

ibid. lin.6. $\frac{1}{2}x_2$ lege $\frac{1}{2}x^2$

p. 496. col. 2. lin. 11. à fine pag. $=\frac{1}{2}$ lege $=\frac{1}{3}$

ibid. lin. antep. $+\frac{1}{11}y^5dy$ lege $+\frac{1}{12}y^5dy$

p. 498. col. 1. §. 277. lin.6. py^2yd lege py^2dy

*ibid.col.*2.§.280.*lin.*5. $y_2 ladx$ lege $y^2 ladx$
*p.*500. *col.*2. *lin.*6. y ut la lege, ut y/a
*p.*501.*c.*1.*lin.* 6.*à fine pag.* vd^2 lege vd^2x
p. 502. *col.* 1. §. 302. *lin.* 14. $mr = pq$ lege $mr = pQ$
p. 503. *col.* 1. *lin.* 18. *lege*
$pdx^2 - 4pxdx^2 + adx^2 + 4px^2dx^2 + 2axdx^2$
ibid.col. 2. *lin.* 5. $2a^2$ lege $2a^7$
ibid. lin. antep. $\frac{b^3dx}{by - y^3}$ lege $\frac{b^3dx}{b^2y - y^3}$
p. 506. *col.*1. *lin.*2. 2 : *lege* z:
ibid. $\frac{bzdz + abdz}{\sqrt{z}\sqrt{(z^2 - b^2)}}$ lege $\frac{bzdz + abdz}{z\sqrt{(z^2 - b^2)}}$
*ibid. lin.*11. ſic legatur peritur
$$ddy = \frac{(2abz^2 - ab^3 + 2bz^3 - b^3dz)\,dzdx}{(ab + bz)^2 \sqrt{(z^2 - b^2)}}$$
ibid.lin.pen. $MI^2 - MR^2$ *lege* $MI^2 = MR^2$
*p.*507.*col.*2.*lin.*2 —— a^2r^2 lege —— a^2r^3
p. 509. *col.* 2. *lin.* 7. intelligirur *lege* intelligitur
ibid.lin.ult. crit *lege* erit
*p.*510.*col.*1.§.323.*lin.*9. y^{n-2} lege y^{m-2}
*ib.col.*2.§.325.*l.*9. præfigatur ſignum —
*ibid.lin.*10. $(-4a^2bx^2$ lege $(-4a^2b^2x$
*ibid. lin.*14. $(a^2bxdx$ lege $(a^2bdx$
*p.*511.*col.*1.*lin.*6. $4abx$ lege $4a^2bx$
*ibid.lin.*21. $v\sqrt{v} : 8a$ lege $v\sqrt{v} : 8a^3$
ibid. §.326.*lin.*3. a^3b^2: lege a^3b^3
ibid. lin.penult. $4a\,bx^2$ lege $4a^2bx$
*p.*512.*col.*2.*lin.*18.19.20. PN *lege* PH
*ibid.lin.*21.25. TN *lege* TH
*ib.lin.*24. $\sqrt{(y^2 + a^2)}$: lege $\sqrt{(y^2 + a^2)}$: MC
ibid. lin. 25. TM : *lege* TM : MC
ibid. lin.penult. tangentis ad *lege* tangentis, ut tangens ad

Corrigenda in FIGURIS.

Geomet. Tab. VIII. Fig. 139. Infra A ſcribatur M.
Trigonom. Tab. I. Fig. 8. ubi AC circumferentiam ſecat ſcribatur F.
Analyſ. Finit. Tab. II. Fig. 29. mutetur I in L.
Tab. III. Fig. 42. producatur NM & notetur ejus extremum litera G. Scribatur etiam S in extremo Tangentis TMS.
Tab. IV. Fig. 51. Ducatur recta mq parallela recta CF.
Tab. VI. Fig. 63. Ducatur per M tangens curvæ AMO axi AP occurens in T.
Analyſ. Infinit. Tab. II. Fig. quæ eſt ad dextram Fig. 17, non 16 ſed 18 eſt.
Tab. III. Ducatur recta tangens curvam in M occurrens tangenti per A ductæ in T.

Monendus es præterea B. L. non ſemel in prioribus Editionibus interruptum eſſe ordinem in numeratione ſive §.§. ſive Propoſitionum quem mutare noluimus, ne citationes tantum non omnes mutandæ forent.

AVIS AU RELIEUR.

Les Figures *de chaque Traité doivent être reliées enſemble à la fin du Traité auquel elles ſe rapportent.*

MONITUM AD BIBLIOPEGAM.

Figuræ uniuſcujuſque Tractatus debent ſimul compingi ad calcem Tractatus ad quem pertinent.

Fig: Anal: infin: Tab: I.



Fig: Anal: infin: Tab: II.



Fig. Anal. infin. Tab. III

Fig. 30.



Fig. 31.



Fig. 32.



Fig. 33.

N.1. N.2.



Fig. 35.

N.1. N.2.



Fig. 36.



Fig. 34.



Fig. 37.



Fig. 38.



Fig. 39.



Fig. 40.



Fig. 41.



Fig. 42.



Fig. Anal. infin. Tab. IV.

Fig. 43.



Fig. 44.



Fig. 45.



Fig. 46.



Fig. 47.



Fig. 48.



Fig. 49.



Fig. 50.



Fig. 51.



Fig. 52.



Fig. 53.